UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Prima Duo Sæcula Complectens

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 13322648

urn:nbn:de:hbz:466:1-66002

Visual Library

Th. 5778.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

HISTORIA ECCLESIASTICA

CLAUDII FLEURII

ABBATIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

HISTORIA ECCLESIASTICA

CLAUDII FLEURII

ABBATIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



CLAUDIUS FLEURY
Abbas Loci-Dei, Regi
Christianissimo à Confessio-
nibus.

Jos. et Joan. Mauber Cath. Sc. Aug. Vind.

CLAUDII FLEURII
ABBATIS
HISTORIA ECCLESIASTICA
LATINE REDDITA
ET NOTIS ILLUSTRATA
A
R. P. BRUNONE PARODE
ORD. S. BEN. IN MONASTERIO ETTALENSI
PROFESSO p. t. SUBPRIORE.

TOMUS I.

PRIMA DUO SÆCULA COMPLECTENS.

Collegii Paderani Societatis Jesu 1762.



Cum Approbatione & Consensu Superiorum.

AUGUST. VIND. & OENIPONTI
IMPENSIS JOSEPHI WOLFF. MDCCLVIII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PRÆFATIO AUCTORIS.

§. I.

Historiæ Ecclesiasticæ materia est Religionis ortus, & progressus; hanc enim notam vera Religio sibi soli propriam habet, quod certa sit ejus origo, & traditio ad nostra usque tempora nunquam interrupta. Certa est ejus origo, cum non solum Fidelium, sed etiam Infidelium testimonio constet, JEsum Christum ante mille septingentos ferme annos in mundum venisse; Christi Historia, a Discipulis ejus rerum præsentibus testibus

ſcripta, in manibus noſtris eſt. Sunt Prophetiæ, quæ Chriſtum tot, antequam venerit, ſæculis promiſerunt; harum Scripturarum ſignata tempora, & Auctorum Nomina a prima origine ſcimus, videlicet ab ipſo Moyſe, cujus libri omnium, quotquot fuere, ſunt antiquiſſimi. Hæc non ita ſe habent in fabulis, quibus Græcorum, aliorumque veterum Ethnicorum Religio ſuperſtructa eſt. Poetæ, quibus apud Gentiles idem munus fuit, ac Prophetis, & Theologis apud Chriſtianos, ſe quidem a Muſis, aut aliis Numinibus edoctos dicebant, at nullo, ut fidem facere poſſent, adducto, vel argumento, vel teſte; nec ullis rerum, quas narrabant, mirabilium veritatem adjunctis firmare audebant; Quis eorum unquam dixit, aut dicere potuit, ſe oculis ſuis vidiſſe Jovem in taurum, aut cygnum mutatum? aut Neptunum ſuo Tridente terram concutere? aut ſolis vel lunæ currum, & rotas conſpexiſſe? hæ nempe erant vetularum, & nutricum fabulæ, cæca reverentia antiquitatis ſacræ, Poeſeos, Muſicæ, & Picturæ illecebris, ut hominibus

place-

placerent, exornatæ; cumque diversis Regionibus, & temporibus fuissent confictæ, ita sibi erant contrariæ, ut conciliari non possent. Si Indias, omnesque Ethnicorum Provincias, quæ in hanc usque diem nobis innotuerunt, peragraveris, nullibi firma Religionis principia invenies; facta audies portentosa, febricitantium somniis perquam similia, omni argumento, omnibus tam temporum, quam locorum adjunctis destituta; quæ quomodo aliarum rerum, in orbe gestarum, historiæ cohæreant, nullatenus perspicias, quæque nulla ratione cum rerum præsentium serie, & ordine componere valeas.

§. II.

Mahometanæ quidem superstitionis originem scimus, & propagationem; nihil vero in toto hoc opere Divinum, & quod supra naturam sit apparet. Homo natura audax, & ad res gerendas factus, patrio sermone facundus, quamvis de cætero illiteratus, & rudis alios se nihilo doctiores decepit, sub prætextu Idololatriæ extir-

extirpandæ, jam a pluribus ſæculis ſponte ſua in ruinam inclinatæ; qualem autem Mahometes fidem aſſeclis ſuis credendam propoſuit? nempe Myſteriis vacuam; aut quæ Religionis opera, niſi aliunde Gentis illius moribus congrua? quibus mediis, & auxiliis Mahomet novam Sectam invexit? nempe vi armorum, & ſtrepitu, ita ut melius civilis Imperii invaſorem, quam Eccleſiæ fundatorem dixeris; provincias, a Mahomete ſubactas, Succeſſores ejus novis auxere victoriis. In his omnibus nihil invenies ab ordinariis rerum humanarum vicibus alienum. Qui Mahometi donum miraculorum affingunt, cum longo poſt res geſtas intervallo ſcripſerint, nullam fidem merentur; Ipſe Mahomet, haud dubie in hac cauſa omni exceptione major teſtis, miracula in argumentum miſſionis ſuæ petentibus reſpondit, non ideo ſe a Deo miſſum, ut miracula faceret, ſatis enim antehac a Moyſe, & JESU fuiſſe patrata. Cæterum hanc Sectam nec perſecutionem alicubi paſſam, nec ſub extraneis ſubſtitiſſe Principibus videmus.

§. III.

§. III.

Veræ ergo Religionis Nota est, ut æque sit certa, & supernaturalis. Miracula erant necessaria, ut testarentur, Deum loqui, hominesque, naturæ prodigia, quod essent quotidiana, non mirantes, excitarentur; pariter erat necessarium, ut hæc miracula testibus præsentibus probarentur, ne Fideles imprudenter credere dicerentur, eorumque fides a cœca credulitate differret, qua temere, quidquid prodigii speciem refert, creditur; porro Misericordia Dei, cui, ut infirmitati nostræ succurreret, miracula patrare placuit, eadem in maxima orbis terrarum luce fieri sapientissime disposuit, illis videlicet temporibus, & locis, ubi semel visa, & divulgata nulla unquam oblivione deleri possent. Moyses miracula sua edidit in Ægypto, in illa urbe, quæ erat Regni caput, & Principis sedes: edidit in Regis præsentia, illis temporibus, quibus Ægyptii scientiarum, & morum cultu inter omnes gentes eminebant; testem miraculorum suorum habuit integrum Israelitarum

populum, quem ſervitute liberavit, & cui Leges a ſe ſcriptas in eodem libro, hæc miracula continente, tradidit. JESUS Chriſtus venit tempore Auguſti, ſagaciſſimo, & eruditiſſimo, ſi quod unquam fuit, Imperii Romani ſæculo, & tot Scriptoribus abundanti, ut major ſit rerum illarum notitia, quam inter nos earum, quæ Ludovico juniore regnante contigerunt. JEſus Chriſtus juxta Prophetarum effata in Judæa natus, docuit, & pleraque miracula edidit Jeroſolymæ, Judææ Metropoli, ibi mortuus eſt, & reſurrexit. Chriſti Diſcipuli primum per Romanorum Provincias, deinde per totum mundum diffuſi ſunt; in maximis orbis terrarum urbibus fidem Chriſti prædicare cœperunt, Antiochiæ, Alexandriæ, &, quæ caput totius orbis erat, Romæ; Evangelium annuntiarunt Athenis, Corinthi, per univerſam Græciam, per urbes ſapientiæ mundanæ opinione florentiſſimas, moribus autem corruptiſſimas, & Idololatriæ tenebris ſepultas. Coram facie omnium nationum, Græcorum, Barbarorum, coram

oculis

oculis ſapientium, & ignorantium, Judæorum, & Romanorum, coram Principibus, & plebe, JEſu Chriſti Diſcipuli prodigiorum eorum, quæ oculis ſuis viderant, auribus ſuis audierant, & manibus ſuis contrectaverant, præprimis vero glorioſæ ejus Reſurrectionis teſtimonium perhibuere. Hanc veritatem ſine ullo ſuo commodo, contra omnes prudentiæ humanæ rationes ad ultimum usque ſpiritum profeſſi ſunt, & ad eandem confirmandam ſanguinem, & vitam omnes dedere. Talis fuit Chriſtianæ Religionis ortus.

§. IV.

Jam, quid exinde factum ſit, videamus! num fides rationi adeo repugnans, num Doctrina moralis, hominum cupiditati tantopere adverſa, ætatem ferre potuere? an nullum a Chriſti adventu tempus hanc Doctrinam ignoravit? an nulla docentium fuit interruptio? quomodo hæc fides ad nos usque tranſmiſſa? dicam enimvero; continua Doctorum, & Diſcipulorum ſucceſſione, per libros a ſæculo in ſæculum

ſæculum editos, & de manu ad manum devolutos, per Traditiones, quæ a Patribus ad filios tranſierunt, per comitia ſolemnia in omnibus Provinciis, & urbibus ſuper hujus Religionis quæſtionibus celebrata, per ædificia, & templa hujus Religionis uſui exſtructa, quorum aliqua a mille annis exiſtunt, per hæc, inquam, nullo tempore interrupta, Doctrina, & fides catholica ad nos pervenit. Ex quo SS. Petrus, & Paulus Eccleſiam Romanam fundarunt, nunquam non aliquis Papa, Chriſtianorum Caput, Romæ extitit; nota eſt nobis eorum ſeries, nota eorum Nomina usque ad Innocentium duodecimum. Habemus ſucceſſionem Epiſcoporum Jeroſolymitanorum, Antiochenorum, Alexandrinorum, Conſtantinopolitanorum, & ut propius ad nos redeamus, novimus omnes Epiſcopos, Lugdunenſes a tempore SS. Photini, & Irenæi, Toloſanos a S. Saturnino, Turonenſes, a S. Gatiano, Pariſienſes a S. Dionyſio; in illis etiam Eccleſiis, quarum origo obſcurior eſt, nihilominus Epiſcoporum a mille circiter annis

nis certa est successio. Hoc profecto veræ Religionis fortissimum, & convincens est argumentum: Omnis Ecclesia, quæ ascendendo ad prima sæcula Pastorum suorum seriem semper in communione aliarum Ecclesiarum, inprimis vero Ecclesiæ Romanæ viventium, demonstrare potest, omnis, inquam, Ecclesia, quæ hoc testimonio gaudet, Catholica est. Econtra societates hæreticorum ex eo dignoscuntur, quod, si ad prima tempora reducas, serius, aut citius certum tempus deprehendatur, quo se ab Ecclesia, ex qua ortum traxerant, separarunt. Doctrina nova, aut particularis falsa est; vera autem, quæ semper, & per totam Ecclesiam tradita est. (*)

§. V.

(*) *Fleurius in ipso suæ Præfationis exordio, atque præcipue in præsenti paragrapho, signa veræ Christi Ecclesiæ manifesta soli Romano-Catholicæ convenire, luculenter expressit; hinc Interpres Lutheranus in sua versione germanica Fleurii sensum hac una pagina quater mutatis, aut interjectis verbis corrupit, timens haud dubie, ne tota veritas se Protestantium Lectorum animis insinuaret.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

§. V.

Materiam igitur Historiæ Ecclesiasticæ felix illa Doctrinæ, Disciplinæ, morumque bonorum successio constituit. Si hæc scientia non omnibus æque sit necessaria, nemo tamen est, cui non sit utilissima. Nihil magis Christianum in fide roborat, quam si eandem Doctrinam, quam hodie tenemus, a principio Ecclesiæ tot miraculis, & Martyriis confirmatam legat. Quo Disciplina est antiquior, tanto etiam veneratione est dignior, seu ad orandi formam, vel jejunandi modum, vel administrationem Sacramentorum, aliasve sacras Cæremonias spectet. Denique exempla Sanctorum docent, in quo solida pietas consistat, & vanas nostras excusationes destruunt, dum perfectionem Christianam esse possibilem non verbis, sed suis operibus ostendunt. Hæc tria in hujus historiæ contextu lectoribus meis ante oculos ponere statui, Ecclesiæ Doctrinam, Disciplinam, & mores.

§. VI.

Non scribo, ut vanæ illorum curiositati

tati ſatisfaciam, qui in hiſtoricis nova ſemper facta, & inſolita quærunt, aut tempus fallendi cauſa legunt, ſunt illis hiſtoriæ profanæ, & itineraria. In eorum Chriſtianorum gratiam calamum ſtrinxi, quibus Religio cordi eſt, magis magisque inſtrui cupiunt, & ea, quæ Religio docet, opere complere. Nec etiam Theologis, virisque eruditis ſcribo, hi melius hiſtoriam Eccleſiaſticam in fontibus, ex quibus ipſe hauſi, diſcent, niſi forte quis in hoc ſtudio novitius ad invenienda facilius opera, quæ inſpicere placet, meis citationibus juvari velit. Illis præcipue operam addixi, cujuscunque conditionis ſint, quibus nec commodum eſt, nec vacat, aut requiſita ſcientia deeſt, ut ingentem librorum cumulum evolvant, eſt autem ſincera fides, judicandi vis, & veritatis amor; illis, qui ideo legunt, ut diſcant, & meliores fiant; qui Religionis ſublimitatem, & ſoliditatem, qualis in ſe eſt, cognoſcere deſiderant, ea autem omnia, quæ diverſis temporibus ignorantia, & ſuperſtitio immiſcere tentabat, rejicere. Sunt aliqui præjudiciis irretiti,

&

& anguſti ingenii homines, ſemper illis,
2. Tim. 4. 3. 4. *qui eos errorem dedocere volunt, infenſi, aures a veritate avertentes, ad fabulas converſi, nullos Magiſtros, quam ſibi placentia loquentes audituri; his me non placiturum prævideo; & alios quidem quamplurimos, palato ſuo ſapientes, libros invenient. Ego autem, dum ſcribo idiomate gallico, utilis eſſe percupio permultis ex populo hominibus, judicii vi pollentibus, etiam meo cum periculo, ne latini, vel græci ſermonis elegantiam, aut energiam minime aſſecutus, patriæ vero linguæ amœnitatem corrupiſſe videar.*

§. VII.

Pro certis non niſi teſtimonia illorum Auctorum habeo, qui eodem, quo res geſtæ ſunt, tempore, aut paulo poſt ſcripſerunt; (*) nam ſine Scriptura non diu retine-

(*) *Pater Honoratus, in ſuis animadverſionibus in Regulas, & uſum Critices, Fleurium reprehendit, quod ſicut & alii Critici, Regulas ponat, quas non obſervat. Fatendum, quod, ſi Fleurius huic ſuæ Regulæ de teſtimoniis Auctorum ad litteram voluiſſet inſiſtere, plurima ex ſua Hiſtoria coactus fuiſſet omittere.*

retinetur factorum memoria, longissime duraverit, si ad Sæculum unum extendatur, ex quo vita hominis sexaginta, vel octoginta annis absolvitur. Filius memor esse poterit eorum, quæ Pater, vel Avus ipsius ante quinquaginta annos narravit, ante quinquaginta alios audita, vel visa; quo longius a fonte narratio abest, eo minus certa est, quisquis enim narraverit, de suo etiam non cogitans adjicit. Hinc factorum antiquissimorum traditiones vagæ, nunquam, aut sero scriptæ, infra fidem sunt, multo magis si factis probatis repugnent. Nemo mihi dicat, Historiam scriptam rerum illarum perdi potuisse; nam eodem fundamento, quo quis perdi potuisse affirmaverit, ego aliquando extitisse negavero. Idem habita materiæ ratione de Auctoribus sentiendum, qui res, aliquot Sæculis ante se gestas, narrant; nisi fontes allegent, jure merito nimis facile rumoribus popularibus fidem habuisse credi possunt; si autem Auctor gravis Scriptores se antiquiores nominat, unde sua extraxit, fidem meretur, quam-

vis illorum Scriptorum opera non amplius exſtent; ita Euſebio, de rebus trium primorum Sæculorum ſcribenti, par fides habenda eſt, ac ipſis fontibus, quos adducit, & ſæpenumero ipſa verba refert, quia multos habebat libros, qui a nobis hodie deſiderantur, & ex locis citatis librorum, quos habemus, conſtat, ab Euſebio fideliter fuiſſe allegata. Attamen ſi Auctor antiquus antiquiorem ſe in teſtem adducat, ſemper ille antiquior conſultari debet, quæ cautela multo magis neceſſaria eſt, ſi citans ſit Auctor modernus. Itaque, quamvis Baronius non ſolum Auctores ſuos nominet, ſed etiam integros textus tranſcribat, nolim tamen ejus teſtimonio acquieſcere; qui Hiſtoriam Eccleſiaſticam certam vult addiſcere, fontes inſpiciat, unde Baronius ſua extraxit, idque eo magis eſt neceſſarium, quod nonnulla opera, ut authentica protulerit, quæ poſtmodum, fuiſſe apocrypha, exploratum eſt; ſed & alia diffidentiæ ſubeſt cauſa, quod Verſiones Auctorum Græcorum, quibus uſus eſt, non ſemper ſatis fidæ ſint. His non obſtantibus,

ſtantibus, Baronii Annales maximam Eccleſiæ utilitatem attulere, meque imprimis ejusdem veſtigiis inhæſiſſe fateor; nova vero omnia, quæ abhinc a peritis detecta ſunt, adjicere ſategi.

§. VIII.

Sed nec illis Scriptoribus, qui res ſuo ævo geſtas tradunt, ſine examine fidendum; in hoc enim nobilis illa ars conſiſtit, quam litterati Criticam vocant, & quæ in adducta teſtimonia ſumma induſtria inquirit. Omnium primo conſiderandum, an ſcripta illius partus ſint, cujus Nomen præferunt; multa enim præſertim in primis Sæculis ſuppoſita ſunt. Quisquis ſupra vulgus ſapit, hodie acta S. Petri, quæ a S. Lino, & S. Joannis a Prochoro ſcripta, feruntur, falſa eſſe non ignorat; ſicut etiam Pſeudo-Hegeſippos, aut Decretales primis Pontificibus adſcriptos. Inter opera plerorumque Eccleſiæ Patrum Sermones, aliique Tractatus falſo ſub eorum nomine divulgati fuere. Quando Auctor certus eſt, exami-

nandum, an sit fide dignus, ea prope ratione, qua testes in judicio examinantur. Auctor, cujus judicium deprehenditur esse mediocre, & stilus ad ostentationem comparatus, vel cujus animus odio partium, propriæ causæ favore, aut quocunque affectu iniquo captus est, minorem fidem meretur, quam Auctor gravis, modestus, prudens, de cujus fide integra nemo est, qui dubitet. Scriptores vel valde callidi, vel simplices æquali ferme modo suspecti sunt, his enim ad ea, quæ dicere, & explicare volunt, peritia deest, illi sæpe propriæ mentis partus, & conjecturas pro veritate venditant. Scriptori, qui res gestas vidit, major fides adhibenda est, quam illi, qui ab aliis referri audiit. Cæteris paribus, qui refert res patriæ suæ, aut Regionis, in qua habitabat, præferendus est extero, & ille, qui propria negotia narrat, alteri, qui ad se non pertinentia; nam cuilibet de sua Doctrina, rebus, & Secta scribenti credendum, nemo alius melius ea scire præsumitur. Exterorum, & inimicorum suspecta fides

est,

est, si quid autem, quod parti adversæ favet, scripserint, multum probant. Quæ in Epistolis, aut aliis illius temporis actis inveniuntur, Historicorum narrationibus præponderant. Ex his principiis, cui potius inter Historicos coævos, & discrepantes credendum, determinari possumus; diversæ scriptorum narrationes conciliandæ sunt, si possunt, si non possunt, factumque sit alicujus momenti, ex prædictis regulis, cui potius credas, eligendus est. Non me latet commoditati suæ consulere Historicum, si diversas antiquorum opiniones referat, liberumque lectoribus relinquat judicium; quod autem Historico commodum, sæpe Lectoribus ingratum est; plerique legentium factorum certitudinem quærunt, non legunt, ut studeant, sed ut aliorum studio, & labore fruantur, molestum accidit in dubio relinqui, cum dubitatio parum ab ignorantia differat. Hac ex causa pleraque dubia ommisi, nam certa abundanter suppetebant.

§. IX.

At nec omnia certa, atque probata retuli,

tuli, omnisi, quæ meo proposito erant inutilia, & ad dilucidandam Ecclesiæ Doctrinam, Disciplinam, & mores non facientia. Fateor, quod primorum Sæculorum facta omnia mihi pretiosa, & relatu digna visa sint, hinc excedere malui, quam deficere; etiam simplicis narrationis limites egressus sum, dum antiquorum Scriptorum verba satis multa inserui; nempe considerabam Historiam profanam quoque non consistere solum in narratione factorum externorum, & sensibilium, nec Historico sufficere, si itinera, prælia, expugnationes urbium, mortem, aut nativitatem Principum referat, sed etiam eorum consilia, agendi principia, & finem perpendere, & explicare, quæ Historiæ pars Lectori sapienti solet esse gratissima, semper autem est utilissima; multo minus igitur Religionis Historia in eo consistere potest, ut dies Electionis, aut mortis Pontificum, & Episcoporum notentur, narrentur miracula, Martyrum supplicia, aut Monachorum rigores; hæc omnia quidem Historiæ partes sunt, unum autem

maxime

maxime est necessarium, ut explicetur, quænam, & qualis sit illa fides, quæ tot miraculis comprobatur, tot Martyrum firmatur testimoniis. Non sufficit dicere: Tali tempore, & tali loco celebratum est concilium, aut iste hæreticus damnatus est, sed etiam, quantum fieri potest, hujus hæretici errores sunt explicandi, exponendum quo fuco, quo colore illiniverit, quibus argumentis confutati fuerint. Si quis Historiam Philosophiæ scriberet, narrando Philosophorum vitas, & actiones, muneri suo non satisfaceret, sed etiam eorum dogmata teneretur exponere; atqui Historia Ecclesiastica est veræ Philosophiæ Historia, & præcipuæ illius partes sunt indicare, qualis Doctrina ab Ecclesiæ principio huc usque fuerit tradita, & quæ morum regulæ observatæ.

§. X.

Facta minoris momenti, nec inter se, nec cum fine Historiæ principali cohærentia, negligenda sunt; non decet puerili ostentatione indicare, nihil esse, quod non

legerimus, aut nos lateat; rei caput est, ut horas, quibus vacat, Christianorum ædificationi, & fratrum utilitati consecremus. Facta a materia Religionis aliena non sunt immiscenda, quantumcunque mira, & jucunda videantur; nec imitatione dignus est Platina, qui deficiente materia Primorum Pontificum vitas gestis Imperatorum illius temporis amplificat. Christianorum Principum facta sollicite distinguenda sunt, quædam enim gesserunt ut Principes, quædam ut Christiani. Ex quo Episcopi, & Pontifices negotiis sæcularibus impliciti sunt, aut Principatum temporalem obtinuerunt, a fine suo multum aberraret Historicus Ecclesiasticus, qui ea omnia, quæ non ut Episcopi, & Christiani, sed ut Principes gesserunt, enarraret. Attamen successionem Imperatorum ponere consultum mihi visum, ad servandum Chronologiæ filum; non nunquam facta Historiæ Civilis attuli, fini meo congrua, qualia sunt tragicæ Persecutorum mortes. Sicut facta inutilia rescindenda sunt, ita econtra utilia cum omnibus circumstantiis diligen-

diligenter ſunt referenda. Nec minimam vero circumſtantiam ex meo addere auſus ſum, quamvis fuiſſet valde veroſimilis; Poetarum eſt iſta licentia, at hiſtorici laboris fundamentum eſt, exacta veritas. Hiſtoricum omnes circumſtantias ex primævis Auctoribus diligentiſſime oportet colligere, ut facta magni momenti graphice poſſit depingere, eaque clariſſime Lectorum oculis objicere; non enim delectant ſolum tales picturæ, ſed & maxime utilitatis ſunt, quia fortius legentis mentem rapiunt, profundius memoriæ imprimuntur, & inhærent diutius. Etiamſi compendium Hiſtoriæ tantum ſcriberem, nihilominus facta principaliora modo prædicto deſcriberem, quod ut commodius fieri poſſet, minus utilia prætermitterem; ex hujus regulæ neglectu fieri credidero, tot dari Hiſtoricos, qui ſua ariditate Lectoribus tædium pariunt.

§. XI.

Hunc defectum quidam ſuppleri putant ſtili elegantia, adjectis ſententiis, &

ingenioſis reflexionibus; talibus capiuntur Lectores rudes, qui admirantur, & laudant Hiſtoriam, quam totam ſine tædio perlegere non valent, & cujus facta non retinent. Lectori prudenti nec epithetis, nec magnis phraſibus, nec ingenii, vel ſententiarum luſu, nec iis omnibus, quæ non niſi a Scribente proveniunt, ſatisfit; facta ſolida requirit, de quibus ſuum ferat judicium. Prudens Scriptor non neſciet, fore, ut multi librum ſuum legant, qui meliore, quam ipſe, pollent judicio; ne igitur illos præveniat, nec proprias reflexiones faciendi voluptate privet; ſi materiam legenti præbuerit, ſatisfecit muneri ſuo. Cæterum ſi Hiſtoricus libere de Perſonis, & actionibus judicet, adjunctis Epithetis laudet, vel vituperet, affectum privatum prodit, partibus favet, & ſuſpectus fit. Optimum erit, & conſultiſſimum, ſi in ſimplici narratione ſiſtat, ab initio usque ad finem facta exponat ſine ambagibus, ſine quæſitis tranſitionibus, ſine reflexionibus. Lectoris mens rerum narratione, ac ſi eas oculis cerneret, ita occupetur, ut

neque

neque de ſtilo Scribentis, neque de libro, quem manibus geſtat, neque de ipſo Auctore cogitare vacet. Ita Homerus ſcripſit, ita, ut exemplum dignius afferam, ſcripſere Moyſes, Samuel, & cæteri Sacri Hiſtorici; Quisquis Sacrarum Scripturarum præſtantiam percipere capax eſt, intelliget, Sacros Scriptores in narranda Hiſtoria ad ſummum perfectionis apicem pertigiſſe, tum prudentia in iis, quæ referrent, eligendis, tum in Sermonis vigore, tum Dictionis claritate, & Stili ſimplicitate, quæ omnium gentium fidem ſibi conciliarunt.

§. XII.

Si reflexiones ommittendæ ſunt, multo magis Diſſertationes criticæ, & diſcuſſiones. Poſtquam ædificium perfectum eſt, tabulata, machinæ, fornicum fulcra tolluntur; quamvis enim hæc omnia media initio ad ædificandum fuerint neceſſaria, nec ſine magna induſtria, & impendiis parari potuerint, tamen operi conſummato forent impedimento, & dedecori; ita etiam Hiſtori-

Hiſtoricus ſumma cura facta examinet, & eligat, quæ ſuam Hiſtoriam ingrediantur, nihil inconſiderate vel inſerat, vel rejiciat; cur vero unum aſſumat, & alterum relinquat, rationem reddere publico non debet frequentibus digreſſionibus, Lectori non niſi facta quærenti, moleſtis; præſertim ſi poſt examen facta vel falſa, vel inutilia eſſe deprehenderit, criticæ uſum non ulterius progredi debere exiſtimo, quam ut talia ſilentio prætereantur; quid enim, meo quidem judicio, legenti magis moleſtum accidere poſſit, quam longa Diſſertatione fatigari, qua perlecta, diſcat nihil? Quamvis autem verum ſit, alios Scriptores fuiſſe allucinatos, hujus tamen erroris notitiam Hiſtoriæ partem utilem eſſe non reputo, Rei ſummæ, & factis inſiſto, quæ credenda ſint, vel neganda. Ergo Hiſtoricus totum laborem in ſe ſolum ſuſcipiat, ut Lectorem modo facili, & grato facta utilia doceat; non diffiteor, ſi quis Auctor huic methodo inhæreat, maximam ejus laboris partem in occulto manſuram, at parum ipſius intererit; ſi prudens ſit,

multo

multo minus ſi Chriſtianus, & ab illo ſolo, qui in ſecreto videt, operis ſui mercedem exſpectet.

§. XIII.

In factorum examine duo extrema vitanda ſunt, hinc nimiæ credulitatis, inde Criticæ. At nimiæ credulitatis principium non eſt ſola hominum ſimplicitas; ſunt enim, qui, ſecundum hujus mundi prudentiam ſapientes, nocua calliditate omnia credunt; populum vel non capacem, vel indignum exiſtimant, qui agnoſcat veritatem, eumque in omnibus illis opinionibus, quas nomine Religionis accepit, relinqui, neceſſarium putant, timentes, ne ea, quæ ſolida ſunt, concutiantur, dum reſcinduntur frivola; Revera autem tales ſuperbi Politici maxima ignorantia laborant; cum Religionis ſubſtantiam neſciant, & ignoti nulla ſit cupido; ad eam addiſcendam ſerio animum nunquam advertunt; tota credendi ratio apud tales in his duobus vertitur, quod hæc præjudicia a primis unguiculis imbiberint, iisque Bonum

eorum

eorum temporale ſit annexum; ſolida credendi Evangelio argumenta nunquam examinarunt, nullo, quam ſublimis ſit Chriſtiana morum Doctrina, quam dulcis Bonorum æternorum ſpes, experimento didicerunt; hinc eſt, quod Religionis ſtudium horreant, & fugiant lucem antiquitatis, quam ſibi adverſam ſciunt; ſemper Chriſtianos ita vixiſſe, ſicut ipſi hodie vivunt, ſuaviſſime ſibi perſuadent, quia ad veterum exempla mores ſuos convertere nolunt; quaſi vero aliquando falli prodeſſe poſſit, aut veritas nimia inveſtigandi ſedulitate mutari. Deo Optimo Maximo Laudes ſint, & gratiæ; quod Religio Chriſtiana tot, tantisque tentata fuerit, & probata, ut ei nihil niſi latere, & neſciri timendum ſit.

§. XIV.

Ad aliud nimis credulorum genus pertinent Chriſtiani, ſinceri quidem, ſed debiles, & anxii, qui etiam Religionis umbram venerantur, timentes, ne nimis pauca credant; quibusdam judicii vis deeſt,

alii

alii ſponte oculos claudunt, nec judicandi facultate, quæ ipſis data eſt, uti audent, atque pii Chriſtiani eſſe, putant, quæcunque Auctores Catholici ſcripſerunt, aut rudis populus pro certis habet credere. Ego vero veram pietatem in eo conſiſtere exiſtimo, ut Chriſtianus veritatem, & Religionis puritatem amet, ante omnia autem præcepta moralia in S. Scriptura tradita obſervet. Legimus S. Paulum 1. Tim. 3. 4. c. 4. 7. *ſæpius Titum, & Timotheum monere, ut fabulas devitent, eundemque Apoſtolum prædicare, multos noviſſimis temporibus aures a veritate averſuros, ad fabulas autem convertendos.* 2. Tim. 4. 4. Tit. 1. 14. *Legimus æque a S. Petro rejici doctas fabulas, ac a S. Paulo Traditiones aniles; & merito credendum, S. Petrum, ſicut fabulas Judæorum rejicit, ita etiam fabulas Chriſtianorum fuiſſe damnaturum, ſi jam tunc exſtitiſſent.* 2. Pet. 1. 16. *Verum quid ad hæc timidi, & creduli Chriſtiani? An ſine ſcrupulo tantam auctoritatem reſpuent? An dicent, nunquam inter Chriſtianos fuiſſe fabulas? Hoc dicendo toti antiquitati contradi-*

tradicerent; & vel sola legenda aurea Jacobi de Voragine ad eos convincendos abunde sufficerent. Donatio Constantini Romæ pro fabula habetur. Fabula Johannæ Papissæ, olim a Catholicis credita, hodie a Protestantibus negatur, & refutatur. Baronius, absque dubio bonus Catholicus, multa scripta apocrypha, & fabulas a Metaphraste, & pluribus aliis allatas rejecit.

§. XV.

Ergo Critica est necessaria. Salva Traditionibus debita reverentia, an fide dignæ sint, examinari potest, imo debet, ne propter fabularum admixtionem veræ Traditiones vilescant. Possumus, & debemus inquirere, an miracula certissimis argumentis sint probata, ne contra Deum falsum testimonium dicamus, dum ipsi miracula, quæ non patravit, attribuimus; facta particularia Religioni nec officiunt, nec prosunt; quamvis S. Jacobus nunquam veniisset in Hispaniam, & S. Magdalena in Provinciam, etsi Historiam S. Geor-

S. Georgii, & S. Margaritæ ignoremus, an ideo minus Evangelio ſua conſtat veritas? An ideo minor eſt obligatio credendi S. Trinitatem, & incarnationem? vel tollendi ſuper humeros noſtros crucem noſtram, nosmetipſos abnegandi, omnemque ſpem noſtram in cælo collocandi? Traditiones univerſaliter receptas, ad dogmata fidei, Sacramentorum adminiſtrationem, & pietatis opera ſpectantes, non ſatis poſſumus venerari, earum etiam pleræque in ſcriptis primorum Sæculorum leguntur; attamen hæc veneratio ad omnia facta extendi non debet, quæ aliquorum ignorantia, vel aliorum malitia, qui populorum credulitati illuſerunt, a ſeptem vel octo Sæculis narrari cœperunt, quæ falſa ſunt ſerius, aut citius manifeſtantur, & manifeſtata anſam præbent omnia in dubium revocandi, ipſamque veritatem optime ſtabilitam oppugnandi. Hic eſt prætextus omnium ſpecioſiſſimus, ſub quo Proteſtantes Eccleſiam Catholicam calumniantur. Ipſis perſuadentibus fides facta eſt integris populis, nos Catholicos

JEſum Chriſtum noſtra memoria deleviſſe, ut ejus loco adoremus Sanctos; Religionem Catholicorum in nullo alio conſiſtere, quam cæremoniis externis, cultu imaginum, peregrinationibus Religionis cauſa ſuſceptis, & confraternitatibus; nos denique Sacras Scripturas ſuppreſſiſſe, & pro eis legenda fabuloſa ſubſtituiſſe.

§. XVI.

His præjudiciis imbuti heterodoxi in alterum nimiæ Criticæ extremum delapſi ſunt, ita ut nihil penitus certi, ſed omnia eſſe dubia voluerint; ſed & non nullos Catholicorum maleſana ambitio, qua cæteris doctiores, & ſagaciores haberi cupiebant, in idem extremum pertraxit. Sunt, qui nullum miraculum, nullam revelationem credere audent, ne ſimplicium numero accenſeantur; ſi quorumdam ſuaſionibus obſequi libuiſſet, multa ex hac Hiſtoria fuiſſent expuncta; at ſummo ingenio viri, illisque, qui fortis ingenii laudem omnia negando affectant, multo

ſuperio-

ſuperiores, meliora ſuggeſſerunt; hi enim perpendere me jubebant, omnem tolli Religionem, ſi factorum ſupernaturalium ſubtrahatur fundamentum; totum orbem, Idololatriæ tenebris immerſum, prodigiis magis, quam ratiocinando, & diſputando fuiſſe converſum. Boni ergo Chriſtiani eſt miraculorum exiſtentiam ſine repugnantia credere; quæſtio tantum de facti particularis probationibus moveri debet. Quæ prodigia in Sacra Scriptura referuntur, Auctoritatis omni exceptione majoris ſunt; quæ autem a viris gravitate conſpicuis referuntur, pro referentis auctoritate probabilitatis gradus admittunt. S. Irenæo fides debetur, aſſerenti, ſuo tempore gratias curationum, aliaque miracula, & Prophetiæ donum in Eccleſia Catholica fuiſſe frequentia. S. Cypriano fides debetur, revelationes ſibi, vel aliis hominibus ſuo ævo factas enarranti. Etiam illas, quas Hermas in ſuo Paſtoris libro recitat, ad minimum usque apicem credo; credo revelationes S. Perpetuæ, quarum acta a Tertullia-

no, & S. Augustino citantur; alias pro mensura auctoritatis, qua Scriptores pollebant, credo; nec unquam Protestantibus concedam, auctoritatem scribentium vel eorum pietate, vel professione Monastica minui; certum est econtra, a vera pietate jactantiam, & pravos affectus abesse, nempe omnis mendacii originem, & fontes.

§. XVII.

Alio modo in Critica excedunt, qui nimium conjecturis tribuunt; Erasmus temere quædam S. Augustini scripta rejecit, quia in iis stili diversitatem sibi deprehendere videbatur. Alii vocabula correxerunt, quæ non intelligebant, aut facta negarunt ab aliquo Auctore scripta, quia cum illis, quæ alii Auctores æqualis, vel minoris auctoritatis referebant, combinare non poterant, vel quia cum illa Chronologia, in qua ipsi fallebantur, propter suam imperitiam non valebant conciliare. Omnia sciendi, vel divinandi insatiabilis cupido quorumdam animos incessit;

ceſſit; quisque, ut Criticis ſe antiquioribus ſapientior videretur, ex receptis Hiſtoriis aliquod factum expunxit, vel magni Nominis Auctoribus aliquem librum ſurripuit. Ego faſtidioſa hac Criſi contempta, nec novis, & ſingularibus conjecturis plus juſto fidens, quæ plurimis, optimisque rerum æſtimatoribus probata inveni, amplexus ſum; in hac ſententia obfirmato animo, pro veris ſcripſi, quæ mihi ſatis probata viſa ſunt, eaque ſimpliciter narravi; de rebus illis, quas dubias eſſe judicavi, dixi, ita a quibusdam referri, quando res dubias nihilominus referri dignas credidi, ſæpiſſime autem tales ſilentio preſſi; aptiſſima, ut opinor, arma ſunt, quibus errores innoxios oppugnes, ſi diſſimulaveris; (*) nollem ego unquam ex Cathedra perorans, vel ſcri-

 bens,

(*) *Pater Honoratus putat in dicto opere, ſi quis piam Traditionem falſam exiſtimet, oportere, ut eam palam impugnet. Hic, pace ipſius, judicium Fleurii præplacet; cum enim Fleurius loquatur de erroribus innoxiis, ſi quis publice impugnet, ſemper majus erit periculum ſcandali, quam ſpes utilitatis.*

bens, facta, quæ consentanea veritati non sunt, in medium afferre, quamvis pro veris a populo habeantur; sed nec ea sine necessitate publice impugnare consultum duco. Credat aliquis firmissime S. Jacobum in Hispania prædicasse, aut S. Martialem inter septuaginta duos Discipulos numeratum, num ideo salute periclitabitur? at qui directe in certis locis, coram certis Personis tales opiniones impugnaret, scandalum poneret, audientium animos exacerbaret, & non leviter proximi charitatem læderet; Has igitur opiniones præstat tolerare, & in Scriptis, vel Sermonibus publicis supprimere; satis erit, easdem in privatis colloquiis, ubi auditorem argumentorum nostrorum patientem, & capere valentem sors obtulerit, oppugnare. Ædificare magis, quam destruere studeamus; omnem Doctrinam Historicam, & moralem summa cura investigemus, solidis argumentis stabiliamus, prædicemus super tecta, & videbimus, errores propria infirmitate dissipari, qui hosti aperto, & vim inferenti diutius restitissent.

§. XVIII.

§. XVIII.

Nemo itaque miretur, quare in primo Sæculo tam pauca de S. Virgine, & Apoſtolis memoraverim; omnia ſcripſi, quæ certa eſſe inveni, & minimas etiam particulas de Traditionibus S. Clementis Alexandrini, atque aliis illi tempori proximis Auctoribus collegi; (*) plura ve-

 ro,

(*) *Hic interrogat P. Honoratus:* Nunquid nihil aliud præter iſta de Beatiſſima Virgine hac rati, & conſtantis deprehendit Abbas noſter? Anne Evangeliſtæ facti hujus narratores multa alia de eadem non ſunt perſecuti? *Ad hanc interrogationem jam ante reſponderat Fleurius, ſe nihil rati, & conſtantis teſtimonio Scriptorum primorum Sæculorum inveniſſe. Patris Honorati fuiſſet indicare, quænam illa ſint rata, & conſtantia, a Fleurio omiſſa? Non erat ejus propoſiti, quæ Evangeliſtæ ſcripſerunt, repetere, cum Hiſtoriæ ſuæ initium poſt Domini Noſtri Aſcenſionem faciat; at! otium fuit Fleurio, fabulas de Apollonio inſerere; potuit utique; ſed, quæ Philoſtratus de Apollonio ſcripſit, retulit Fleurius non tanquam certa, & conſtantia, verum ut ea credat, cui credere libuiſſet. At iterum: Sæpius ſuffecit Fleurio teſtimonium Auctoris, poſt aliquot Sæcula ſcribentis. Nempe, ut ſupra dictum, non ſemper ſuas*

ro, quæ Metaphraſtes, Nicephorus, aliique moderni referunt, credat, cuicunque eorum auctoritas ad credendum ſufficit, mihi certe tanti eſſe non videbantur, ut ea relationibus jungerem, quas ex Actis, & Epiſtolis Apoſtolorum deſumpſi. Facto Hiſtorico non ideo major certitudo accedit, vel illud magis veroſimile fit, quod in libris plurimorum Auctorum recentiorum, quorum alter alterius relata deſcripſit, inveniatur; quamquam omnes Doctores, qui hodie luce fruuntur, in hanc ſententiam conſpirarent, Sanctam Virginem ſeptuaginta quinque annis vixiſſe, non ideo tamen hæc opinio magis vera, vel probabilis evaderet, quia in antiquitate non fundatur, & veritas facti ratiocinando non invenitur. Interim, cum homi-

nes

ſuas ipſe regulas Fleurius ad amuſſim ſecutus eſt, & parum auxilii Patri Honorato eſt in hoc argumento, ex quo neſcias, an ſequatur, Fleurio in ſua Hiſtoria Eccleſiaſtica multa facta fuiſſe ponenda, vel ommittenda? Denique ut Hiſtoriarum Scriptor aliquid tanquam certum inſerat, ſæpe non unico, ſed pluribus moveri debet argumentis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nes certitudinem ament, quod Scriptor primus divinando, & dubitando protulit, dicens: Forte ita res contigit, vel, magis pium est hoc credere, quam alterum, secundus dixit, esse verosimile, tertius rem ut certam pronuntiavit, priorum duorum testimonium adducens; subsecuta est credentium turba; quicunque deinde in rei veritatem profundius perspicere, & in fontes inquirere vult, novator audit, & temeritatis incusatur. Eadem est causa, quod paucissima de primis Pontificibus retulerim, & Acta tot Martyrum, fama notissimorum, quorum legenda habentur, omiserim; vera pietas veritatis amans est, & iis contenta, quæ nobis revelare Deo placuit. Nihilominus multis multa nimis Acta Martyrum, & nimis prolixe narrasse videbor, cum tamen non omnia inseruerim, quæ a R. P. Dom Theodorico Ruinartio Benedictino sub nomine: Acta Martyrum sincera, & selecta, habemus, sed aliqua, ubi nihil singulare occurrebat, ommiserim. Hæ sunt Regulæ, quas hanc scribens Historiam

in materiæ, & factorum delectu ſecutus ſum.

§. XIX.

Quod ad modum ſcribendi ſpectat, duas vias video ab Auctoribus tritas, prima integri contextus Scriptorum primævorum exſcribuntur, ita ut Hiſtoricus tantum interloquatur, ut priora ſequentibus connectat; altera via ſola ſubſtantia excerpitur, cæterum ipſa Hiſtoria ſtilo æquali, & continuo componitur; primam viam tenuerunt Centuriatores, & Baronius; eandem Hermantius in vitis ſuis magis ſecutus fuiſſe quam alteram, dici poteſt; videtur eſſe magis ſecura, & ſolida, idem enim prope fit, quod in proceſſu Judiciali, producuntur ſcripta, de quibus Lector per ſeipſum judicet; at qui hac methodo utitur, longus eſſe cogitur, & frequenter eadem repetere, cum enim ſæpe idem factum a diverſis Auctoribus cum diverſis circumſtantiis narretur, omnia exſcribere oportet, ut Lector plene inſtruatur; præterea dum integras

tegras periodos transcribit, omnia stili vitia, quibus Antiqui laborant, quasi adoptat, nempe obscuritatem, prolixitatem, Phrases, & verba superflua, quibus fatigatur Lectoris patientia, omnium autem maxime multiplici dictionis varietate; partes operis etiam ex arte scripti a corpore suo separatæ displicent, nec omnia quæ Historiæ scribendæ serviunt, ipsius Historiæ partes constituere debent, illa enim ex omni Scripturarum genere extrahuntur, puta Discursibus, Panegyricis, Epistolis; quod S. Gregorius Nazianzenus facundissime in oratione funebri S. Basilii dixit, frigidum fit, & tædiosum in medio Historiæ relatum, in qua non ars Rhetoricæ, sed gesta quæruntur; in Panegyricis autem facta perstringuntur potius quam enarrantur, & semper ornatu, & figuris involvuntur, ut sine gravi studio vix erui possint. Ita Lectores Baronii, dum modo facili, & sibi commodo de Historiæ Ecclesiasticæ rebus instrui cupiunt, ad studium, & laborem non exiguum damnantur, cum Baronius Historiæ

Eccle-

Ecclesiasticæ scribendæ partes, & materiam magna solertia conquisiviſſe, & præparaſſe melius dicatur, quam ipſam Hiſtoriam ſcripſiſſe. Si quis vero exiſtimet, hac methodo Lectoribus liberam relinqui judicandi facultatem, fallitur; ſemper enim factorum ſcribendorum, aut textuum extrahendorum electio in poteſtate Hiſtorici eſt, qui ſæpe facta præjudiciis ſuis contraria ſilet, aut Textus, & Verba aliorum Reflexionibus, & Diſſertationibus ſuis, quæ in hac methodo ſunt neceſſariæ, in alium ſenſum trahit, vel ſaltem illorum vim diminuit; nam dum multas aliorum periodos refert, neceſſe eſt loca obſcura explicare, contradictiones tollere, diverſa conciliare, ex quibus omnibus ingens librorum moles coacervatur; quod equidem majus malum eſt, quam multi cogitent, quia huic difficultati Hiſtoriæ, rerumque Eccleſiaſticarum ignorantia originem debet; date enim ex millibus unum, cui ad tanta volumina evolvenda nec facultas deſit, nec voluntas.

§. XX.

§. XX.

Altera methodus est, si scribatur stilo æquali, & non verba antiquorum referantur, sed sensus; hanc tenuere Godavius, Maimburgus, & Historicorum tam antiquorum, quam modernorum plerique; estque haud dubie Lectoribus magis grata, sed non magis veritatis secura; si scribens sit excellenti ingenio, & imaginatione fœcunda, vix se intra angustos veritatis limites continebit, ne aliquid, forte reflexiones, quæ ipsi videbuntur judicio plenæ, concinnas sententias, descriptiones, vel saltem epitheta de suo addat. Inter utramque methodum mediam me ingredi viam putavi, si in scribendo æquali stilo uterer, qui esset narratio continua, servatis tamen, quantum fieri potest, antiquorum verbis, fideliter ex Græco, aut Latino in nostram linguam translatis; nihilominus superflua rescindi, & necessaria, ad quædam loca obscura illustranda, addi posse, salva veritate, credidi. Citationes in margine posui, ut eruditi fidem meam

meam periclitari possint, omnesque, qui huic labori pares sunt, hortor, ut fontes inspiciant, meaque verba cum illis conferant. (*) Propriis Auctorum verbis major vis inest, cumque nihil humani a me alienum putem, in verborum selectu, vel interpretatione sæpius falli potui. Sed, prout dixi, illis imprimis scribo, quibus antiquos Auctores pervolvere non licet, sive id ipsis contingat ex librorum defectu, aut Græci, Latinive Sermonis ignorantia, vel temporis penuria. Quæ Gallicas translationes legere, varios Scriptores conferre, & conciliare non permittit.

§. XXI.

In hujusmodi Lectorum gratiam quibusdam ad formandos mores extractis narrationem interpolavi; gratum me illis facturum credidi, quibus rerum Ecclesiastica-

(*) *His Fleurii verbis, quibus nihil sincerius, illius Scriptoris Belgæ accusatio refellitur, qui libellum edidit, eique titulum imposuit: Mala fides Fleurii in interpretatione SS. Patrum.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

siasticarum lectio non est familiaris, si in uno libro legenda conferrem, quæ aliter nunquam legissent, & quæ tamen scire, eorum non nihil interest, si Religionem tanti, quantum oportet, æstimant. In his extractis multa legent facta ad mores, cæremonias, & traditiones antiquas spectantia, quæ sciri digna sunt, & aliter in lucem proferri vix poterant; qualia illa sunt, quæ ex Apologiis S. Justini, & Tertulliani, aliisque hujus operibus excerpsi; in his textibus demonstrandæ veritati Catholicæ adversus ultimorum Sæculorum hæreticos arma aptissima, & fortissima invenient. Tandem per ea, quæ ex Patribus transtuli, sciri poterit, quales, quantique viri fuerunt, quibus Deus stabiliendæ, defendendæque Religioni uti voluerit, nemo enim ex aliquo alio magis, quam ex iis, quæ fecit, & docuit, cognosci debet. Plura, & longiora in primis Sæculis extraxi, quia ea omnia, quæ in his Sæculis gesta, vel dicta sunt, majori auctoritate pollent, & sequentium omnium sunt fundamentum. Ferreæ frontis sit, oportet,

oportet, qui se Christianum dicat, & constanti eorum, qui Apostolorum Discipuli fuere, traditioni resistat. Cæterum qui primi omnium in Ecclesia scripsere, tam pauci sunt, & pleraque eorum opera tam parum nota, ut propter ipsam raritatem inter pretiosa a multis æstimari possint; nam cui, si eruditissimos excipias, Epistola S. Clementis Papæ, vel liber Pastoris notus est? Verumtamen quæ ex his duobus, & S. Clemente Alexandrino sumpsi ad formandam solidæ pietatis, & Christianæ perfectionis Ideam vel sola sufficiunt, iisdemque invicte probatur, summum Doctrinæ Christianæ, & sanctum circa mores rigorem, non inventum esse Monachorum, aut recentissimorum temporum figmentum. (*)

Hoc

(*) *Clementis Alexandrini Nomen, quem Fleurius Sanctum appellat, non nulli in Martyrologium Romanum novissimæ Editionis anni 1749. a SSmo D. N. Papa Benedicto XIV. castigatæ, inseri exoptabant; id vero obtinere non potuerunt, & cur factum non sit, SSmus Pater in litteris Apostolicis ad Joannem V. Portugalliæ Regem rationem reddere dignatus est.*

Hoc ſolum in transferendis in meam Hiſtoriam aliorum Scriptorum effatis incommodum accidit; nempe operis hujus molem augent, quod tamen, ut magis prodeſſem, breve eſſe exoptaveram.

§. XXII.

Verum fidei formulas, & Conciliorum Canones inter talia extracta, quæ pro arbitrio Hiſtorici poni poſſunt, vel omnitti, non reputo; hæc enim monumenta partibus Hiſtoriæ neceſſariis accenſeo, nam fidei profeſſio ſcripta Religionis, & Eccleſiæ Doctrinam, Canones autem Diſciplinam optime edocent; horum, ut ego quidem arbitror, in Hiſtoria Eccleſiaſtica tanta ratio habenda eſt, quanta in Hiſtoria profana pactorum publicorum, pacis initæ inter Principes, fœderum, Legum, conſtitutionum Politicarum habetur, quorum omnium ſaltem ſummarium referendum. Scio quidem ejusmodi acta apud plurimos non eſſe accepta, ſed nec fabulas ſcribo, nec poema, & Lectores graves, attentosque deſidero. Acta Martyrum re-

ferri neceſſarium mihi viſum, ut nobiliſſima Religionis noſtræ monumenta indelebili modo memoriæ imprimerentur; & quidem retuli in ſua primæva ſimplicitate, quia pleraque inſtrumenta authentica ſunt, quæſtiones, & reſponſiones a Notariis conſcriptæ, quæ in Judicio plenam facerent probationem. Cum hæc non ſine voluptate legerim, ea etiam illis omnibus futura gratiſſima non dubito, qui rebus veris, naturali ſimplicitate narratis, delectantur, nec aliam lectionem Chriſtianorum pietati firmandæ aptiorem novi; hinc eſt, quod profectum, ex hac lectione naſciturum, ſtili æqualitati, & elegantiæ prætulerim. Poſt Martyrum certamina, & Triumphos nihil in Eccleſia ſpecioſius vel majus ſpectaculis Monachorum; ideo ſatis ampla narratione primorum, & clariſſimorum Anachoretarum vitas deſcripſi, & diutius exponendis eorum virtutibus, quam miraculis immoratus ſum; quamvis illorum vitæ ſint ſatis notæ, & omnium manibus terantur, tamen ſi ſilentio præteriiſſem, aliquam me partem hujus Hiſtoriæ principalem

omiſiſſe

omisisse credidissem, quæ non minus mores Christianorum, quam Doctrinam, & Disciplinam complectitur; accedit, quod boni mores aliorum exemplis longe melius, quam generalibus præceptis discantur; nunquam aptius aut clarius mihi hominem depinxeris antea ignotum, quam si ejus dicta, factaque narraveris. Cæterum nemo nova tantum, & quæ alibi nusquam legerit, in hoc libro lecturum se speret.

§. XXIII.

Exordium narrationis a JEsu Christi Nativitate nolui ducere; satis Christianis cognita est illa Historia, nec ullibi melius quam lectione continua Evangeliorum eam doceri possumus; si quis credat, se Christi Historiam melius, quam ibi factum, concinnare posse, imperitus est rei arbiter; ultra id autem, quod in Sacris Scripturis continetur, de Christo Domino nihil, aut ferme nihil scimus. Non ita se res habet circa Historiam Apostolorum, nam præter Acta, multa quoque magni momenti facta in S. Pauli Epistolis, a-

liisque ejusdem ævi Scriptoribus, ut sunt Josephus, & Philo, reperiuntur. Ante omnes alios magni pretii est Josephi Historia, vel ex eo, quod, cum esset Judæus, magna industria Jerosolymæ excidium litteris consignaverit, & ignarus, quid ageret, de JEsu Christi vaticiniis adimpletis testis irrefragabilis extiterit.

§. XXIV.

Ordinem temporum observavi quidem, at non anxie. Non cuilibet licet annales scribere; id quidem Tacitus potuit, quia scripsit facta sibi cum omnibus circumstantiis nota; sed & omnium gestorum, utpote recentium, diem noverat. Annales ergo illarum tantum rerum scribi possunt, quæ nostro ævo acciderunt; ita quidem hodie aliquis Historiam Ecclesiasticam ex tempore Concilii Tridentini, vel etiam Constantiensis scripturus, posset eam in Annales disponere; at, si quis antiquissimorum temporum facta, de quorum die vel anno vix conjicere liceat, aliquorum autem certum tempus penitus ignoret, in

Anna-

Annales redigere velit, is post immensum suum laborem ipse sæpissime falletur, & alios fallet; ita in Annalibus Baronii, summæ industriæ, & vastissimæ eruditionis viri, non modici Chronologiæ errores inventi sunt, & inter alios R. P. Pagius corrigendis quatuor primorum Sæculorum mendis nuper amplum volumen edidit. Neque tamen Baronius tanta diligentia gesta singula ad certos annos reducere potuit, multa, arrepta occasione, inter gesta alterius anni recensuit, nulla assignata die, quia id facere erat impossibile; idipsi evenit, quando recessum SS. Basilii, & Gregorii Nazianzeni ponit anno trecentesimo sexagesimo tertio post obitum Juliani Apostatæ, quem eodem jure quinque, vel sex annis citius potuisset interserere. Interim Lector certitudinis amans huic auctoritati acquiescit, & absque reflexione quodlibet factum illo anno, qui in capite paginæ notatur, contigisse credit. Atqui neque facta illa, de quibus annus, diesque, quo contigerunt, scitur, secundum exactum temporis ordinem

ponere ſemper conſultum eſt; nam ſi ſæpiſſime interrumpatur; valde arida erit narratio, & in particulas minutiſſimas diſſecta, fietque, ut facta non cohærentia ſine delectatione legantur, & brevi rurſus memoria excidant; ſæpe neceſſe erit ſubito ex Oriente in Occidentem, Roma Antiochiam commigrare, jam inceptum in Italia Concilium abrumpere, & ad aliud converti in Africa celebrandum; jam una linea erit interſerenda ad notandam Pontificis, vel Imperatoris mortem; & hæc omnia vel ſine nexu erunt ponenda, vel tranſitionibus, longe quæſitis, aſſuenda, præſtat aliquot annos anticipare, vel ad jam præteritos retrocedere, ut factum notabile a principio ad finem narrando deducatur. Optima narrandi methodus eſt illa, qua res ordine naturæ maxime conformi proponuntur; ſic narrata facile capiuntur, & retinentur. Confuſioni autem ponendo annum, menſem, vel diem præcavetur.

§. XXV.

§. XXV.

Bona fides exigit, ut dies, annusve solummodo tunc ponantur, quando de iis Historico constat; nemo autem Historico onus intolerabile imponat, ut totam vitam suam Chronologiæ studio impendat. Modernorum eruditorum æmulatione factum, ut hodie in Chronologia ea scientia, & certitudo requiratur, cui comparandæ Noemi vita, ultra nongentos annos extensa, non sufficiat. Opus esset, summa cura ad calculos vocare omnes Eclipses, quarum notitiam habemus, eisque debitum locum in periodo Juliana assignare; oporteret omnium nationum Epochas scire, & annorum, mensiumque diversitatem, qua a nobis differunt, eosque cum nostris conferre; necesse esset omnium antiquorum marmorum, & nummorum inscriptiones examinare; fastos Consulares corrigere, omnes signatos dies, quos in Historicis invenimus, inter se conferre, & ad particularia descendendo etiam Chronica, singulosque titulos inspicere. Jam vero, amabo!

quando inquirendi erit finis? Quis me poſt hæc omnia, nullum irrepſiſſe errorem, ſecurum præſtabit? Poteſt denique tam operoſa inquiſitio probari in factis, quorum tempus accurate ſcire multum intereſt; ſæpiſſime autem labor iſte omni caret utilitate. Quanta litigia de ſenſu unius inſcriptionis in lapide, vel in nummo? Quem ſi fuerimus aſſecuti, nihilo erimus doctiores. Quanto molimine inquiritur in ætatem alicujus Imperatoris, & diem ſuæ mortis certiſſimam, aut in alia hujusmodi? Quibus tandem exploratis aliud concluditur nihil, niſi quod Baronius, & Scaliger in hoc puncto fuerint allucinati.

1. Tim. 6. 14. *An non hoc eſt, quod dicit S. Apoſtolus Paulus, prurire in quæſtiones, quæ æmulationes, & rixas pariunt, præterea autem nihil proſunt? facta facilius memoria retinentur, quam factorum tempus; ſæpe de nobiſmet ipſis meminimus hoc nos feciſſe, vel dixiſſe, in tali loco cum tali perſona, hac anni tempeſtate, ipſius tamen anni, vel diei non recordamur. Hiſtoricorum plurimi, imprimis Sacri hanc methodum*

thodum tenuere, annosque, & dies non nisi exigente necessitate apposuere, sicut dies certos Prophetiarum. Multum interest propter Traditionem, ut successionem continuam Paparum, aliorumque Episcoporum, qui in Sedibus Apostolicis successerunt, sciamus, atqui hanc Scriptores antiqui fideliter nobis consignarunt; at cujuslibet Pontificis annos in primis duobus Sæculis determinare, est impossibile, & si etiam possemus, modica tamen exinde resultaret utilitas, cum de illorum Pontificum gestis ferme nihil constet.

§. XXVI.

Ex his rationibus intricatis Chronologiæ quæstionibus involvi nolui, ut plus temporis ipsis factis examinandis, & evidenter probandis suppeteret. Labore eorum, qui me præcesserunt, usus sum, non tamen quasi cæcus eos secutus; Datum apposui, ubi solide probatum videbatur, omisi, quando apparebat esse dubium, facta autem tunc interposui, quando ea contigisse maxime erat verosimile, errores meos,

quamprimum agnoverim, ſemper corrigere paratus. Easdem regulas in Geographicis tenui, illis, qui ſingulariter huic ſtudio ſe dederunt, credidi. In nominandis Provinciis diverſorum temporum rationem habui; in primis Sæculis occurrent vocabula Germania, Gallia, Magna Britannia, Luſitania; nam anacroniſmi argui poſſe putavi, ſi Franciam, vel Angliam appellaſſem Regiones, quo Franci, vel Angli necdum perveniſſent. Majus negotium fecere Nomina propria, quæ nobis non ſunt familiaria; ſatius eſſe duxi, ſi relinquerem integra, ſicut Græce, vel Latine pronuntiantur, quam ſi nimium immutarem, vel difficilioris pronuntiationis redderem. Nomina Dignitatis, functionis, aut certarum rerum, quæ mores tangunt, ſæpe, ſicut in lingua ſua originali ſunt, protuli, & circumlocutione explicare malui, quam ea vocabulis ſimilia ſignificantibus reddere, & noſtros mores nimis ſapientibus; itaque aliquot cohortium Ducem non eo, quo apud nos vocari ſolet nomine, ſed Tribunum dico, eosque, qui reos vincire ſolent, lictores.

res. Diversum Personarum statum non nominibus nostris indico, verum equestres, cives, mancipia voco; denique etiam in verbis, quantum linguæ nostræ genius patiebatur, forte ideo a nonnullis temeritatis incusandus, antiquarum gentium indolem retuli.

§. XXVII.

Ut uno verbo complectar omnia, major mihi cura rerum, quas scriberem, quam dictionis fuit, speroque Lectorem, æqui amantem, eadem mente, qua hanc Historiam scripsi, accepturum, nihil in ea, quam quæ Religionis sunt, desideraturum, & minus in ipso proximum reprehendendi, quam proprii profectus studium fore. Non nulli mali consulunt, quod Historici non omnia litteris mandaverint, quare, inquiunt, tam pauca de Apostolis habemus, de primis eorum Discipulis, de primis Pontificibus? Quare antiqui Scriptores non magis particulariter nobis Cæremonias, Disciplinam, Ecclesiæ Regimen, imo & ipsa Religionis dogmata explicarunt?

Hæ

Hæ fuerunt Centuriatorum querelæ, cæcorum profecto hominum, & non intelligentium, se his querelis Divinæ Providentiæ, & JEsu Christo, perpetuam Ecclesiæ suæ assistentiam promittenti, injuriam facere! profunda Reverentia Sapientiæ incarnatæ consilia adoremus, nec ultra id, quod nobis concedere placuit, postulemus. Non sine gravissima causa, quamvis nobis incognita, factum, quod JEsus Christus nihil omnino scripserit, & Apostoli ejus valde pauca. Septem sunt Apostoli, qui scripto nihil reliquerunt, de quibusdam nihil scimus nisi eorum Nomina; quæ autem in Actis de SS. Petro, & Paulo narrantur, sufficiunt, ut paria de cæteris conjicere debeamus; videmus horum amborum rationem prædicandi Evangelium Judæis, & Gentilibus, doctis, & indoctis; docemur eorum miracula, virtutes, & toleratas ærumnas; si etiam S. Bartholomæi, aut S. Thomæ actiones particulatim nobis essent notæ, non ideo majorem utilitatem referremus, nisi quod sciendi curiositati satisfieret;

tisfieret; est vero curiositas illorum affectuum censui annumeranda, quos coercere Evangelium docet. Econtra Apostolorum silentium insignis nostra Doctrina est, etenim quod a propriæ laudis, & gloriæ cupiditate fuerint alienissimi, hoc ipso infallibili argumento evincitur, ipsis nullam penitus curam fuisse, ut facta sua, & prodigia clarissima post se longæva hominum memoria celebrarentur; satis erat pro Dei gloria, & posterorum instructione, si modica factorum eorum pars nota esset; reliquorum oblivio plus Apostolorum famam auget, quam centum Historiæ, cum nihilominus certum sit, quod populos ad fidem Christi converterint multitudine innumerabiles; tot Ecclesiæ, quas secundo jam Sæculo extitisse videmus per universum mundum, sine prædicante oriri non potuerant, nec casui adscribendum, quod omnes eandem Doctrinam, & eandem Disciplinam servarent. Architecti sapientiam, & operariorum industriam nihil magis, quam ædificii soliditas, & magnificentia probant.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Apostolorum Discipuli eandem nihil scribendi consuetudinem retinuerunt, quod S. Clemens Alexandrinus eorum tempori proximus his verbis memorabilibus testatur: Antiqui nihil scribebant, ne tempus, quod scribendo consumerent, necessariæ aliorum instructioni subtraherent, & requisitum otium esset illis præparandis, quæ dicturi erant. Forte etiam ideo scribere neglexerunt, quod crederent, raro contingere, ut simul uni in scribendo robur, & vis, & in elocutione facundia a natura concederetur. Verba enim facile fluunt, & animos audientium rapiunt, scripta vero rigido Lectorum examini subjiciuntur. Scriptura quidem ad perpetuitatem Doctrinæ servit, dum ad posteros transmittit antiquorum Traditiones, sicut autem ex multis materiis solum ferrum Magnes attrahit, ita soli litterati, quæ scripta sunt, capere possunt. *Hæc S. Clemens. Nullum sane est dubium, magnum antiquarum Scripturarum numerum periisse; præter illa enim,*

Ex Script. elect. n. 27

quorum

quorum Eusebius, & alii mentionem faciunt, magnarum urbium Episcopos, & Pontifices sæpius se consulentibus Epistolas rescripsisse dubitari non potest; quod factum fuisse ex Epistolis S. Cornelii Papæ, quas S. Cypriani, & Eusebii diligentiæ debemus, item S. Julii Papæ in causa S. Athanasii conjicitur. Idipsum vero, quod tot pretiosorum Scriptorum jacturam patimur non sine ordinatione illius Providentiæ fit, sine qua nec passer de arbore in terram cadit.

§. XXIX.

Missis igitur inutilibus desideriis, in iis, quæ habemus, profectum nostrum quæramus, & in hujus Historiæ Ecclesiasticæ serie Doctrinam, Disciplinam, & mores consideremus. Non hic afferuntur ratiocinationes ingeniosæ, aut speciosæ Ideæ, sed facta realia, quæ sive credas, sive non credas, sive æstimes, sive negligas, non ideo minus vera erunt. Hic aliqua Ecclesia perspicitur, continua populorum Fidelium, Pastorum, & Ministrorum successione sine interruptione subsistens, ante faciem

ciem omnium nationum semper visibilis, semper non solum ab Infidelibus nomine Christiano, sed etiam ab omni Secta hæreticorum, & schismaticorum nomine Catholico distincta. Hæc Ecclesia semper professa est, se nihil docere, nisi quod ab initio accepit, & novam omnem Doctrinam rejicere; si aliquando novas decisiones declaret, & novis nominibus utatur, id non fieri, ut nova dogmata proponat; sed ut ea, quæ semper credidit, clarius explicet, & novis hæreticorum inventis remedia convenientia applicet. Cæterum hæc Ecclesia in virtute promissionis sui Fundatoris se credit infallibilem, nec, quæ semel decidit, a privatis examinari permittit. Regula fidei est Revelatio divina non solum in Scripturis contenta, sed etiam in Traditionibus, per quas ipsa Scriptura dignoscitur.

Si Ecclesiæ Disciplinam consideres, ea tota spiritualis, tota cælestis est; est Regimen supra Charitatis fundamentum innixum, cujus finis unicus est utilitas publica, sine ullo Regentium commodo; Rectores

ctores cælitus vocantur, quæ divina vocatio per aliorum Paſtorum electionem, & conſenſum populorum manifeſtatur; propter ſola merita eliguntur, & ſæpiſſime nolentes; ſola charitas, & obedientia in cauſa eſt, quod ſuſcipiant Miniſterium, cujus individui comites ſunt pericula, & labores; inter hæc pericula non minimum eſſe putant vanæ gloriæ, & elationis, qua tentari poſſunt ob affectum, & venerationem populorum, a quibus Dei ipſius vices gerere creduntur. In reverenti gregis ſui amore tota Paſtorum auctoritas conſiſtit, nec Dominationem affectant poteſtatibus Sæculi ſimilem, non adhibita vi obedientiam extorquent, ſed vis eorum in ſorti perſuaſione poſita eſt, vis inquam eorum eſt vitæ Sanctitas, ſana Doctrina, & magna charitas, quam omni obſequiorum, & beneficiorum genere gregi ſuo exhibent; ſic omnium cordibus imperant. (*) Auctoritate ſua non aliter, quam in bonum ovium ſuarum utuntur,

(*) *Anonymus I. dicit; Hic videri Fleurium neſcire velle poteſtatem Eccleſiæ coercendi Fideles, & brachium ſæculare implorandi. Quo-*

tur, videlicet ad convertendos peccatores, reconciliandos inimicos, omnem ætatem, & ſexum intra honeſtatis, & Legum divinarum limites continendum. Sicut corda hominum in poteſtate habent, ita & eorum bona temporalia, quibus oblatis in levamen pauperum utuntur, ipſi pauperes, & ſæpe manibus ſuis laborantes. Quo majore auctoritate valent, eo minorem ſibi ipſis attribuunt, Sacerdotes, & Diaconos fratrum nomine compellant, absque eorum conſilio, & populi participatione nihil magni moliuntur. Epiſcopi ſæpe conveniunt, ut de rebus majoris momenti ſimul deliberent, & ſæpius per litteras, quæ agantur, ſibi communicant; Ita Eccleſia per omnem habitabilem terram diffuſa corpus eſt unicum, cujus membra omnia in fide, & Diſciplina ſunt perfecte unita.

§. XXX.

Talem vitæ rationem humanis principiis non fundari, manifeſtum eſt; Epiſcopi

modo neſciat, quod in ſua Hiſtoria millies factum narrat? Hic non de jure diſputat, ſed primorum Sæculorum imaginem repræſentat.

copi nullo medio temporali, nec divitiis, nec auctoritate, nec Principum, & Magistratuum favore, nec utilitatis in ipsam Religionem redundantis obtentu servare suam Dignitatem contendunt. Bellorum civilium factionibus in Imperio, ubi Principes eliguntur, valde frequentibus implicari se non patiuntur, Dominum, quem sibi divina Providentia, rerum humanarum vices dirigens, imposuerit, libenter accipiunt; Principibus Ethnicis, & Persecutoribus fideliter obediunt, Principibus Christianis haeresi faventibus, vel Disciplinam turbantibus vigore Sacerdotali resistunt; Eorum autem resistentia ultra non progreditur, quam quod ea, quæ contra Deum petuntur, facere renuant, & priusquam in malum consentiant, ipsam mortem sufferant. Episcoporum agendi ratio est recta, & simplex, constans, & plena vigore sine elatione, prudens sine calliditate, aut simulatione. Cælestis hujus Disciplinæ proprietas est sinceritas, cum enim alio non tendat, quam ad docendam veritatem, & implantandas virtutes, nec fraudibus, nec ex-

ternis auxiliis indiget, sed propria firmitate subsistit, quo altius ad antiquitatis originem redieris, eo clariora nobilis hujus simplicitatis, & candoris exempla invenies; ita ut dubitare fas non sit, eandem Apostolos fidelissimis suorum Discipulorum instillasse, dum Ecclesiarum Regimen ipsis commiserunt; si quod aliud arcanum habuissent, quod aperirent, certe communicassent, & tanto temporis tractu latere non potuisset. Nemo dicat, hanc simplicitatem in Apostolis, primisque eorum Discipulis ex educatione inculta, & ruditate proveniisse, si enim in Scriptis S. Pauli, S. Clementis Papæ, S. Ignatii, S. Polycarpi dotes solummodo scribendi naturales consideraveris, non mediocre ingenium, magnamque eruditionem deprehendes; Sæculis sequentibus in sanctissimis viris summam simplicitatem morum cum summo ingenio, & potentissima dicendi vi conjunctam videbis.

§. XXXI.

Non me latet, non omnium Episcoporum vitam, etiam optimis temporibus, his sanctis

ctis Regulis conformem fuisse, & Doctrinæ quidem Ecclesiæ, non vero Disciplinæ puritatem immutabilem perdurasse; quidquid in praxi consistit, partim ab hominum voluntate dependet, eorumque pravitate labefactatur. Interim certum est, primis Sæculis Episcoporum plerosque tales, quales exhibui, fuisse, aliosque, qui tales non erant, Ministerio suo indignos fuisse creditos. Certum est, sequentibus Sæculis hanc antiquam Disciplinam semper pro Regula fuisse propositam, eandemque, quantum per locorum, temporumque circumstantias licuit, fuisse conservatam, vel restitutam. Saltem ubique admirationis fuit, & votorum causa; omnes boni, ut hæc revocaretur, a Deo multis precibus postularunt, easque non fuisse irritas, a duobus jam Sæculis experimur. (*) Hæc sufficiant, ut ad cognoscendam hanc sanctam antiquitatem excitemur, eandemque animis nostris sedulo inculcandam exstimulemur.

(*) *Ex hoc loco satis refutantur Feurii adversarii, qui Disciplinæ hodiernæ contemptorem dicunt.*

§. XXXII.

Ultimum est, quod Lectorem meum rogem, & quod maxime omnium utilitatem respicit, ut in hac Historia Doctrinam moralem Christianam attente consideret; dum libros pios sive antiquos, sive recentiores legimus, sive etiam sancta Evangelia, sæpius in mentem venit, & quasi nobiscum ipsis loquimur: Optima profecto hæc sunt vitæ morumque principia, optimæ, & sanctissimæ Regulæ! at vero num etiam possumus eas ad opus deducere? sitne possibile, hominem ad tantæ perfectionis apicem posse pertingere? *Huic quæstioni in præsenti Historia respondetur, & argumentis irrefragabilibus probatur Christianæ perfectionis possibilitas; namque, quod fit, vel factum est, id haud dubie fieri potuit, & etiam hodie potest, & possunt Christiani hodie cum Dei gratia eadem operari, quæ tot Sancti, qui æque homines erant, operati sunt; de ipsis autem Sanctorum gestis, quæ refero, nullum dubium superesse potest; omnia facta, quæ in hanc*

Historiam

Hiſtoriam contuli, ejusmodi ſunt, ut cum quolibet alio, cujus opera habemus, Hiſtorico de certitudinis palma contendere auſim.

§. XXXIII.

Hic igitur videre erit, excellentiſſima quæque in genere morum a Philoſophis tradita, ab hominibus illiteratis, ab operariis, a ſimplicibus fœminis in rigore litteræ ad opus, & praxin redacta. Videre erit, Legem Moyſis omni humana Philoſophia ſublimiorem per JEſu Chriſti Gratiam ad perfectionis faſtigium perductam; videre erit Chriſtianos, ſolide humiles, honorem, & famam pro nihilo habentes, vitam amantes obſcuram, & a mundo abſconditam; pauperes voluntarios, divitiis legitime poſſeſſis renuntiantes, ſuis ſe bonis ſpoliantes, ut egenos ditarent; Hic diſci poterit manſuetudo, remiſſio injuriarum, Dilectio inimicorum; patientiſſime mortem, & crudeliſſima tormenta tolerare potius, quam veritatem prodere. Hic docetur in viduitate permanere, Virginitatem, virtutem ad hæc usque tempora ignotam, ſervare, quam

Perſonæ utriusque ſexus, quandoque etiam poſt nuptias coluere. Docetur frugalitas, & ſobrietas perpetua, multa jejunia, & rigida, vigiliæ, cilicia, cuncta corpus caſtigandi, & in ſervitutem redigendi remedia. Hæc virtutum exempla repræſentantur, non a pauciſſimis præcellentis ſanctitatis hominibus, ſed ab infinita prope Chriſtianorum multitudine data exhibentur Anachoretæ innumeri, qui, omnibus relictis, in deſerto vivunt, non cum aliorum onere, ſed proximis ſuis largitione eleemoſinæ, & morborum curatione utiliſſimi; viri pravis ſuis affectibus domandis unice intenti, &, quantum in hoc mortali corpore licet, Deo uniti.

Nudis autem verbis meis fidem præſtari non exigo, legite, & judicate.

PRÆ-

PRÆFATIO INTERPRETIS.

§. I.

Fleurius præstitit quod promisit.

Quod Fleurius in sua Præfatione promisit, Amice Lector! in viginti suæ Historiæ Tomulis viriliter præstitit. Nemo facile Historiæ Ecclesiasticæ Naturam, & finem melius perspexit, aut proposito sibi scopo constantius inhæsit. Doctrinam, Disciplinam, & Mores Ecclesiæ, Methodo Historica, tradere animus fuit; & profecto Doctrinam clarissime refert, Disciplinam vero, moresque peritissimo calamo Lectorum suorum oculis, tanquam res præsentes, exponit. Doctrinam Fidei Lector inveniet, ex SS. Scriptoribus, Con-

ciliis universalibus, Apologiis, pro Religione Christiana editis, SS Pontificum Rescriptis collectam, atque tam ex omnium nascentium Hæresum damnatione, quam plurimorum Martyrum effuso sanguine confirmatam. Disciplinam Ecclesiæ, Concilia Universalia, & Provincialia, eorum Canones, Summorum PP. Epistolæ Decretales, Ecclesiæ Romanæ, aliarumque, per totum orbem diffusarum, usus, & consuetudines repræsentant. Mores, veterum præcipue, Christianorum Historicus noster tam graphice exhibet, ut attentus, & Historiæ Ecclesiasticæ studiosus, Lector cum Patribus antiquis in Conciliis adesse, cum Hæreticis disputare, Judicia, Quæstiones, & Tormenta Martyrum conspicere, cum Anachoretis, & Monachis colloqui, & commorari sibi videatur; quippe hæc omnia, suo tempore, & ordine, ut gesta sunt, distributa, familiari, & continuata narratione connectit.

§. II.

Quis fuerit.

Claudius Fleurius natus est Parisiis, Parente Jurisconsulto, anno 1640 Presbyter ordinatus, & informationi Principum

pum Franciæ adhibitus, a Rege Abbatiam Locum-Dei, Ordinis Ciſtercienſis, anno 1689. & poſt aliquot annos Prioratum Argentelienſem, Ordinis S. Benedicti, retulit. Accepto Prioratu, Abbatiam in manus Regis reſignavit. Ab anno 1716. usque ad annum 22. Regi Chriſtianiſſimo, Ludovico XV. a Confeſſionibus fuit, & anno ſequenti, ætatis 83. Naturæ debitum ſolvit. Præter alia minora opera ſcripſit Hiſtoriam præſentem ab Aſcenſione Domini usque ad Sæculi XV. initium, quam D. Fabri usque ad Sæculum XVI. completum continuavit; ſed a Fleurii veſtigiis, methodo, materia longiſſime receſſit. Plura, qui volet, de Fleurio in Niceronio inveniet.

§. III.

Scriptorum de eo Judicium.

Scriptores quatuor mihi noti ſunt, qui in Fleurium calamum acuerunt. Primus eſt R. P. Honoratus a S Maria, Carmelita, Auctor a Sanctiſſimo Patre noſtro Benedicto XIV. laudatus, qui in ſuis Animadverſionibus in Regulas, & uſum Critices pag. 59. dicit: Tandem a

Critices

Critices fructibus arcendæ non sunt multæ Ecclesiasticæ Historiæ, Gallico sermone vulgatæ. Inter has Fleurii Historiam refert; postquam fontes, unde Fleurius Historiam suam desumpsit, indicavit, subjungit: *Ecce tibi! super quæ constructa sit Abbatis Fleurii Historia Ecclesiastica.* In ipsis deinde Animadversionibus ter, quaterve super usum Critices ab eo dissentit, & satis acerbe reprehendit, quod quædam facta de Beatissima Virgine, & SS. Apostolis, quæ Patri Honorato historice certa, & constantia, Fleurio autem non videntur, omiserit. Nihil præterea in toto opere de Fleurio occurrit.

Secundus est Scriptor Anonymus, qui Observationes Theologicas, Historicas, Criticas, in Historiam Ecclesiasticam defuncti Domini Abbatis Fleurii cum Dissertationibus, & in opera SS. Patrum Analysi scripsit. Vir iste Doctissimus, & prudentissimus in suis Annotationibus plurimis, & prolixis Fleurii mentem, & principia nunc probat, nunc reprobat. At quamvis sæpius severissime castiget, magni tamen æsti-

mat,

mat, & in Exordio ſuæ Præfationis laudat in hunc modum: *Opus, in quod Obſervationes ſcribo, tanto favore publice exceptum eſt, ut de eo loqui non niſi laudando, & approbando licere videatur; nihilominus diſſimulare nequeo, me non ſemper cum hoc celebri, & Reverentia digno, Scriptore poſſe conſentire;* dicit etiam, ſe neſcire cur Fleurii Adverſarii eum malæ fidei accuſent, cum veritatem omnibus aliis præpoſuerint. Hunc Fleurii Criticum in Notis Anonymum I. dicam.

Nam ſunt & alii duo Fleurii Critici, quorum unus, itidem Anonymus, ſcripſit in paucis paginis decem obſervationes in univerſam Fleurii Hiſtoriam. Alter R. P. Balduinus, Belga, ut obſervationes Anonymi confirmaret, libellum edidit, cui titulum imponere placuit: *Mala fides Domini Abbatis Fleurii.* Si ea, quæ objiciunt, cum Fleurii verbis conferantur, illico Lectori, præjudiciis libero, apparet, Fleurii ſenſum eſſe longe alium, & illas concluſiones, quas ipſi putant, minime ſequi; Dictiones quo-

quoque vehementia prodit, nimio propriæ opinionis amore turbatos scripsisse. Certe priores duo Fleurii Censores, Viri Catholici, & Doctissimi, scandala, & abominationes, quas ipsi cernere sibi visi sunt, non deprehenderunt. Ut statim hic ex ungue leones liceat agnoscere, primam incusationem adducam. Anonymus II. in Observatione sua prima dicit; infelici suo fato, majorique Lectorum suorum credulorum malo, Fleurium sibi ipsi aut falsa, aut erronea principia finxisse; primum eorum esse, quod dicat: Doctrinam, & Disciplinam Ecclesiæ æquali modo esse immutabiles. Id deducit ex verbis Fleurii in Discursu XVI. ubi dicit; semper in Ecclesia traditum fuisse, tam quoad Disciplinam, quam Doctrinam primorum Sæculorum Traditioni esse inhærendum. Jam videamus, quid dicat in sua mala fide Domini Abbatis Fleurii R. P. Balduinus, qui scripsit, ut ab Anonymo II. dicta confirmaret. Is pag. 250. culpat Fleurium, quod Disciplinam antiquam nimium laudet, quamvis idem Fleurius Lib. II. §. IV. fateatur, Disciplinam pro temporum diversitate posse mutari.

Quod

Quod Anonymus II. ædificat, R. P. Balduinus deſtruit; ubi nunc primum illud, & falſum Principium, ſuper quod peſtilens Hiſtoriæ hujus ædificium fundari Anonymus II. credit? Ad reliqua in Annotationibus breviſſimis ordine, quo occurrent, reſpondebo. Iſtud hic præterire nequeo; ſane R. P. Balduini mentem, qua in Fleurium ſcripſit, vix ſatis capi poſſe. Libello ſuo titulum præfixit: *Mala fides Domini Abbatis Fleurii per textus SS. Patrum, Conciliorum, aliorumque Auctorum Eccleſiaſticorum, quos in ſua Hiſtoria omiſit, truncavit, aut infideliter tranſtulit, demonſtrata.* Et id ipſum in ſuis Notis ſummo, quamvis irrito, conatu probare contendit; nihilominus in fine pag. 259. addit: *Deus aliquando hominum bona, malave conſilia revelabit; ideo non aliter Dominum Fleurium aggreſſus ſum, quam reſpectu operis ejus, & finis, quem libri ejus nobis exhibent, intentionem non diſcutio, quam interne habere potuit, & libenter credo, fuiſſe rectam.* An in ſana Theologia hæc duo conciliari poſſint:

sint: mala fide scribere, & simul recta intentione, hic requirere non vacat; maximæ vero gratiæ R. P. Balduino agendæ pro dato testimonio, quod libenter credat Dominum Abbatem Fleurium nihil mala fide scripsisse; nam argumentum, ab Adversario fatente desumptum, fortissimum est. Est tandem insignis Theologus, qui in Dissertatione Polemica: *Principia meliora de Jurisdictione Ecclesiastica* pag. 84. dicit: *a Fleurio concedi Ecclesiæ Jurisdictionem simpliciter, seu quod in quæstione nominis idem est, propriæ dictam* (nam in hoc quoque puncto Fleurius ab Anonymo II. reprehenditur) & quamvis pag. 86. Fleurii in ferendis judiciis libertatem rigidissime judicet, pro sua prudentia tamen agnoscit, Fleurium tales Anonymi II. Censuras non mereri.

§. IV.

Editio Protestantium.

Illud vero omnino intolerabile, quod Protestantium aliquis Fleurii Historiam, in Sermonem Germanicum translatam, fœde corruperit. Prodiere jam in quarto

quarto Partes quatuor, cum adjectis Interpretis Protestantis Notis, Religioni Catholicæ valde contumeliosis. Textus SS. Patrum, a Fleurio adducti, & Auctoritatem Ecclesiæ Romanæ, Summi Pontificis Primatum, Corporis Christi in Evchariſtia præsentiam, cœteraque, in quibus Protestantes a Catholicis discedunt, dogmata demonstrantes truncantur, mutantur, omittuntur. Has deceptiones vir zelosus, Indiculo Moguntiæ anno 1756. edito, assumpto Philopisti nomine, manifestavit, & ego in Annotationibus, germano idiomate separatim editis, usque ad finem primæ Partis Editionis Lipsiensis castigavi. In hac autem Versione Latina ulterius adulterationes indicare, & Notas, quibus Ecclesiæ Catholicæ illudit, saltem pauculis verbis refellere propositum est.

§. V.

Interpretis Latini Consilium.

Cum Fleurii Historiam vertere jam cœpissem, tanslatio Protestantis ad no-

titiam meam pervenit, & deprehenſæ, cum legerem, depravationes ſtimulos addiderunt, ut cœpto inſiſterem. Bonam præſtantiſſimæ Hiſtoriæ Partem tranſtuli, proſequar, Deo dante, & Notas breviſſimas, partim Hiſtoricas, partim emendatorias (abſit enim, ut errores Fleurii, quibus non caret, defendam) rurſus alias Apologeticas, ubi ejus Adverſarios, cenſuram æquo rigidiorem ferre, bona fide credidero, & tandem in Interpretem Proteſtantem, ut meretur, acerbius caſtigatorias addam. Aliqua jure merito a viris doctis in Fleurio reprehenduntur, non tamen propterea, ejus libros non eſſe utiliſſimos, arbitrantur, multo minus cum Patre Balduino Chriſtianorum manibus excutiendum. Fleurius in ſua Præfatione dicit, ſe non doctis, judicio maturo tamen præditis hominibus ſcribere; fateor, plurima in Hiſtoria Fleuriana occurrere, quæ a vulgo legi non expedit, id autem non ſolum ideo, quod ſinceriſſime, & libere ſcribat, ſed etiam, quod in Hiſtoria Eccleſiaſtica, ipſius rei natura, tales materiæ, puta, de

de omnibus Hæresibus, de abusibus inter Catholicos, quis enim multos extitisse negabit? de vita SS. Pontificum, exempli gratia, in Sæculo X, quas ab omnis generis hominibus legi utile non est, pertractentur. Nullum etiam periculum est, ne homines rudes, tot Tomos, Sermone latino scriptos, emant, aut legant. At viris doctis, præsertim Theologis, & Canonistis, quorum est, Novatorum insultus reprimere, hanc Historiam non solum utilissimam, sed percommodam etiam, & lectu perjucundam existimo. Pauciſſima sunt, quæ viro erudito, & solide Catholico reprehendi digna videbuntur, nulla, quæ offendiculo esse possint; leget sæpissime, neminem unquam a Communione Ecclesiæ Romanæ, Doctrinæ causa, separatum, & orthodoxum fuisse; leget plurimos textus, a Fleurio ex SS. Patribus adductos, quibus Primatum S. Petri, atque Successorum ejus, & Jurisdictionem, omni alia Episcopali superiorem, ex jure divino ortum trahere demonstratur. Certe Regem Christianissimum, Ludovicum XV. cujus Conscientiæ Mo-

derator, & Confeſſarius Abbas Fleurius ab anno 16. hujus Sæculi usque ad annum 22. fuit, Religioni Catholicæ addictiſſimum, & Summorum Pontificum reverentiſſimum tota Europa non ignorat. Denique, ſi quid erratum, ad Superiorum meorum nutum corrigere paratus ſum. Utere mea opella, Lector Benevole! & vale!

APPRO-

APPROBATIO CENSORIS.

Quamvis Fleurii Hiſtoria ab aliquibus Orthodoxis non inique in aliquibus vapulet tanquam non ſatis integra, cum tamen inſuper a Falſario quodam Acatholico & in Auctoris alias celebratisſimi, & in Sanctæ Eccleſiæ Dei præjudicium corruptiſſimo calamo Germanice ſit communicata, Præſens vero Interpres, Vir integerrime Catholicus, qualis per hunc Librum cenſeri debet, eundem Falſarium in Vernaculo jam inſigniter caſtigaverit, & etiamnum in hoc ſuo Opere Latino caſtiget, quemadmodum judicio, ita & ſtylo gravi, ac moderato, nec aliis, quam doctis accommodato, ſimulque univerſalem utiliſſimam eruditionem Latinis, ut Gallicæ Linguæ ita & antiquæ Diſciplinæ Eccleſiaſticæ minus gna-

ris clariſſime proponat, data quoque Facultate ſui Ordinis, non tantum absque periculo Rei Catholicæ, ſed cum inſigni zeloſiſſimi doctiſſimi Auctoris Encomio Luci publicæ prælo eandem Hiſtoriam & Latio communicandam cenſeo. Auguſtæ 29. Dec. 1757.

Franciſcus Joſephus de Handl,
SS. Theol. Lic. Rev. & Sereniſſ. Princ. & Epiſc. Auguſtan. Conſil. Eccleſ. Maj. Pœnit. & Libr. Cenſ. nec non Inſign. Eccleſ. Colleg. ad S. Maur. Canon. & Paroch.

Imprimatur.

Franciſcus Xaverius L. B. Adelmann de Adelmannsfelden, Epiſcopus Mactaritenſis, Eccleſiæ Cathedralis Auguſtanæ Canonicus Capitularis, Rev. & Ser. Principis & Epiſcopi Auguſt. Suffraganeus, Vicarius in Spiritualibus Generalis, & Conſilii Eccleſiaſtici Præſes.

LICEN-

LICENTIA
REVERENDISSIMI
D. D. ABBATIS.

Nos Dei Gratia Benedictus Abbas Ettalensis O. S. P. B. &c. Reverendo Patri Brunoni Parode Monasterii Nostri Professo & p. t. Subpriori Licentiam concedimus, ut Historiæ Ecclesiasticæ Claudii Fleurii Versionem Latinam cum Notis in Lucem edere possit. In cujus Rei Fidem has Litteras manu nostra & Sigillo munitas dedimus in Monasterio Nostro Ettalensi. Die 26. Dec. Anno 1757.

(L.S.)

BENEDICTUS
ABBAS mppr.

CONSPECTUS LIBRORUM.

LIBER I.

§. 1. *Scopus libri primi.* Pag. 1
§. 2. *Electio S. Mathiæ.* 2
§. 3. *Prædicatio Evangelii.* 3
§. 4. *Ecclesia Jerosolymitana. Esseni.* 8
§. 5. *Electio Diaconorum.* 13
§. 6. *Martyrium S. Stephani.* 15
§. 7. *Conversio Samariæ.* 17
§. 8. *Hæresis Simonis Magi.* 19
§. 9. *Apollonius Thyanæus.* 21
§. 10. *Conversio Evnuchi Æthiopis.* 24
§. 11. *Conversio Sauli.* *ibid.*
§. 12. *Relatio Pilati. Mors Tiberii.* 27
§. 13. *Agrippa Rex Judæorum.* 28
§. 14. *Iter S. Pauli. Miracula S. Petri.* 31
§. 15. *Judæi Alexandriæ pessime habiti.* 34
§. 16. *Exitus Herodis Antipæ, & Pilati.* 37
§. 17. *Conversio Cornelii Centurionis.* 39
§. 18. *Caligula vult a Judæis adorari.* 41
§. 19. *Judæorum Alexandrinorum Legatio.* 45
§. 20. *Judæi a Parthis mulctati.* 52

§. 21.

§. 21. *Caligulæ fatum. Claudius Imperator.* 54
§. 22. *Cum Judæis mitius agitur.* 55
§. 23. *Evangelii Dilatatio. Christiani.* 57
§. 24. *Martyrium S. Jacobi. S. Petri Vincula.* 58
§. 25. *Apostoli sparguntur in diversa. Evangelium S. Matthæi.* 60
§. 26. *Reginæ Helenæ, & Filii ejus Izatis Historia.* 63
§. 27. *SS. Pauli, & Barnabæ missio.* 66
§. 28. *Prima S. Petri Epistola. Evangelium S. Marci.* 67
§. 29. *Mors Herodis Agrippæ.* 69
§. 30. *SS. Pauli, & Barnabæ Prædicatio.* 71
§. 31. *Judææ Status.* 75
§. 32. *Primum Jerosolymæ Concilium.* 78
§. 33. *S. Petrus a S. Paulo reprehenditur.* 85
§. 34. *S. Pauli, cum SS. Luca, Sila, & Timotheo itinera.* 86
§. 35. *S. Paulus in Macedonia.* 88
§. 36. *S. Paulus Athenis.* 93
§. 37. *S. Paulus Corinthi.* 96
§. 38. *Evangelium S. Lucæ.* 98
§. 39. *Epistola ad Thessalonicenses.* 99
§. 40. *Seditio Judæorum.* 100
§. 41. *S. Pauli Peregrinationes.* 103
§. 42. *S. Paulus Ephesi.* 105
§. 43. *Claudii obitus. Nero Imperator.* 107
§. 44. *Epistola ad Galatas.* 108
§. 45. *Epistola prima ad Corinthios.* 113
§. 46. *Præcepta de Continentia.* 117
§. 47. *Donum Linguarum, & Prophetiæ.* 124
§. 48. *Tumultus Ephesinus.* 130

§. 49. *Apollonius Thyanæus Epheſi.* 133
§. 50. *S. Paulus in Macedonia. Secunda Epiſtola ad Corinthios.* 138
§. 51. *Epiſtola ad Romanos.* 145
§. 52. *Alia S. Pauli itinera, Troaden, Miletum.* 153
§. 53. *S. Paulus Jeroſolymæ. Captivitas.* 156
§. 54. *Seditiones in Judæa. Sicarii.* 159
§. 55. *S. Paulus Jeroſolymæ captivus.* 162
§. 56. *S. Paulus coram Felice.* 167
§. 57. *S. Paulus coram Feſto.* 170
§. 58. *Seditiones Judæorum.* 174
§. 59. *Profectio S. Pauli in Italiam.* 175
§. 60. *S. Paulus in Maltha, & deinde Romæ.* 179

LIBER II.

§. 1. *Epiſtola ad Philippenſes.* 183
§. 2. *Epiſtola ad Philemonem.* 187
§. 3. *Epiſtola ad Coloſſenſes.* 190
§. 4. *Epiſtola ad Epheſios.* 193
§. 5. *S. Marcus, & Eccleſia Alexandrina.* 195
§. 6. *Therapeutæ.* 196
§. 7. *Epiſtola ad Hebræos.* 201
§. 8. *Martyrium S. Jacobi Jeroſolymæ.* 204
§. 9. *Epiſtola S. Jacobi.* 208
§. 10. *Lamentatio Jeſu, Filii Anani.* 209
§. 11. *Urbis Romæ Incendium. Primi Martyres.* 211
§. 12. *Status Judææ. Albinus. Florus.* 214
§. 13. *Prima Epiſtola ad Timotheum.* 216
§. 14. *Epiſtola ad Titum.* 221
§. 15. *SS. Petrus, & Paulus Romæ.* 222

§. 16. *Prodigia in Judæa visa, & Belli initium.* 223
§. 17. *Judæi in diversis locis trucidati.* 228
§. 18. *Bellum in Judæa Duce Cestio Gallo.* 232
§. 19. *Christiani Jerosolyma discedunt.* 235
§. 20. *Secunda Epistola S. Petri.* 238
§. 21. *Hæresis Nicolaitarum.* 239
§. 22. *Apollonius Romæ.* 241
§. 23. *Simonis Magi interitus.* 245
§. 24. *Secunda Epistola ad Timotheum.* 247
§. 25. *SS. Petri, & Pauli Martyrium.* 247
§. 26. *S. Linus, & S. Clemens, Papæ.* 253
§. 27. *Bellum in Judæa. Vespasianus.* 254
§. 28. *Divisio Judæorum. Zelotæ.* 257
§. 29. *Idumæi in auxilium Zelotis veniunt.* 260
§. 30. *Rebellio in Neronem, & ejus exitus.* 265
§. 31. *Galba, Otto, Vitellius, Imperatores.* 268
§. 32. *Vespasianus Imperator.* 269
§. 33. *Epistola S. Clementis ad Corinthios.* 275
§. 34. *Testimonium de Apostolorum Martyrio.* 278
§. 35. *Ordo in Ministerio Ecclesiastico.* 283
§. 36. *Turbæ Jerosolymitanæ. Titus urbem obsidet.* 289
§. 37. *Dira fames.* 293
§. 38. *Seditiosorum furor.* 298
§. 39. *Mater devorans filium suum.* 302
§. 40. *Capitur Templum, & comburitur.* 304
§. 41. *Belli Judaici finis.* 310
§. 42. *Hæreses. Ebion. Cerinthus. Menander.* 313
§. 43. *Philosophi.* 317
§. 44. *Liber Pastoris. Visiones.* 318
§. 45. *Præcepta Pastoris.* 331
§. 46. *Similitudines Pastoris.* 336

§. 47. *S. Clementis obitus, & opera ejus.* 341
§. 48. *Vespasiani mors. Titus Imperator, & Domitianus.* 343
§. 49. *Apollonius coram Domitiano.* 345
§. 50. *Episcopi Alexandrini, & Romani.* 353
§. 51. *Martyrium S. Joannis, & Ejus Apocalypsis.* 354
§. 52. *Persecutio Domitiani.* 357
§. 53. *Mors Domitiani. Nerva Imperator.* 360
§. 54. *S. Apostoli Joannis actiones ultimæ.* 363
§. 55. *Ejus Evangelium, & Epistolæ.* 367
§. 56. *Epistola S. Judæ.* 372
§. 57. *Epistola S. Barnabæ. Doctrina.* 373
§. 58. *S. Barnabæ Doctrina Moralis.* 379
§. 59. *Nervæ Mors. Trajanus Imperator. Persecutio.* 383

LIBER III.

§. 1. *Martyrium S. Simeonis Jerosolymitani.* 385
§. 2. *Ossenii Hæretici.* 387
§. 3. *Epistola Plinii ad Trajanum.* 389
§. 4. *S. Ignatii Profectio.* 393
§. 5. *Epistola ejus ad Ephesios.* 396
§. 6. *Ad Magnesianos.* 402
§. 7. *Ad Trallenses.* 406
§. 8. *Ad Romanos.* 409
§. 9. *Ad Philadelphios.* 414
§. 10. *Ad Smirnenses.* 417
§. 11. *Ad S. Polycarpum.* 422
§. 12. *Martyrium S. Ignatii.* 425

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

§. 13. *Epistola S. Polycarpi.* 428
§. 14. *Successio Episcoporum.* 432
§. 15. *Papias.* 433
§. 16. *Bellum Judæorum.* 435
§. 17. *Mors Trajani. Adrianus Imperator.* 437
§. 18. *Successio Episcoporum.* *ibid.*
§. 19. *Hæretici. Saturninus, Basilides.* 438
§. 20. *Carpocras. Gnostici.* 442
§. 21. *Calumniæ contra Christianos.* 445
§. 22. *Apologiæ Quadrati, & Aristidis.* 448
§. 23. *Epistola Adriani, Christianis favens.* 449
§. 24. *Seditio Judæorum. Barcoqueba.* 450
§. 25. *Ultima Jerosolymæ destructio.* 452
§. 26. *Hæresis Valentini.* 455
§. 27. *Valentinianorum Theologia. Eones.* 456
§. 28. *Fabulæ de Materia Mundi, & ejus Auctore.* 461
§. 29. *Doctrina Moralis.* 466
§. 30. *Alii Hæretici.* 468
§. 31. *Martyrium Sanctæ Symphorosæ, & Filiorum ejus.* 469
§. 32. *Adriani Mors. Antoninus Imperator.* 471
§. 33. *Successio Episcoporum.* 463
§. 34. *Hæresis Marcionis.* 474
§. 35. *Apelles Hæreticus.* 476
§. 36. *S. Justinus Philosophus Christianus.* 478
§. 37. *Prima ejus Apologia.* 481
§. 38. *Doctrina Christiana.* 487
§. 39. *Probatur ex Prophetiis.* 490
§. 40. *Impietas, & crimina tolerantur.* 492
§. 41. *Baptismus, & Eucharistia.* 495
§. 42. *Martyrium S. Felicitatis.* 499

§. 43.

§. 43. *Quæstio de Paschate. S. Polycarpus Romæ.* 501
§. 44. *Hegesippus.* 503
§. 45. *Mors Antonini. Marcus Aurelius Imperator.* 504
§. 46. *Mors Peregrini Cynici.* 507
§. 47. *Apologia Athenagoræ.* 510
§. 48. *Martyrium S. Polycarpi.* 518
§. 49. *Epistola Ecclesiæ Smyrnensis.* 526
§. 50. *Martyrium S. Ptolomæi, & aliorum.* 529
§. 51. *Secunda S. Justini Apologia.* 532
§. 52. *Dialogus ejus cum Tryphone.* 534
§. 53. *Antiquæ Legis Abolitio.* 538
§. 54. *Fides Christiana probatur.* 544
§. 55. *Quales sint Hæretici.* 549
§. 56. *Judæorum Cæcitas.* 550
§. 57. *Martyrium S. Justini.* 553
§. 58. *S. Dionysius, Episcopus Corinthi.* 557
§. 59. *Successio Episcoporum.* 560

LIBER IV.

§. 1. *Apologia Melitonis.* 563
§. 2. *Epistola Marci Aurelii in Bonum Christianorum.* 566
§. 3. *Alia Melitonis opera.* 567
§. 4. *Scriptores Ecclesiastici.* 569
§. 5. *Hæresis Montani.* 570
§. 6. *Damnantur Montanistæ.* 575
§. 7. *Tractatus Tatiani contra Græcos.* 579
§. 8. *Hæresis Tatiani.* 584
§. 9. *Bardesanes.* 585

§. 10.

§. 10. *Hæretici Marcosiani. &c.* 587
§. 11. *Prodigium Legionis Fulminatricis.* 591
§. 12. *Epistola Martyrum Viennensium, & Lugdunensium.* 594
§. 13. *S. Pothinus.* 599
§. 14. *Martyrum Humilitas, & Charitas.* 602
§. 15. *S. Blandina.* 606
§. 16. *Martyrium S. Epipodii, & S. Alexandri.* 609
§. 17. *Sanctus Irenæus, Episcopus Lugdunensis.* 613
§. 18. *Martyrium S. Symphoriani.* 616
§. 19. *Marcus Aurelius decedit. Commodus Imperator.* 618
§. 20. *Tractatus Theophili ad Autolicum.* 620
§. 21. *Hæresis Hermogenis.* 626
§. 22. *Versio Theodotionis.* 627
§. 23. *Tractatus S. Irenæi contra Hæreticos.* *ibid.*
§. 24. *Miracula, & Prophetiæ.* 630
§. 25. *Ecclesiæ Romanæ Traditio.* 633
§. 26. *Doctrina. Incarnatio. Eucharistia.* 640
§. 27. *Vera Ecclesia.* 643
§. 28. *Liberum Arbitrium.* 646
§. 29. *Martyrium S. Apollonii.* 648
§. 30. *Successio Episcoporum. Serapion Antiochenus.* 649
§. 31. *Pantenus.* 651
§. 32. *Commodi exitus. Pertinax. Julianus. Severus Imperatores.* 652
§. 33. *Theodotus Byzantinus, Hæreticus.* 655
§. 34. *Alii Hæretici.* 659
§. 35. *Auctores Ecclesiastici.* 660
§. 36. *S. Clemens Alexandrinus.* 661
§. 37. *Ejus Pædagogus.* 664

§. 38.

§. 38. *Ejus Stromata.* 671
§. 39. *De Matrimonio.* 673
§. 40. *De Martyrio.* 676
§. 41. *Idea veri Gnostici.* 682
§. 42. *Idea Hæretici.* 691
§. 43. *Quæstio de Paschate. Concilia.* 695
§. 44. *Epistola Polycratis Ephesini.* 696
§. 45. *Epistola S. Irenæi.* 699
§. 46. *S. Narcissus Jerosolymitanus.* 702
§. 47. *Tertullianus. Tractatus Ejus de Baptismo.* 704
§. 48. *De Pœnitentia.* 707
§. 49. *De Oratione.* 710
§. 50. *Libri ad Uxorem.* 711

HISTO-



HISTORIA ECCLESIASTICA

LIBER I.

* *

S. PETRUS, CHRISTI VICARIUS.
TIBERIUS IMPERATOR.

§. I.

Scopus Libri I.

Historiæ meæ Lectorem sufficienter edoctum esse oportet de JEsu Christi Mysteriis, nempe de ejusdem generatione æterna, nativitate prodigiosa in tempore, de ejus vita, miraculis, doctrina, passione, morte, resurrectione, & gloriosa ascensione. Quicunque Sæculum I. A. C. 34.

Sæculum I. A. C. 34.

cunque laborem hanc Hiſtoriam legendi in ſe ſuſcipiet, haud dubie ſacra Evangelia ſæpius devote legerit. Omiſſa ergo illa ſacra Hiſtoria ab actis Apoſtolorum exordior, quæ non ſimpliciter exſcribo, ſed ſubſtantiam extraho, ut inde nanciſcar occaſionem facta aliunde nota adjungendi, ſive ex ipſorum Apoſtolorum epiſtolis, aut ex certa traditione nota ſint. Narratio exacta ibi incipiet, ubi ſacra Scriptura poſt adventum S. Pauli in urbem, in libro ſecundo, deſinit. Annum non pono, niſi quem certum puto, nec ſecundum Chronologiam accuratam, ſed computationem conſuetam, qua annum ab Incarnatione milleſimum ſexcenteſimum nonageſimum numeramus.

S. Petrus Chriſti Vicarius.

§. II.

Electio S. Matthiæ.

Act. 1. 12. Poſt JEſu Chriſti aſcenſionem Apoſtoli Jeroſolymam reverſi ſunt, gaudio repleti, aſcenderuntque in Cœnaculum, ubi poſt paſſionem congregati fuerant. Ibi in oratione perſeverabant cum JEſu Chriſti Diſcipulis, SS. Mulieribus, quæ eum fuerant ſecutæ, ſancta Virgine Maria, Matre ejus, & cognatis. S. Petrus propoſuit eligere alium Apoſtolum, qui Judæ proditori ſubrogaretur; duo præſentabantur, Joſephus Barſabas, dictus Juſtus, &

& Matthias. Cum oraſſent ad Deum, ut oſtenderet, quem elegiſſet, ſortes miſſæ; & ſors cecidit ſuper Matthiam; ergo annumeratus eſt inter Apoſtolos, erantque iterum duodecim. Nempe: Petrus, Joannes, & Jacobus, filii Zebedæi, Andreas frater Petri, Philippus, Thomas, Bartholomæus, Matthæus, Jacobus, filius Alphæi, Simon de Cana, Judas filius Jacobi, & Matthias. De Barſaba juſto narrant, cum aliquando venenum hauſiſſet, nihil mali ei accidiſſe, ſicut Servator illis promiſerat, qui in eum crediturі erant.

Sæculum I. A. C. 34.

Papias ap. Euſeb. III. hiſt. c. ult.

Marc. 16. 18.

§. III.

Prædicatio Evangelii.

Die Pentecoſtes, cum omnes Diſcipuli eſſent in eodem loco, hora tertia, id eſt nona matutina Spiritus S. venit ſuper eos in ignearum linguarum forma, cœperuntque loqui varias linguas, laudantes Deum. Populi, qui undequaque ad diem feſtum Jeroſolymam confluxerant, accurrentes circumſtabant. Erant ibi ex omnibus mundi nationibus, quanquam omnes Religione Judæi. Nam ejusdem nationis reliquiæ a tempore captivitatis Babylonicæ per totum Orientem fuerant diſperſæ, & poſt everſum Perſarum Imperium ab Alexandro, in omnibus provinciis Regum Macedonum, ejus Succeſ-

Act. 2.

Sæculum I. A. C. 34.

sorum, hæserunt. Erant ergo ibi Judæi Parthi, Medi, Elamytæ ex illa Persiæ parte, quæ hebraice Elam, græce Elymais dicebatur. Erant quidam ex Mesopotamia, & omnibus Asiæ minoris provinciis. Ex illa, quæ proprie Asia dicebatur, ex Cappadocia, Ponto, Phrygia, Pamphilia. Erant quidam ex Ægypto, & vicina Lybia, quæ dicebatur Cyrenaica. Erant quidam ex Arabia, ex insula Creta, ex ipsa urbe Romana. Quidam erant Judæi nativitate, quidam proselyti, id est, gentiles ad Religionem Judæorum conversi. Quidam erant Jerosolymitæ, veniebant enim ex omnibus Regionibus, ut ibi habitarent. Alii aderant peregrini propter festum; & hoc anno solito copiosiores advenerant, persuasum sibi habentes, Messiam appariturum. Quippe secundum prophetias, præsertim Danielis, constabat, ejusdem tempus esse completum: hæc erat totius Orientis opinio. Hi populi, ex tot nationibus mixti, in stuporem rapti sunt, cum Apostolos, omnes Galilæos, linguam, quæ cuique eorum propria erat, loquentes audirent.

Act. 2. 9.

Dan. 9. 25.

Joſ. lib. VII. p. 12.

Suet. Vesp. c. 4.

Act. 2. 15. Tum verò S. Petrus ad eos: *Non sunt isti ebrii, ut vos cogitatis, cum non sit nisi hora diei tertia.* Non enim erat in more apud Judæos manducare diebus festis ante preces matutinas peractas, id est, horam sextam, aut meridiem. Sed

Joſ. de vita c. 1020.

Spiritus

Sæculum I. A. C. 34.

Spiritus S. addidit S. Petrus: *effusus est super eos juxta prophetiam Joelis.* Deinde cœpit illis prædicare JEsum Nazarenum, quem crucifixerant, hortatusque est, ut in ejus Nomine baptizari vellent, reciperent remissionem peccatorum, & dona Spiritus S. tria hominum millia hac vice conversa, & baptizata discipulorum numerum auxerunt. Hi perseverabant in doctrina Apostolorum, & eorum instructionibus intendebant. Quotidie simul erant in templo ad orandum, in domibus vero celebrabant fractionem panis, quod significat Eucharistiam, quam non nisi cum fidelibus baptizatis celebrare licebat; tum prandium summebant in lætitia, & simplicitate cordis. Omnes fideles bona sua ad communem massam afferebant, vendebant suas hæreditates, & prout cuique opus erat, distribuebatur.

Joel. 2. 28.

Act. 2. 41.

Per manus Apostolorum magnum miraculorum numerum patrabat Deus, ita, ut omnis populus timore teneretur. Cum S. Petrus, & S. Joannes in templum ascenderent ad horam orationis nonam, id est, tertia pomeridiana, erat tempus Sacrificii vespertini, sedebat ad portam claudus, quadragenariô major, & nunquam ambulaverat. Is ab eis eleemosynam petiit; dixit autem ei Petrus: *Nec aurum, nec argentum est mihi, quod autem*

Jos. XIV. ant. c. 8.

Sæculum I. A. C. 34.

habeo, hoc tibi do: in Nomine JEſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula. Et ſtatim ſanatus eſt, intravit in Templum ambulans, & exultans. Omnis populus ad hoc miraculum concurrit, fuitque hæc S. Petro occaſio altera JEſum Chriſtum prædicandi. Tunc quinquies mille homines ad fidem converſi.

Thalmud. Cod Middoth. cap. 1. n. 2.

Sacrificatores, & templi, id eſt, Levitarum, qui portas diu noctuque cuſtodiebant, Præfectus ſupervenere, cum Sadducæis frementibus, eoquod Apoſtoli JEſum Chriſtum prædicantes, etiam reſurrectionem mortuorum docerent. Igitur apprehenſos carceri mandant. Altera die Sanhedrin convocatum, quod erat ſupremum Judæorum tribunal, conſtans ex cujusque Sacrificatorum turbæ Primoribus, Doctoribus Levitis, & omnium tribuum Senioribus ſeptuaginta, & uno viris. Nec alia ad hoc Concilium deferebantur, quam res ſummi momenti, quales erant unius tribus delictum, vel integræ civitatis, ipſius S. Pontificis, aut falſi Prophetæ. Tunc temporis præcipui erant Annas, Caiphas, Joannes, & Alexander. Annas, aut Ananus erat *Naſi*, quod eſt Præſes. Is fuerat ante aliquos annos S. Pontifex. Tunc enim ad tempus tantummodo SS. Pontifices erant, & Romanorum nutu, plerique ad unicum annum. Nihilominus Caiphas, Annæ gener

Cod. Thalm. Sanhedr. c. 1. §. 5. c. 4. §. 3. 4.

ner, per septennium hac dignitate eminuerat, quod in eo fuit singulare. Idem erat, qui JEsum Christum ad mortem damnaverat, eumque in Concilio tenebat locum, ut Præses secundus dici posset. Joannes erat filius Anani, & Alexander, cognominatus Lysimachus, fraterque Philonis, cujus scripta manibus terimus, erat Judæorum ditissimus. Nec non aderant omnes SS. Pontificis propinqui. Cum consedissent in circulum, medio Præside, producuntur Apostoli, interrogantur, in quo nomine hoc patrarint miraculum? & Petrus plenus Spiritu S. confidenter respondet: *In Nomine JEsu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis.* Constantia hæc Petri, & Joannis admirationi fuit, scientibus, homines esse de plebe, & litterarum rudes. Cum vero miraculum negari non posset, nulla imposita pœna, sed tantum iis præceptum, ne ultra in Nomine JEsu docerent, aut quoquo modo de eo loquerentur. Responderunt Petrus, & Joannes: *Ipsi judicate, si justum est, vobis potius obedire, quam Deo, nos enim quæ vidimus, & audivimus, reticere non possumus.* Sic dimittuntur. Apostoli autem redierunt ad Fidelium conventum, qui, audito, quod factum erat, egerunt gratias Deo, orantes, ut virtutem prædicandi Nomen Domini acciperent, & faciendi miracula, stabiliendæ veritati.

Sæculum I. A. C. 34.

Joſ. II. Bell. 25.

Sæculum I. A.C. 34.

ritati. Facta hac oratione, locus, in quo congregati erant, contremuit, repletique sunt omnes Spiritu sancto.

§. IV.

Ecclesia Jerosolymitana.

Omnibus fidelibus erat cor unum, & anima una, nemo quid suum dicebat, sed omnia bona erant communia, ita ut *Act.* 4. 32. nullus inter eos inveniretur pauper. Qui enim domus, & fundos possidebant, vendebant, & pretium ante Apostolorum pe- *Matth.* 19. 21. des ponebant. Ita fideles se suis bonis *Aug. de Catechiz. c.* 23. abdicabant, ut consilium JEsu Christi exequerentur omnia relinquendi, eumque *Matth.* 24. 34. sequendi, & amplius nihil esset, quod eorum affectum erga urbem infortunatam *Jos. XIII.* 35. foveret, quam scirent ex Prophetia Christi destruendam, totamque regionem vastandam, antequam una generatio præteriret. Cæterum hoc charitatis vinculum, quo uniebantur, erat illud signum, quo Christus præceperat, discipulos suos ab omnibus aliis dignoscendos.

Esseni. Erant à multo tempore etiam Judæi communiter viventes, dicti Esseni, tan- *Philo. quod. tom. pr. liber p.* 876. quam aliis sanctiores; inter omnes enim Judæos hi virtutis opinione præcellebant. *Jos. II. bell. c.* 12. *p.* 705. Magnas urbes vitabant, habitantes in oppidis; eorum labor, agricultura, aut opificia innocua, & mercaturæ & navigationi

operam

operam non dabant. Nolebant mancipia habere, sed alter alteri serviebat. Divitias contemnebant, nec aurum, nec argentum cumulabant, nec vasta prœdia possidebant, necessariis contenti. Non solum mensa, sed & vestiarium commune, & vestitus albi coloris. Plures sub uno tecto degebant. Alii domus suas non reputabant proprias, sed erant omnibus ejusdem sectæ apertæ. Hospitalitatis frequens exercitium, nam etiam ignoti familiariter suscipiebantur. Quod labore manuum comparatum, ad communem usum comportabatur. Magna etiam erat ægrotantium cura. Sæculum I. A. C. 34.

Plerique Essenorum, posthabito matrimonio, in cœlibatu vivebant, & continentia, timentes mulierum perfidiam, & divisiones, quas in familiis alere solent. Aliorum parvulos suscipiebant, quos ad suos mores formarent. Postulantium probatio durabat tribus annis. Primo anno explorabatur eorum continentia, duobus sequentibus aliæ virtutes. Cum ordinem ingrederentur, omnia sua eidem donabant, deinde bonis communibus victuri. Cuilibet communitati œconomus præficiebatur.

Magna erat erga senes reverentia. Magna in moribus modestia, fuga iracundiæ, odium mendacii, & juramenti, si votum exceperis, quo ingredientes

Sæculum I. A. C. 34.

ſtringebantur. Vovebant autem obedientiam Superioribus, & ſi ipſi aliquando Superiores fierent, in nulla re a cæteris ſe diſtincturos. Nihil ſe docturos, quam quod accepiſſent. Nihil ſuæ ſectæ fratribus occultaturos. Exteris vero myſteria ſectæ etiam cum vitæ diſpendio non revelaturos. Unicum ſtudium Philoſophia moralis erat, quam hauriebant ex lege, præcipue diebus ſabbati, in Synagogis pulcherrimo ordine congregati. Unus legebat, alter explicabat. Vigebat obſervatio de rebus prophanis non loquendi ante ſolis ortum, quod tempus orationi dabant. Poſtea a Superioribus ad laborem manuum mittebantur, & laborabant usque ad horam quintam, quæ noſtræ undecimæ meridianæ reſpondet. Tunc conveniebant, ut balneo purificarentur, linteis cincti; oleo autem non ungebantur. In eodem cœnaculo manducabant in ſilentio. Nihil præter panem, & unum coctum ponebatur. Ante, & poſt menſam orabant, tum ad laborem redibant usque ad veſperam. Sobrietatem amabant, majorque pars ad annum centeſimum perveniebat. Diſciplina erat ſumme rigida. Quiscunque gravioris culpæ convictus, communitate ejiciebatur, nec licebat ab aliis ſuſtentationem quærere, ita ut aliqui rerum penuria contabuerint. Sæpe ex miſericordia ſecundo recipiebantur.

Nulli

Nulli nisi in Palæstina Esseni, nec magno numero, forte ad quatuor millia, Judæorum superstitiosissimi, in observatione sabbati, & cæremoniarum legalium scrupulosissimi; nec enim in templum ibant, ut sacrificarent, sed oblationes mittebant, eoquod ipsis purificationes ordinariæ non sufficientes viderentur. Erant inter eos divinationibus dediti, qui per librorum sacrorum studium, quod certæ præparationes præcessissent, futura cognoscere prætendebant. Se etiam Medicinam callere, nec non radicum, lapidumque proprietates venditabant. Omnia fatis dabant, libero arbitrio nihil. Quod semel placuerat, constantissime tenebant, tormentorum, mortisque contemptores, libertatis sectatores zelosissimi. Nullius Domini, nisi Dei solius, patientes. Omnia sufferre parati potius, quam homini obedire. Itaque, quamcunque virtutem fuerint professi, JEsu Christi discipulis multo inferiores erant.

Sæculum I. A. C. 34.

Plin. lib. 5. c. 17.

Jos. XVIII ant. c. 2. p. 617.

Esseni.

Jos. XIII. ant. c. 9. p. 442.

Inter illos, qui hæreditatem vendiderant, ut pretium ad Apostolos ferrent, fuit Josephus Levita ex Cypro, quem Apostoli cognominarunt Barnabam. Alius vero Ananias nomine cum uxore consentiens, vendita hæreditate partem pretii retinuit, reliquum ad Apostolos tulit. Ad quem Petrus: *Quare tentari te passus es a Satana, ut mentireris Spiritui sancto?*

Act. 4. 36.

Act. 5.

statim-

Sæculum I. A. C. 34.

ſtatimque ille corruit mortuus. Tribus poſt horis venit uxor, quæ a Petro interrogata, quanti terram vendidiſſent; eadem, quæ maritus, reſpondit, & Petrus: *Ambo ergo conſenſiſtis, ut tentaretis Spiritum Dei? Ecce! redeuntes, qui maritum ſepelierunt, etiam te ſepelient.* Simul illa ad ejus pedes concidit mortua. Hoc miraculum magni timoris in Eccleſia cauſa fuit. Fideles ordinarie conveniebant ad orationem in templo in porticu Salomonis, ſic dicto, quod Herodes illud reſtituerit olim a Salomone deſtructum, reliqui de populo non audebant ſe jungere, adverſariorum potentiam formidantes. Laudabant tamen, & honorabant, & multitudo fidelium creſcebat in dies. Miracula ab Apoſtolis patrata erant innumera. Ægrotorum ſeries per plateas in ſuis lectis ponebantur, ut ſaltem tranſeuntis umbra Petri ad eos pertingeret. Ex vicinis urbibus languentes, & dæmoniaci afferebantur, & ſanabantur omnes.

Summus Pontifex cum ſuæ factionis Sadducæis iterato Apoſtolos carceri mandari jubet; Sed ab Angelo liberati ſunt. Miſſi ex Concilio, qui eos ex carcere ſiſterent, neminem eorum ibi invenerunt. Erant autem in templo docentes. In Concilium pertractis SS. Pontifex exprobrat: *Nunquid vobis præcepimus, ne doceretis in hoc Nomine?* ſed Petrus, & Apoſtoli:

Oportet

Oportet Deo obedire magis, quam hominibus: cœperuntque asserere JEsum esse Salvatorem. Jamque Judæi superante rabie cogitabant eos interficere; sed unus legis peritorum venerabilis, Gamaliel nomine, aliud suasit dicens: *Si hæc molitio ab hominibus est, dissipabitur, si a Deo, non poteritis resistere.* Placuit consilium, ita ut Apostolos dimitterent, sed flagellatos, addito iterum præcepto ne de Nomine JEsu quidquam loquerentur. Iverunt Apostoli gaudentes, quod digni fuerint inventi pro hoc Nomine contumeliam sustinere. Nec cessarunt singulis diebus in templo, & per domos docere. Sæculum I. A. C. 34.

§. V.

Electio Diaconorum.

Discipuli in dies augebantur, inter quos non modicus Sacrificatorum numerus. Tot inter fideles multi erant Hellenistæ, seu Judæi in Græcia nati linguam Syriacam ignorantes, qua utebantur Palæstini, Græcæ solius gnari. Hi querebantur, in distributionibus ordinariis eorum viduas sperni. Igitur Apostoli, fidelium multitudine convocata, dixerunt: *Æquum non est, ut derelinquamus verbum Dei, & serviamus mensis, sed septem viros bonæ famæ, plenos Spiritu S. & sapientia ex vobis eligite, quos huic operi præfi-*

Act. 6. 7.

Act. 6. 1.

Sæculum I. A. C. 34.

præficiamus, nos vero orationi, & Ministerio verbi vacabimus. Tunc electi Stephanus, Philippus, Prochorus, Nicanor, Timon, Parmenas, & Nicolaus Proselytus Antiochenus. Omnia nomina græca sunt, eosque omnes fuisse Helleniſtas credibile. Hi Apostolis oblati sunt, qui orantes imposuerunt eis manus. Hic habemus primos Diaconos. Ipsorum curæ demandatum, alere pauperes, & in Ecclesia, ubi tum omnia erant communia, cujuslibet sustentationi necessaria distribuere. Insuper eorum erat mensæ sacræ inservire, seu Eucharistiæ administrationi. Nec non oblata occasione Evangelium prædicabant.

Euseb. Chron. ann. 34. *Id. L.* 11. *hist. c.* 1.

Tunc creditur Apostolus Jacobus, justus cognominatus, primus Jerosolymorum Episcopus constitutus. Dicebatur frater Domini, utpote JEsu Christi cognatus, Alphæi filius, & Mariæ Beatissimæ Virginis sororis. Petrus, & duo filii Zebedæi Jacobus, & Joannes eum in Episcopum crearunt, omni deposita æmulatione, nec alicujus inter cæteros eminentiæ, cujus tot testimonia a Domino acceperant, avidi. Ajunt ejus frontem in Dignitatis signum auri lamina ornatam. Sanctus fuit, id est, ab utero matris Deo sacer; nunquam bibit vinum, nec carnes manducavit; semper a novacula intactus, nec balneo, nec unguento aliquando usus;

Epiph. hær. 29. *n.* 4. *Hier. de Script. in Jac.*

S. Jacobus Jerosolymorum Episcopus.

usus; quod magna certe austeritas in regione calida. Soli licebat sanctuarium intrare, nunquam lanea, sed linea veste tecto. Inveniebatur in templo genuflexus pro populo deprecans, ita ut ex orationis protractione genua ejus, ut cameli, obcalluerint. Ob virtutis excellentiam justus dictus est, Syriace *oblia*, id est, agger populi; seu potius *ophlia*, quod est Dei munimentum. Gubernavit Ecclesiam Jerosolymitanam viginti novem annis. Sæculum I. A. C. 34.

Hegesip. 5. hist. ap. Eus. 11. hist. c. 23.

§. VI.

Martyrium S. Stephani.

S. Stephanus, Diaconorum primus, plenus gratia, & fortitudine edebat magna miracula, libere prædicans JEsum Christum. Ideo quidam Judæorum ex provinciis insurrexerunt in eum. Erant quidam eorum libertini, quod est, ex servitute manumissi; nam tales a Romanis in Italiam servi abducti fuerant, postea libertate donati. Erant aliqui Cyrenæi, illorum nempe posteritas, quos Ptolomæorum primus in illam Africæ partem transtulerat, aliqui denique ex Alexandria, ex Cilicia, & Asia. Cum S. Stephano resistere disputando non possent; falsos testes excitarunt, qui eum blasphemiæ in Moysen, & Deum accusarent; dixisse

Martyrium S. Stephani.

Act. 6. 8.

Jos. cont. App. l. 2. p. 1603.

Sæculum I. A. C. 34.

dixisse JEsum Nazarenum locum sanctum eversurum, & traditiones mutaturum. Ergo capitur, & in Concilium adducitur, ubi doctrinæ suæ rationem exposuit, demonstrans ex historia populi electi, a tempore Abraham, & Prophetarum testimoniis, veram Religionem non esse terræ sanctæ affixam, aut templo. Judæos, a Deo missos liberatores, semper rejecisse; & Dei Spiritui semper restitisse. Hac oratione in furorem acti, extra urbem tractum, lapidaverunt; hoc enim erat solitum blasphemiæ, & seductionis supplicium.

Act. 7. 1.

Lev. 24. 14.

Cod. Tal. Sanhed. c. VII. n. 4.

Inter alios summe in Stephanum exarserat homo juvenis ex Cilicia, nomine Saulus. Is testium pallia custodivit, qui juxta legem primi lapides in reum mittebant. S. Stephanus moriens in genua procidit, voce magna clamans: Domine! ne imputes illis hoc peccatum. Fuit primus Martyrum, græce testis, cum primus omnium in testimonium Doctrinæ JEsu Christi mortuus sit. Viri pii eum sepeliverunt magno luctu, eoquod scirent eundem contra fas condemnatum, qui enim secundum legem erant damnati, Patrum sepultura, & consueto luctu privabantur. Ajunt, quosdam lapides, quibus S. Stephanus fuit impetitus, a fidelibus reservatos in rei memoriam.

Deut. 17. 7.

Sanhed. c. 5. n. 4.

Act. 8. 2.

Sanhed. c. 6. n. 5. 6.

Aug. ser. 32. de div. alias 323. n. 2.

Interim

Sæculum I. A. C. 34.

Interim magna perſecutione in Eccleſia Jeroſolymæ orta, Fideles, exceptis Apoſtolis, per Judæam, & Samariam diſperſi. Multi etiam Jeroſolymæ incarcerati, multi necati, id cum aliis ſuadente Saulo. Ipſo auctore, impetrata ad id ipſum poteſtate a Principe Sacerdotum, multi puniti, multi Nomen JEſu Chriſti blaſphemare coacti; intrabat domos, quoscumque comprehendens viros, & mulieres, vinculis dandos. Sic diviſi fideles non tantùm per Palæſtinam, ſed etiam Phœniciam, Cyprum, & usque Antiochiam quaſi latius ſparſum ſemen facti ſunt, ut fructus multiplicarentur; ubicunque enim annuntiabant Evangelium, hactenus tamen ſolis Judæis. Diſcipulorum unus Ananias Damaſcum venit, ibique fidelium Eccleſiam congregavit.

Act. 8. 1.
Act. 26. 10.
Act. 8. 3.
Act. 11. 19.
Athan. hom. de ſem. p. 1062.

§. VII.

Converſio Samariæ.

Philippus, Diaconorum ſecundus, Samariæ JEſum Chriſtum prædicabat; quamvis enim Samaritani a Judæis haberentur hæretici, tamen inter gentiles non reputabantur. Servabant circumciſionem, cultumque veri Dei juxta legem Moyſis profitebantur. Ingentibus prodigiis Philippus Samaritanorum animos in ſe convertit; multi baptizati, & tota civi-

Act. 8.

Sæculum I. A.C. 34.

civitas gaudio repleta. Erat Samariæ quidam Simon de Gitton oriundus & eadem Provincia. Is arti Magicæ deditus, seipsum magnum faciebat, suisque præstigiis diu populo illuserat, ita ut ab omnibus audiretur, vocareturque Dei virtus. Tum quidem cum aliis baptizatus est, miraculorum novitate permotus. Apostoli Jerosolymæ audientes, Samariam recepisse verbum Dei, illuc sanctos Petrum, & Joannem miserunt, qui orantes imposuerunt eis manus, ut acciperent S. Spiritum; erant enim tantum baptizati.

Just. 2. Ap. p. 69. edit. 1615.

Cum ergo Simon Magus videret, quod per impositionem manuum Apostolorum Spiritus S. acciperetur; & quidem tunc temporis sensibiliter in donis linguarum, curationum, & aliorum miraculorum, his portentis illectus, obtulit Apostolis pecuniam, dicens: *Date etiam mihi hanc potestatem, ut, quibuscunque manus imposuero, accipiant Spiritum S.* cui Petrus: *pereat pecunia tua tecum, qui putasti donum Dei pretio comparari posse;* & hortatus est eum ad pœnitentiam. Simon vero non solum non est conversus, sed Nomine JEsu Christi abutebatur, ut formaret sectam particularem. Is fuit potentissimus Apostolorum adversarius, & primæ hæresis auctor.

§. VIII.

§. VIII.

Sæculum I.
A. C. 34.

Hæresis Simonis Magi.

Is seipsum supremam illam Potentiam dicebat, quæ ab hominibus, prout vellent, nominari patiebatur: Se inter Judæos apparuisse ut Filium, in Samaria ut Patrem, apud alias nationes, ut Spiritum sanctum. Quamdam mulierem nomine Helenam, aut Selenem, quod dicitur Luna, circumducebat, quam Tyri prostitutum mancipium emerat. Hanc primam sui intellectus conceptionem dicebat, rerum omnium matrem, per quam Angelos, & Archangelos condidisset. Hanc conceptionem a se egressam, suæque voluntatis conscium, in terras delapsam, Angelos, & Potestates genuisse; ab his Angelis invidia urente Matrem, vi detentam, libertate privatam, ne ab alio producti viderentur. Se vero Patrem iis prorsus fuisse incognitum. Eandem conceptionem sic a filiis detentam, omnis generis contumeliis affectam, ne ad Patrem redire posset, corpori fuisse inclusam, ita ut de sæculo in sæculum in multarum fœminarum corpora transiisset, tanquam ex uno vase in alterum. Eam fuisse formosam Helenam, belli Trojani causam. Poetam Stesicoram ideo oculorum lumine privatum, quod ejus famam læsisset, iterumque recepisse, quam primum,

Iren. l. 1. c. 20. p. 115. edit. 1639.
Just. ibid.
Orig. in Cels. l. V. p. 272.

Sæculum I. A. C. 34.

facti pœnitens, notissimam in ejus honorem palinodiam cantasset. Denique ex corporibus in corpora transmigrando ad eam deveniisse infamiam, ut publice prostitueretur. Hanc esse ovem perditam, pro qua venisset in mundum, seque hominibus conspicuum feciisset, ut eam primum, & deinde alios salvaret.

Nam, superaddebat: *Cum mundum ab angelis male gubernari mihi compertum esset, & quemlibet eorum affectare primatum; veni, ut remedium ferrem, sub Virtutum, Potestatum, & Angelorum figura descendens, apparui inter homines homo, cum non essem homo; visus sum in Judæa pati, cum reipsa non paterer. Prophetas Angeli auctores mundi inspirarunt; ideo, qui in me, & Helenam credunt, iis ultra non adhæreant. Faciant, quod lubet, quod homines liberos decet. Non enim bonis operibus, sed mea gratia homines salvantur, cum non dentur opera, sua natura bona, sed aliunde, & ex Angelorum, qui mundum creaverunt, institutione, qui hominibus, ut eos in servitutem redigerent, præcepta posuerunt. Ideo destruam, quæ mundi sunt, & meos ab eorum servitute liberabo.*

Orig. cont. Cels. lib. VI. p. 282.

Hæc fuit doctrina Simonis Magi. Ut sibi plures discipulos conciliaret, eosque mortis metu, cui Christiani erant expositi, exoneraret, licere in causa Idololatriæ

triæ indifferentem esse docuit. Ipse a sectariis sub Jovis specie, & sub figura Minervæ Helena adorabantur. Eorum sacrificuli in omnem licentiam effusi, magiæ, incantationibus, veneficiis amatoriis, somniorum interpretationibus cunctisque vanis observationibus vacabant. Hujus sectæ, nunquam persecutionem passæ, nihilominus ducentos post annos nullum vestigium superfuit. Sæculum I. A.C. 34.

§. IX.

Apollonius Thianæus.

Illo tempore circa finem regni Tyberii, aut initium Caligulæ, celebris impostor Antiochiam venit, nomine Apollonius; quem pagani Apostolis, & JEsu Christo opponere non erubuerunt. Natus erat Thianæ in Cappadocia ex antiqua, & opulenta familia, magno ingenio, & excellenti memoria, linguæ Græcæ peritissimus, tali corporis specie, ut omnium in se attraheret oculos. Anno ætatis decimo quarto Tarsum Ciliciæ missus est a patre, ut eloquentiæ studeret; sed præplacuit Philosophia, & inter sectas Pythagorica, quam anno decimo sexto profitebatur. Carnibus vesci respuit, utpote cibis ingenium, & sanguinem spissantibus, sed solis oleribus, & leguminibus. Vinum non damnabat, abstinebat tamen, *Philost. vita Apoll. lib. 1. c. 3. 4.*

Sæculum I, A. C. 34.

tanquam potu serenitatem animi obfuscare apto. Nudis incedebat pedibus, linea tantum veste usus, ne quid attingeret, quod ab animali proveniret. Capillitium alebat, in templo Æsculapii habitans, cui Deo in amoribus esse, credi ambiebat, illumque in sua præsentia ægrotos curare facilius. Undequaque ad hunc juvenem erat concursus.

Terrenorum contemptum ostendit, media bonorum parte fratri natu majori relicta, majorique alterius medii portione in indigentes proximos sparsa, paucis sibi servatis. A nuptiis abhorruit, continentiam professus; non omnem tamen amoris impudici suspicionem, & incusationem effugit. Quinque annis silentium tenuit. Nec ideo hæsit in latebris, sed cum amicis Pamphiliam, & Ciliciam perambulavit. Seditiones exortas compescuit a populo visus tantùm, signis enim loquebatur, & urgente necessitate paucula verba scribebat.

Post quinque annorum silentium Antiochiam venit, cœpitque loqui apud illos, quos rationis capaciores sentiebat, cum aliorum contemptu. Stilus ejus nec poetice elevatus, nec cum affectatione politus. Non ironiis, non ambagibus utebatur, ut caperet auditores, qui mos Socrati fuerat. Decisive pronuntiabat: Scio: Videtur mihi: Sciendum est.

est. Sententiæ, instar oraculorum, breves, & solidæ, verba in propria significatione accepta. *Non inquiro veritatem*, ajebat, *ut alii Philosophi, quæsivi eam, dum essem junior, quærendi tempus jam non est, sed docendi. Sapientem, ut Legislatorem, qui aliis præcipit, loqui decet ea, quæ ipsi perspicua sunt.* Hanc docendi rationem Antiochiæ tenuit Apollonius, qua homines, alias a scientiarum amore remotissimos, attrahebat. Cum enim observasset Philosophos ob vanitatem eorum despectui habitos, se hominem simulavit Diis charum, cui ipsi, quæ doceret, suggessissent. Graviter differere solitus de Religione apud illos, quibuscum agebat, Ethnicos recepta. Sæculum I. A. C. 34.

Longis dein peregrinationibus ad Brachmanos Indorum perrexit, ut eorum mores periclitaretur, & in transitu Persarum Magos videret. Ninive quidam Damis ei junctus est, individuus deinceps comes, qui ejus verba, & actiones omnes scripsit; de his autem relationibus ad nos nihil, præter a Sophista Philostrato annis ducentis posteriore collecta, pervenit. Quam autem sint fabulosa, & a gravitate Evangelica aliena, legentibus patet.

Sæculum I.
A. C. 34.

§. X.

Conversio Evnuchi Æthiopis.

Act. 8. 25. Apostoli, postquam Samariæ fidem prædicaverant, Jerosolymam revertentes, per omnem Samaritanorum Regionem docebant. Philippo Diacono autem per Angelum præcepit Deus, versus meridiem iret Gazam, percelebrem olim urbem, sed a tempore, quo eam depopulatus est Alexander, desertam. Ibi Philippus Evnuchum invenit, Candacis Reginæ Æthiopiæ thesauris Præfectum, qui Jerosolymis redibat, quo venerat, ut adoraret; quod forte esset Proselytus. Junctus ei Philippus, occasione arrepta ex loco Isaiæ Prophetæ, quem Evnuchus legebat, non intelligens, eum in fide JEsu Christi instruxit, & credentem baptizavit. Evnuchus pergens viam suam gaudens, ubi in Æthiopiam venit, JEsum Christum annuntiavit, sicut audiverat. Interim Philippus a Spiritu ablatus est, & inventus in Azoto, unde Cæsaream transivit in omni civitate prædicans Evangelium.

Strabo l. 16. *p.* 759.

Irenæus l. 3. *c.* 12. *p.* 265. *& l.* 4. *c.* 40. *p.* 379.

§. XI.

Conversio Sauli.

Act. 9. Saulus vero Christi Discipulos persequebatur, minas spirans, & sanguinem. Erat de Tribu Benjamin, natus in Tarsis, Ciliciæ

Ciliciæ Metropoli, ubi Græcorum scientiis imbui potuerat, quæ ibi sicut Alexandriæ, & Athenis docebantur; Jerusalem venerat, ut legem, & Judæorum traditiones disceret Doctore Gamaliel. Secta erat Pharisæus, & suæ Religionis, si quis unquam Judæorum, æmulator. Petiit a S. Pontifice epistolas ad Synagogas Damasci, ut si inveniret Christi Discipulos, vinctos duceret in Jerusalem.

Sæculum I. A. C. 34.

Strabo. l. 4. p. 673.

Cum appropinquaret Damasco, subito in meridie circumfunditur cœlesti luce, quæ solis radios superabat, & cum omnibus suis humi prosternitur. Tum vocem audit hebraice sibi dicentem: *Saule! Saule! cur me persequeris?* Ipse: *Quis es Domine?* Vox vero: *Ego sum JEsus, quem tu persequeris.* Tum Saulus tremens: *Domine! quid me vis facere? Surge!* ait Dominus; *intra civitatem, & dicetur tibi, quid debeas facere; apparui tibi enim, ut te constituam Ministrum, & testem eorum, quæ vidisti, & quæ ostendam tibi. Liberabo te de nationibus, & populis, ad quos te mitto, ut aperias oculos eorum, & de tenebris ad lucem reducas, & de potestate Satanæ ad Deum; ut accipiant remissionem peccatorum, & partem sanctorum credentes in me.*

Act. 22. 6.
Act. 26. 13.

Qui in Sauli comitatu erant, stupefacti, viderunt quidem lucem, & audierunt vocem confusam, sed nec sensum verbo-

Sæculum I. A. C. 34.

rum percipere, nec loquentem videre potuerunt. Ipse surgens, apertis oculis nihil videbat. Ductus est Damascum, ubi triduo fuit neque bibens, neque manducans. Toto hoc tempore orans, visus est sibi videre hominem, Ananiam nomine, intrantem, & imponentem sibi manus, ut visum reciperet. Hic Ananias erat JEsu Christi discipulus, Damasci habitans, cujus jussu venit in domum, ubi erat Saulus, & imposuit ei manus, dicens: *Frater Saule! Respice. Dominus JEsus, qui tibi in via apparuit, misit me, ut visum reciperes, & replearis Spiritu S.* Tunc ex Sauli oculis ceciderunt quasi squammæ, & respexit in Ananiam, qui ait: *A Deo Patrum nostrorum prædestinatus es, ut videres Justum,* id est, JEsum Christum, *& ex proprio ejus ore mandata acciperes; eris enim ipsi testis coram omnibus hominibus eorum quæ vidisti, & audisti. Modo autem quid moraris? Surge, baptizare, & deleantur peccata tua per invocationem Nominis ejus.*

Act. 22. 14.

Saulus igitur baptizatus, & deinde pane refectus, mansit aliquot dies cum Discipulis, qui erant Damasci; statimque cœpit prædicare in Synagogis, JEsum esse Filium Dei, & Christum, confundens Judæos. Omnibus tanta mutatio admirationi fuit. Post aliquod tempus Damasci peractum, in vicinam Arabiam ivit,

Gal. 1. 17.

unde

unde redux longo tempore Damasci mansit. Non Saulo tantum mandatum dederant Judæi, ut fideles persequeretur, elegerunt viros, eosque in omnem terram miserunt, qui dicerent: nullum ab hac secta Deum coli, & alias in eos calumnias spargerent, quæ apud gentiles fidem invenerunt. Credibile est, eos id faciendi occasionem sumpsisse ex eo, quod Judæis mos esset, fratribus in omnes provincias eorum nomina scribere, qui pœna capitis fuerant puniti.

Sæculum I. A. C. 34.

Just. Tryph. p. 234. Sanhedrin. c. X. n. 4.

§. XII.

Relatio Pilati. Mors Tiberii.

Idem mos apud Romanos vigebat, ut Provinciarum Rectores ad Imperatorem referrent sumpta de reis supra vulgus supplicia. Ergo Pilatus ad Tiberium scripsit, quæcunque cum JEsu Nazareno contigerant, & condemnationis acta misit. Illico Imperatori persuasum, JEsum Nazarenum supra hominem fuisse, & Senatui proposuit, Deorum numero adscribendum. Renuit autem id Senatus, nec enim permittere voluit omnipotens Deus, ut Filius ejus unigenitus inter falsos Deos confunderetur, a manibus hominum factos. Ideo vero nullatenus ab hac mente Tiberius remotus, capitis pœnam illis minatus, qui JEsu Christi sectatores deferre

Tert. Apol. c. 5. 31. Euf. Chron. ann. 37.

Chrys. hom. 27. in 2. Cor.

Sæculum I. A. C. 37.

ferre auderent. Cum post hæc Pilatus quosdam Samaritanos, qui cum armis concurrerant, morti addixisset, eorum Magistratus Vitellium tunc Syriæ Præsidem adiere, accusantes Pilatum, quod eo solummodo fine ad arma respexissent, ut se ab ejus oppressionibus tuerentur. Vitellius Marcellum misit amicorum unum, qui Judæam curaret, Pilato mandatum dedit, iret Romam de iis, in quibus a Judæis accusabatur, rationem Cæsari redditurus. Paruit Pilatus, qui Vitellio resisteret, longe impar. Cessit Judæa, postquam decem annos ibi egisset; sed antequam Romam perveniret, mortuus est Tiberius Imperator, JEsu Christi anno 37. ab urbe condita 790. postquam regnasset annos viginti duos, & medium, vixissetque 77. successit Cajus Germanici filius, ejus nepos, annos natus 24. cognominatus est Caligula, a caligis, quas adhuc puer more militari apud Patrem in castris induere erat solitus.

Jos. XVIII Ant. c. 5.

Anno 37.

Caligula.

§. XIII.

Agrippa Rex Judæorum.

Jos. XVIII Ant. c. 8.

Cum regnare cœpisset, inter primas curas fuit Agrippam, Aristobuli filium, Herodis senioris nepotem, quem Tiberius tenuerat in vinculis, libertati reddere. Multo ante Agrippa favorem Caji fuerat

fuerat demeritus, cum enim quadam die curru simul veherentur, optare se impensius dictitabat, ut Tiberius ad patres cito translatus, Imperium Cajo relinqueret. Auriga, nomine Euthichus, hæc audivit, & postea tricis inter se, & Dominum exortis, ad Tiberium detulit, qui apprehensum Agrippam ferro onerari jussit. Sex mensibus gemuit in carcere, cum vero decessisset Tiberius, Marsyas, alter Agrippæ libertus, ad locum custodiæ accurrens, hebraice dixit: *Mortuus est leo.* Paucis post diebus Cajus, jam Imperator, Romam veniens, Agrippam liberum adduci jubet, & barbam radi, eique mutato vestium squalore diadema imponit, Regem illius Regionis declarat, quam Philippus ejus Patruus gubernaverat Tetrarchæ titulo, adjiciens & Lysaniæ Tetrarchiam, denique dono dedit catenam auream, ejusdem cum illa ferrea, qua in carcere onerabatur, ponderis. Sæculum I. A. C. 37.

Herodes senior, Agrippæ avus, toti Palæstinæ imperaverat, Julio Cæsare, & Augusto Protectoribus. Tres reliquit filios, Archelaum, Philippum, & Antypam, duosque ex filio suo Aristobulo, quem necari jusserat, nepotes, Agrippam, de quo hic sermo, & Herodem, deinde Regem Chalcidis. Idem Herodes senior testamento Archelaum natu majorem hæredem scripserat, tribuens ei titulum *Jos. XVII. c. 10.*

Sæculum I. A. C. 37.

lum Regis, Judæam, Idumæam, & Samariam. Alios duos Tetrarchas dixit, quo nomine in Oriente minoris potestatis Principes veniebant. Philippo in sortem cessere Trachonitis, Batanea, Auranitis Provinciæ ad Libanum, & Jordanis fontes positæ. Antypas, etiam Herodes dictus, Galilææ, & Pereæ, id est, regioni trans Jordanem imperitaret. Imperator Augustus testamentum quidem in Archelai favorem confirmavit, sed deleto Regis titulo, cui nomen Etnarchæ substitutum. Post novem annorum lapsum Archelaum Viennam ad Rhodanum proscripsit, ubi periit. Tunc Augustus ejus Ditiones in Provinciam Romanam redegit, missusque illuc Quirinus Præses, inter quem & Pilatum adhuc alii quatuor numerantur. Philippus in pace regnavit 37. annis, hujusque Tetrarchiam Imperator Caligula Agrippæ dedit, adjiciens etiam Tetrarchiam Lysaniæ, qui de Herodis familia non erat, & sedem Abilæ, urbe Syriæ ultra Damascum sitæ, posuerat. Herodes Antypas vivebat adhuc in sua Tetrarchia; duxerat filiam Aretæ Regis Arabiæ Petreæ; sed cum eam repudiasset, ut in ejus locum Herodiadem, neptem suam, Agrippæ sororem, cujus amore flagrabat, acciperet, Aretas contumeliæ impatiens, bellum eidem infert, & Judæis. Totus Herodis exercitus uno confli-

Ibid. c. 10. 11. bell. c. 4.

Ibid. c. 6.

Joſ. XVIII Ant. c. 6. p. 625.

conflictu fusus, quam cladem Judæi justitiæ divinæ vindictam credidere ob illatam S. Joanni Baptistæ necem, quem idem Herodes instinctu Herodiadis in carcere decollari jusserat. Sæculum I. A. C. 37.

§. XIV.

Iter S. Pauli. Miracula S. Petri.

Tres a conversione Sauli anni effluxerant; jamque Judæi Damasceni ultra prædicantem ferre non poterant; consilio ergo inito, decretum est, eum interficere. Ne manibus eorum elaberetur, a Præfecto, qui urbem pro Rege Areta tenebat, obtinent, ut custodirentur portæ. Tum Saulum tanquam exploratorem deferunt; veri speciem præbuit, quod haud multo ante ex Arabia rediisset. Sed hæ fraudes Saulo innotuere; & a fratribus per fenestram ex urbis muris in sporta demissus est. Sic liber venit Jerosolymam, ut videret Petrum; non sola ductus curiositate, ut, qualis esset facies ejus, sciret, nec necessitate, ut in doctrina Christi firmaretur, hanc enim immediate a JEsu Christo acceperat, sed ut eum noviset, & Ecclesiæ Capiti honorem exhiberet. (*)

Gal. 1. 18. *Act.* 9. 23. 2. *Cor.* 11. 33. *Gal.* 1. 18. *Hier. in Ep. ad Gal.* *Chrys. ibid.*

Jeroso-

(*) Hic Fleurius S. Petrum, sicut & alibi sæpius Summum Pontificem, vocat Caput Ecclesiæ.

Sæculum I. A. C. 37.

Jerosolymæ Saulus omnibus discipulis erat timoris causa, qui sibi persuadere non poterant, ipsum esse Christianum; sed Barnabas eum ad Apostolos duxit, eisque conversionem illius narravit. Tum Saulus quindecim diebus cum Petro mansit; alium autem Apostolorum vidit neminem, nisi Jacobum fratrem Domini. Quadam die in templo orans, in extasin raptus, vidit JEsum dicentem sibi: *Egredere*

Act. 9. 26.

Act. 22. 17.

siæ. Anonymus II. in Paragrapho II. suarum observationum Fleurium blasphemiæ arguit, quod Summum Pontificem in ordinem reliquorum Episcoporum redigat, atque eum jure deponendi Episcopos spoliet. Quod vero immanis accusationis affert argumentum? Fleurius dicit, multos Episcopos non a SS. Pontifice, sed in Conciliis fuisse depositos; id autem nemo in Historia Ecclesiastica vel mediocriter versatus ignorat. Cæterum Fleurius Episcopos a SS. PP. fuisse legitime depositos, translatos, excommunicatos toties, quoties id factum, fideliſſime narrat. Quod vero Fleurius non omnia jura, quæ hodie Summo Pontifici competunt, eo modo, & immediate e jure Divino acquisita esse credat, sicut Anonymus noster vellet, virum blasphemum furore supervacuo proclamat. Ipse Anonymus fatetur, Fleurium dicere, ideo aliquos Patriarchas in Oriente a SS. Pontificibus fuisse depositos, quia alium non habebant Superiorem; estne hoc Papam in ordinem aliorum Episcoporum deprimere?

dere *Jerosolyma*, *nec enim testimonium, quod mihi reddis, accipient.* Respondit Saulus: *Domine, sciunt me in carcerem misisse, & curasse flagellari per Synagogas, qui in te credebant; cumque effunderetur sanguis Martyris tui Stephani, quod ego fuerim præsens, & consentiens, & pallia eorum custodiens, qui eum lapidabant.* JEsus vero: *vade; mittam te ad nationes remotas.* Vere autem Helleniſtæ, quibuscum disputabat, quærebant causam, ut ipsum morti darent. Quod ubi agnoverunt Discipuli, eum Cæsaream deduxerunt, & inde miserunt in Tarsos. Aliquo tempore per Syriam, & Ciliciam ibat. Ecclesiæ vero Judææ non noscebant vultum ejus, sed tantum conversionem sciebant, & dabant Deo gloriam. Sæculum I. A. C. 37. *Gal.* 1. 21.

Tum quidem Ecclesia pace fruebatur in Judæa, Galilæa, & Samaria, & crescente Fidelium ædificatione, ambulabant in timore Dei, Spiritus S. consolatione perfusi. Eo tempore S. Petrus iter facere ad omnes Fideles constituit. Venit primum in Lyddam, ubi Paralyticum nomine Æneam sanavit. Hoc miraculo habitatores Lyddæ, & Saronæ conversi. Inde a Discipulis rogatus, venit in Joppen, ibique deduxerunt eum in quoddam cubiculum, ubi alicujus mulieris, nomine Tabithæ funus jacebat, pau- *Act.* 9. 31.

Sæculum I. A. C. 37.

lo ante defunctæ, cujus vehementi desiderio omnes tenebantur propter largas, quas distribuere solita fuerat, in pauperes eleemosinas. Eam S. Petrus ad vitam revocavit, quod denuo multis ex Joppe conversionis occasio fuit. Moratus est ibi Petrus multo tempore, habitans in domo Simonis coriarii.

§. XV.

Judæi Alexandriæ male habiti.

Anno secundo Imperii Caligulæ, JEsu Christi trigesimo octavo novus Rex Judæorum Agrippa licentiam a Cæsare proficiscendi in Palæstinam petiit. Consensit quidem Caligula; ne autem per Syriam viam rectam iret; sed per Ægyptum suasit; venit ergo Alexandriam, qui populi, cum Judæos odissent, & æmulatione, quod Regem haberent, torquerentur, Agrippam publice ridiculum facere optabant; accessit non leve incitamentum, tacita nempe Flacci, qui Ægypto præerat, approbatio, cui se gratissimum facturos scirent, quod ei præter in Judæos odium, valde invidiosa esset hujus Regis præsentia.

Joſ. XVIII ant. c. 8. Phil. in Flac. p. 968

Erat Alexandriæ quidam nomine Carabas, stultitia notissimus, qui sæpe nudus per urbis plateas deambulabat, juventutis risus, & ludibrium. Hunc ducunt

cunt in Gymnasium, locum publicis exercitiis deputatum. In sublimi statuunt. Diadema capiti imponunt ex papyro Ægyptiaca aptatum, storea humeros tegunt pro pallio. Pro sceptro forte humi jacentis arundinis frustum manui inserunt. Sæculum I. A. C. 37.

Circumdant pueri, perticas humeris gestantes, quasi Regii corporis custodia. Alii profunda inclinatione Regem jocosum venerantur. Alii læsos se fingentes, justitiam petunt, alii super Reipublicæ negotiis consilium exigunt; uno ore clamantes: *Mari*, quod est Syriace Domine! Domine!

Altera die increvit ardor. Summo mane in Theatro fit concursus populi. Conclamatur, *consecrandas esse statuas, seu Idola, in Judæorum Synagogis erigenda.* Imperatoris auctoritas prætexitur, ut seditio palliaretur. Connivente Flacco Synagogis privantur, quarum aliæ dirutæ, aut flammis haustæ; in aliis statua Caligulæ posita; cujus tantam esse insaniam sciebant, ut pro Deo adorari vellet. Flacci jussu deinde mandatum publicæ lucis factum, quo Judæos advenas, & alienigenas pronuntiabat; quamvis essent cives, & iisdem, quibus Antiocheni, privilegiis gauderent; & tanto essent numero, ut Alexandriæ, & in Ægypto minimum ad decies centena millia

Euf. Chron. an. 39.

Phil. de leg. p. 1011.

in Flac. p. 973.

Sæculum I. A. C. 37.

numerarentur. Tandem omnibus permissum, ut cum Judæis, tanquam servis, in bello captis, ageretur.

ibid. p. 971.

Alexandria in quinque Regiones distinguebatur, quibus eadem erant nomina, quæ quinque primis Alphabeti litteris. Duæ eorum habitationi Judæorum erant destinata. Tunc vero habitandi spatium ad modicam unius Regionis partem contractum. Sic Judæorum plurimi, cum locus deesset, in littore maris errare cogebantur, aut in sepulchris, & fimetis latere, rebus omnibus exuti. Interim ab Alexandrinis eorum domus direptæ, tabernæ perfractæ, merces ablatæ, & in publico foro distributæ; ita, ut ab artificiis, & mercatura arcerentur. Sed adhuc ulterius processit furor. Multi Judæorum necati, multi combusti, quorum corpora per civitatem tracta. Flacci jussu multi ex Senatorio ordine flagellati. Sub obtentu, huic nationi arma necessario esse eripienda, omnes domus excussæ, mulieres extractæ, quas tormentis subjiciebat, si porcinam comedere renuissent. Sic paulatim vindicantis Dei manus supra Judæorum cervices aggravabatur.

Philo de leg. p. 1016.

Tantam in Hebræos crudelitatem solemnitatis augmentum putabant Alexandriæ cives; quando dies festi in Cæsaris honorem agendi; gratiam inde aucupa-

cupaturi, si eos miserrime haberent, qui divinos honores ei negabant; quamvis omnem cultum exhibuissent, quem homini præstare fas est. Caligulæ relationes quotidianæ mittebantur, de omnibus, quæ genti Judæorum Alexandriæ inferebantur, ajuntque, eum nunquam alias majori lætitiæ sensu vel historiam, vel poema legisse. Quibus non obstantibus eodem anno comprehendi Flaccum, diu ante sibi invisum, missumque primo in exilium, paulo post occidi jussit. *Phil. in Flacc. p. 981.*

Sæculum I. A. C. 37.

§. XVI.

Herodis Antypæ, & Pilati exitus.

Agrippæ in Palæstinam reducis fortunam omnes mirabantur. Inde profectus fuerat miser, & ære alieno gravatus, redibat cum dignitate regia, & Diademate. Neminem vero magis invidia ussit, quam Herodiadem sororem ejus. Hinc marito suo Antypæ gravis, vecordiæ incusabat; ipsum, si ausus fuisset Imperatorem accedere, haud dubie facilius dignitatem regiam fuisse obtenturum, cum jam esset Tetrarcha, quam ejus nepotem, privatæ sortis hominem. Herodes, cum aliquamdiu mulieris cupiditati restitisset; importunitate fatigatus, *Jos. ant. XVIII. c. 9. bell. II. c. 8.*

Sæculum I. A. C. 37.

tus, iter in Italiam aggreditur. Agrippa vero misit Fortunatum libertum suum post eum, qui inscium sequeretur; nec tardius, quam ipse Herodes in Cæsaris aulam pervenit. Tunc ille Bays residebat; prior in conspectum Antypas admissus; tum statim Caligulæ epistola Agrippæ reddita, qua accusabat Antypam, contra Imperatorem Tiberium cum Sejano conspirasse, & adhuc-dum cum Artabano Parthorum Rege communicare consilia. Indicii argumentum addebat; in Antypæ armamentario tantum belli apparatum esse congestum, ut armandis septuaginta virorum millibus posset sufficere. Hac lectione commotus Imperator, interrogat Antypam, num verum sit, quod tantam armorum vim contulisset, quod Antypas negare non potuit; ergo Imperator eum pro rebellionis convicto habens, ablata ei Tetrarchia, Agrippæ Regnum auxit. In eundem Antypæ, & Herodiadis bona contulit; ipsum vero exilio perpetuo Lugdunum in Gallias damnavit; quo eum uxor Herodias secuta. Inde in Hispaniam fugientes interiere. Hic fuit Herodis Antypæ exitus, S. Joannis Baptistæ nece, & JEsu Christi contemptu infamis. Regnaverat quadraginta duobus integris annis a morte Herodis magni Patris sui usque ad hunc tertium

tium Caligulæ annum; JEsu Christi trigesimum nonum. Pilatus exordio Regni Caligulæ damnatus ad exilium Viennam Rhodani, ibidem eodem anno Christi 39 desperatione adactus sibimet violentas manus intulit. Sæculum I. A. C. 37.

Eus. II. *hist. c.* 7.

§. XVII.

Conversio Cornelii Centurionis.

Interea S. Petrus adhuc erat in Joppe apud Simonem coriarium. Quadam die ad excelsiora domus ascendit, ut oraret ad sextam, id est, meridiem, dum parabatur cibus. Tunc extra se raptus, vidit visionem, in qua sine discrimine de omni carne manducare jubebatur, & sine exceptione animalium immundorum, quæ lex vetabat. Cogitanti, quid hæc visio significaret; Spiritus Dei dixit illi: *ecce tres viri quærunt te, ne dubites ad eos ire.* Simul tres viri adveniunt, missi a Romano nomine Cornelio, unius cohortis, quæ Cæsareæ erat, Centurione. Vir erat timens Deum, multas dans eleemosinas, & assidue orans; eique Angelus apparuerat, præcipiens, ut Simonem Petrum ex Joppe ad se vocaret.

Act. 10. 9.

Igitur S. Petrus iter ingressus cum sex fratribus, a Cornelio missos sequebatur; qui eum cum cognatis, & amicis

Sæculum I. A. C. 37.

congregatis exspectabat. Ad quos Petrus: *Scitis, quantum Judæi abhorreant ingredi Gentilium domos; mihi autem significavit Deus, neminem habendum esse immundum. Quæro igitur, cur me vocaveris.* Tunc Cornelius ei visionem suam narrat, & S. Petrus omnes Mysterium JEsu Christi docere incepit, testimonium reddens resurrectionis. Adhuc loquebatur, cum S. Spiritus super omnes audientes descendit; & loquebantur varias linguas, glorificantes Deum. Fideles circumcisi, qui cum Petro venerant, vehementer mirabantur, gratiam Spiritus S. etiam super Gentiles effusam; & Petrus: *Quis aquam prohibebit his, qui Spiritum S. receperunt, sicut nos!* jussitque eos baptizari. Hoc fuit initium conversionis Gentilium. Ajunt, Cornelium postea fuisse Cæsareæ Episcopum, quæ ea tempestate inter Judææ civitates erat maxima; & plerique habitatores Græci.

Joſ. III. bell. c. 28. p. 854.

Act. 11.

S. Petro Jerosolymam reverso, Fideles circumcisi contestari cœpere, quærentes; quare in domos incircumcisorum esset ingressus, & manducasset cum eis. Ajunt Cerinthum Hæresiarcham hujus disputationis auctorem extitisse. S. Petrus, quæ facta erant, exposuit; &, cum ipse loqueretur, Spiritum S. super Cornelium, & societatem ejus descendisse.

Epiph. hær. 2. 8.

Tunc,

Tunc, inquit, *recordatus sum verbi Domini: Joannes baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu S. si ergo Deus eandem illis gratiam contulit, sicut vobis; quis ego eram, ut impedirem?* his auditis Fideles silebant, & laudabant Deum; cum stupore dicentes; *ergo Deus etiam Gentilibus concessit pœnitentiam, in vitam æternam!* Qui in nece S. Stephani dispersi fuerant, usque Antiochiam pervenere. Erant inter eos Cyprii, & Cyrenæi, qui cum Helleniſtis conversati, annuntiarunt eis JEsum. Magnus eorum numerus ad fidem conversus.

Sæculum I. A. C. 37.

Act. 11. 16.

Act. 1. 5.

Act. 11. 18.

§. XVIII.

Caligula a Judæis vult adorari.

Jamniæ urbe maritima Palæstinæ prope Joppen advenæ, Judæis mixti, habitabant; his cum insana Caligulæ cupiditas, ut ab hominibus adoraretur, esset nota, in ejus honorem terra congesta altare erexerunt, non adeo, ut placerent Cæsari, quam ut Judæis invidiam crearent. Hoc altare illico a Judæis, eoquod terra sancta prophanaretur, eversum. Adversarii ideo apud Capitonem, tributorum exactioni Præfectum, conqueruntur; is rem ad Imperatorem cum exaggeratione defert; tum ut sui ipsius accusationes præveniret, concussionum reus, tum ut

Phil. de leg. p. 1021.

Sæculum I. A. C. 37.

novam occasionem deprædandi Judæos captaret. Imperator hanc delationem acceptam quibusdam domesticis communicat, quibus familiarissime utebatur; inter alios Heliconi, & Apelli. Iste Ascalone natus in Palæstina actor tragœdus fuerat, postquam juvenis professionem exercuisset multo magis infamem. Helico erat Alexandrinus, quondam dono datus Tiberio, cum servus fuisset. Non ipsi deerat ingenium, nec litteræ, nec lepidi histrionum mores, nec callidæ adulationis usus; cumque esset apud Caligulam primus cubicularius, commodum ipsi erat, omni hora colloqui. Is studiose conabatur implacabile odium in Judæos Cæsari inspirare, quamvis omnia sine consilio dicta viderentur, nisi ut Cæsarem Juvenem ad risum moveret. His susurronibus inductus Caligula rescripsit; ut pro altari terreo, Jamniæ everso, Colossus aureus in templo Jerosolymitano poneretur; Syriæ Præfectus mediam partem exercitus, quo Euphratis transitus contra Regum Orientis irruptiones muniebantur, in Judæam mitteret, statuæ deducendæ, & ejus consecrationi præsidium.

p. 1016.

Strabo. l. 17. *Jos. XVIII ant. c.* 11. *Bell.* 11. 9.

Tunc Syriæ præerat Petronius ex equestri Ordine Romanus, bello clarus, quem paulo ante Caligula Vitellio suffecerat. Accepto mandato, omnia executioni

tioni paravit. Collectis, quotquot potuit, auxiliaribus copiis, & duabus legionibus, hiemalem manſionem ſibi delegit Ptolomaide urbe maritima Tyrum inter, & Cæſaream. Ibi ad eum mille, millequeJudæi convenerunt, ſupplicantes, ne facere cogerentur, quod eis per legem non licebat; ſi vero apud ſe decretum eſſet ſtatuam erigere, potius eos omnes morti daret. Hæc Petronio bilem movere, dixitque: *Si Cæſar eſſem, & meo agerem arbitrio, tunc vobis id petendi ratio eſſet; ſed habeo mandatum Cæſaris, quod negligere impune non licet.* Ajebant Judæi: *Si tibi decretum, Cæſaris mandatis obedire; nobis ſtatutum eſt legem non violare. Confidimus in potentiam Dei noſtri; abſit hoc malum, ut mortis metu faciamus, quod diſplicet oculis ejus. Ipſe judica, Dei, an Caji mandatum ſit præferendum.*

Sæculum I. A. C. 37.

His ſermonibus Petronio perſpectum eſt, difficulter fore ut tales homines a ſententia dimoverentur, ac ſtatua absque multi ſanguinis effuſione erigeretur. Sumptis ſecum amicis, & domeſticis, Ptolomaide Tyberiaden ad lacum Galilææ venit, ut propius Judæos obſervaret. Interim ſculpendæ ſtatuæ laborem curabat Sidone, quo excellentiſſimos quosque artificum conduxerat. Magnus Judæorum numerus etiam Tyberiaden eum convenerunt,

Sæculum I. A. C. 37.

nerunt, iterum, iterumque supplices, ne eos ad desperationem compelleret, si eorum civitas erecta statua prophanaretur. Quibus Petronius: *Ergo bellum Cæsari inferetis? num ignota est vobis ejus potentia, & vestra tenuitas?* Respondent Judæi: *Non inferemus bellum Cæsari; sed moriemur, ne lex nostra violetur.* Tunc proni cadentes in terram, nudabant colla, excipiendo cultro parati. Quadraginta dies hæc scena tenuit, cùm esset jaciendorum seminum tempus, sicque agri labores negligerentur. Tum Aristobulus Regis Agrippæ frater, pluresque nationis Primores Petronium hortati, ne populum ad extrema adigeret.

Secutus est eorum consilium. Militem Ptolomaide eduxit, & reversus est Antiochiam; unde ad Imperatorem scripsit; nisi Regionem, & habitatores perditos vellet, mandati executionem urgeri non debere. Tempore opus esse artificibus ad perficiendam statuam, quod futurum esset opus immortale, nulli alteri secundum. Si ad ultima Judæi cogerentur, timendum, ne agrorum culturam ommitterent, ipsique suas arbores, & messes comburerent. Erat autem specialis ratio, cur fructus illius anni conservarentur; quia erat Imperatori propositum, ut per Syriam Alexandriam proficisceretur. Hæc epistola ad Caligulæ palatum

palatium non fuit, sed ira in Petronium exarsit; dissimulavit tamen, quia magnarum Provinciarum Rectores timebat, eos maxime, quibus validi parebant exercitus, qualis erat Prætor Syriæ ad Euphratem. Rescripsit ergo Petronio; laudans ejus prudentiam; jussit tamen erectionem statuæ inter primas curas haberet. Sæculum I. A. C. 37.

§. XIX.

Alexandrinorum Legatio.

Judæi Alexandrini legatos Romam miserant, qui exponerent, & quererentur, eos hic locorum dirissime haberi. Quinque erant deputati, quorum Princeps Philo, in litteris Græcis, & eorum Philosophia eruditus. Sed & Græci, qui erant Alexandriæ, etiam legationem adornarunt; horum præcipuus Apion, Grammaticus, Judæorum hostis infensissimus. *Jos. XVIII ant. c. 10.* Præter multas calumnias accusabat eos, quod Imperatori illos honores non darent, qui ei ab omnibus Imperii Romani populis exhiberentur; id est, nec templa, nec altaria, nec statuas erigerent, nec per ejus nomen jurarent. Idem Apion librum contra Judæos scripsit mendaciis, & imposturis plenum; inter alia, in Sanctuario caput asini fuisse asservatum, quod cum ex auro purissimo esset, illud Antiochus Epiphanes tulisset in templi direptione.

Sæculum I. A. C. 37.

ptione. Erat hic Apion homo levis, grandiloquus, ostentator, eumque Tiberius Imperator mundi tympanum appellare solebat.

Gell. l. 5. c. 14 Plin. præf. hist. nat.

Cum Judæorum legati Romam pervenissent,

Philo. legat. p. 1018.

Imperatori primo se sistunt in campo Martis, cum ex horto matris suæ egrederetur. Salutem reddidit fronte hilari, manuque signum favoris ostendens. Per Homilum, cujus erat legatos curare, significari jubet, se eorum legationem, quamprimum vacasset, auditurum. Jamque præsentes omnes Judæis gratulabantur; Philo autem, cui plus ætatis, & experientiæ, ambigua indicia suspecta habebat.

leg. p. 1019.

Secuti sunt Imperatorem Puteolos, ubi Palatia visitabat, illius oræ ornamenta. Dum accessum exspectant, Judæus ad eos currit, anhelans, errantibus oculis, lachrimis madens; a turba abductis ait: An scitis, quid novi geratur? cumque loqui vellet, ter verba suspiriis interrupta sunt, territi legati instant, ut rem explicaret. Tum: *Jam non amplius habemus Templum; Caji jussu Colossus erigitur in Sanctuario sub Jovis nomine.* Ad hæc legatis nec vox, nec sensus superfuit. Cum vero eadem a pluribus confirmarentur, rei causam, & ordinem quærunt; tunc eis narrata, quæ Jamniæ contigerant, jussa Petronio data, sollicitationes

Legatio Alexandrinorum ad Caligulam.

nes Judæorum in Palæstina, & ordine omnia, sicut contigerant. Sæculum I. A. C. 37.

Eadem tempestate, seu paulo postquam Imperator Petronio rescripsisset, Rex Agrippa, qui tunc Romæ erat, obsequii causa in aulam venit, omnium ignarus. Advertit Imperatoris iracundiam, seque ipsum lævis oculis aspici; nec, quid causæ subesse posset, occurrebat. Tum ad eum Imperator: *Agrippa! eximam te curis; boni, & fideles subditi tui, quibus solis ex toto humano genere Deus non sum, obstinatione sua videntur proprium interitum quærere. Jussi, ut in Templo effigies Jovis consecraretur; ipsi ex civitate, & ab agris egressi sunt, ingenti numero supplicantium specie, reipsa, ut meis resisterent imperiis.* Plura addidisset; sed Agrippa, mutato sæpius vultus colore, a capite ad calcem contremuit, & corruisset, nisi adstantes sustentassent. Defertur in domum suam, mentis impotens. His autem Imperatoris animus adhuc magis irritatus; ajebat enim: *Si Agrippa amicus meus, tantum mihi obstrictus, ita Religioni suæ addictus est, ut nec verbum, quod eam lædit, constanti animo audire possit; quid de aliis, mihi non ita devinctis, exspectandum?*

Phil. l. p. 1029. Jos. XVIII ant. c. 11. p. 642.

Agrippæ altera demum die ad vesperum mens rediit, & tandem, sui compos, longam

Sæculum I. A. C. 37.

longam ad Imperatorem exarat epistolam, qua memorabat; sibi Judæo, & Jerosolymæ nato, nefas fore, si civitatis, & totius Nationis causam suo patrocinio destitueret. Jerosolymam non solum modo Judææ, sed omnium Judæorum in vicinis Provinciis, præcipue trans Euphratem, ubi permagno numero essent, habitantium caput, & Metropolim haberi; ad hos omnes gratiam, quam postulabat, pertinere; hanc gratiam non in jure civitatis, non in libertate consistere; sed unice in suæ Religionis conservatione. De Templo deinde particulariter agens, scribit; illi, & inimicos peperciſſe, & Gentibus in veneratione
leg. p. 1033. esse. Augustum Imperatoris ipsius avum Divini Servitii pulcherrimum ordinem fuisse demiratum. Imperatorem Tiberium jura Templi, & sacræ civitatis illæsa servasse; ita ut Pilatum Jerosolyma scuta aurea aufferre, quæ consecraverat, quamvis essent sine ulla imagine, obli-
p. 1035. garet. Augustum prohibuisse, ne Judæi in Synagogas suas convenire impedirentur; nec collectas suas Jerosolymam mittere. Eundem Augustum Sacrificii perpetui, & quotidiani, unius tauri, & duorum agnorum fundatorem extitisse. Liviam Imperatricem ejus conjugem crateres aureos præter alia vasa pretiosa Templo donasse. Denique magnas

gnas gratias, quas ipse Agrippa ab Imperatore accepisset, in memoriam reducebat; inde concludens; cum adeo ab Imperatore videretur amari, nisi hanc pro sua Religione libertatem obtineret, fore, ut ab omnibus merito causæ communis proditor fuisse crederetur. Sæculum I. A. C. 37.

Imperatorem, cum hanc epistolam legeret, varii motus turbarunt. Tandem delinitus est, eique tanquam gratiam singularem concessit, ne statua dedicaretur; scripsit Petronio, nihil in Judæorum Templo innovaretur. Adjunxit vero: Si quis in aliis civitatibus, sola Jerosolyma excepta, mihi altaria, templa, aut statuas erigere voluerit, quiscunque se opposuerit, illico puniatur, aut ad me mittatur. Attamen brevi eum benignitatis pœnitentia subiit, & omissa Sidonia effigie, alium ex ære deaurato Colossum elaborari jussit, qui secreto per mare translatus, subito, & nemine prævidente, in Jerosolymæ Templum inferretur. *p.* 1038.

Tandem legatos Alexandrinorum audire placuit; quod factum prope Romam, cum sibi quasdam domos, quæ ad Mecenatis, & Lamiæ hortos pertinebant, ostendi voluisset. In accessu Judæi in terram se prostravere, nominantes eum Imperatorem, & Augustum; ipse vero irridentis, & spernentis vultu interrogat: *Phil. leg.* 1040.

Sæculum I. A. C. 37.

gat: *Vosne estis illi Deorum hostes, qui soli me Deum non agnoscitis; cum totius mundi consensu Deus sim; & præponitis mihi Deum vestrum innominatum?* Tum levatis in cælum manibus verbum effutiit, quod Philo horrore impietatis non ausus est in chartam referre. Ad hæc Judæorum adversarii circumstantes palam lætari, plaudere manibus, exsilire, Cæsarem omnium Deorum nominibus salutare. Quidam nomine Isidorus ad Imperatorem: *Domine! multo magis hoc hominum genus detestareris, si tibi eorum impietas, & malitia esset cognita. Soli sunt, qui pro tua salute offerre sacrificia omiserint. Quales vero sunt isti, tales omnes Judæi.* Tunc legati uno ore exclamare: *Domine Caje! calumniam loquitur. Immolavimus integras Hecatombes; & postquam super altare effusus erat sanguis, totas victimas combussimus, nulla parte pro mensis reservata. Et hoc tribus vicibus factum; Prima, quando ad Imperium assumptus es. Secunda, quando post gravem morbum convaluisti. Tertia, ut victoriam contra Germanos tibi impetraremus. Esto,* reposuit Caligula; *sacrificastis, sed Deo alteri, non mihi. Quid hoc me juvet, cum mihi non sit exhibitus honor?* Hæc audientes legati horrore omnibus artubus concutiebantur.

Legatio Philonis Judæi.

Inter

Inter hos sermones percurrebat domum a suprema contignatione ad infimam, conclavia, & triclinia observans, ut, quæ displicebant, mutari juberet. Legati sequebantur eum, ascendentes, & descendentes, scenice protrusi, & irrisi. Postquam aliqua circa ædificia imperasset, voce, quasi seria locuturus, interrogat: *Quare non comeditis porcinam?* Hic, quasi ingeniosa dixisset, oritur effusissimus risus, ita, ut quidam Ministrorum contra reverentiam Principi debitam peccari crederent. Respondent Judæi; *Cuivis nationi suos mores esse; etiam suos inimicos certis carnibus abstinere;* adjecit unus, *multos agninam non comedere. Credidero,* reposuit Imperator subridens; *nempe quia non sapit.* Sæculum I. A. C. 37. p. 1042.

Tandem aliquantum commotus, inquit: *Scire cuperem, quo fundamento jus civitatis prætendatis?* Tunc loqui cœperunt; cum autem audiret rationes non spernendas; antequam plura dicerent, ab una aulæ extremitate cucurrit ad alteram, jubens, ut ibi fenestris adhuc vacuis vitra insererentur. Deinde lente rediens, quid dicerent, interrogabat; jamque rationes in compendium cogebant; ipse passus in aulam vicinam præcipitat, ubi ejus jussu picturæ originales locabantur. Ultimo commiserationem testatus, ait: *Istorum hominum non vide-*

Sæculum I. A. C. 37.

tur mihi esse tanta malitia, quanta est infelicitas, quod sibi persuadere non possint, me divinæ naturæ esse participem. Tum recedens, & ipsos abire jussit. Sic Judæorum legati ab Imperatore Caligula habiti, quos, ut erigeret Philo, ajebat:

Ios. XVIII ant. c. 10. *Macti animo simus, si tantam in nos iracundiam verbis ostendit Cajus; Deus effectu nos proteget.*

§. XX.

Judæi male habiti apud Parthos.

Ibid. c. 10. p. 644. Eodem tempore Judæi apud Parthos, in Mesopotamia, & Babylonia vexabantur, ubi inaudita eorum multitudo neci data. Nisibis, & Naharda munitæ urbes ad Euphratis oram plurimos numerabant Judæos; ibi pecuniæ deponebantur, quas ex hac Provincia mittebant Jerosolymam. Duo Judæi Naharditæ, Asineus & Anileus fratres, collecta sponte addicentium manu, rapto vivere cœperunt, tantumque sparserunt terrorem, ut fama ad Artabanum Parthorum Regem pervenerit; voluit eos sibi sisti, & Asineo Babyloniæ Præturam contulit, quam tenuit quindecim annis cum libera in Mesopotamia potestate. *Ibid. p. 647.* Ab eo frater ejus Anileus accepit potentiam, sed eam servare ineptus, Babyloniorum odium incurrit, qui nocte irruentes cum vita exuunt,

exuunt, & copias delent. Hoc obstaculo remoto antiquum in Judæos odium exercent, quod ex morum contrarietate ortum trahebat. Judæi vero, cum eorum insultibus, & violentiæ resistere non valerent, & tolerare nollent; Seleuciam transierunt, ubi eorum numerus paulo post increvit, accessu illorum, quos pestis, Babylone grassata, fugabat. Erat Seleucia prima hujus Regionis civitas, a Seleuco Nicanore fundata, magna multitudine Græcorum, Syrorumque habitata; inter quas nationes magna semper fuerat ingeniorum oppositio; sed potentiores erant Græci; tunc vero Syri adventu Judæorum invalescebant; quare jam Græci meditabantur, quomodo eos dividerent; & ipsimet Syris juncti, ingenti rabie subito in Judæos invehuntur, quorum ultra 50. millia trucidata. Amici, vicinique misericordia movente quibusdam illorum saluti fuere, qui fugerunt Ctesiphonem, urbem Græcam, Seleuciæ vicinam; majorem ibi securitatem sperabant, ob Regis Parthorum Reverentiam, qui ibi hiemare solebat. Interea Judæi continuis terroribus angebantur, cum scirent Syrios, seu hujus Terræ indigenas cum Seleucidis in suam internecionem conjurasse. Hic fuit status Judæorum in illis Orientis partibus; sicque Numinis manifesta vindicta in eos ubique inclarescere cœpit. Sæculum I. A. C. 37.

Sæculum I. A. C. 41.

§. XXI.

Mors Caligulæ. Claudius Imperator.

Cum Caligulæ crudelitas, & insania ita crevissent, ut tolerari ultra non posset; occisus est 24. Jan. anno C. 41. agebat annum ætatis 29, regni 4. postquam imperasset tribus annis, & decem mensibus. Dux facti Cassius Cherea Prætorianorum, id est corporis custodiæ, Tribunus; eum, in subterranea specu exhibitos sibi juvenes, actioni scenicæ destinatos, spectantem, oppressit. Triginta vulneribus transfixus est. Cesonia uxor a Centurione gladio transverberata, & filia, adhuc parvula, elisione ad murum, crepare coacta. Illius memoria, tanquam Tyranni damnata est. In ejus locum Imperator agnoscitur Patruus ejus Tiberius Claudius Drusus Germanicus, Druſi filius, Imperatricis Liviæ nepos. Annos numerabat ætatis 50. & tredecim regnavit. Vir satis eruditus, & bonæ indolis, sed perplexus, & ita æquanimis, ut omni sensu carere videretur, ad clavum sedere mulieres, & libertos passus.

Suet. in Cajo c. 18.

Joſ. XIX. ant. c. 1. 2.

An. 41.

Claudius.

Joſ. XIX. ant. c. 2. 3.

Non sine multorum resistentia factum, ut Claudius ad Imperium eveheretur; Senatus enim ad pristinam libertatem respi-

respiciebat; & Rex Agrippa tunc Romæ præsens in hoc difficili negotio ei inutilis non fuit; ideo, quamprimum Imperator esset, confirmavit ipsi Regnum, quod Caligula dederat, omnibus iis adjectis, quæ Herodes avus ejus possederat, scilicet Judæam, & Samariam, tanquam bona familiæ acquisita. Præterea Consulares ipsi honores decrevit; & Herodi ejus fratri Dignitatem Prætoriam, cum Calcidis Regno in Syria; Hic Herodes Berenicen neptem suam Agrippæ filiam duxit.

Sæculum I. A. C. 41.

Jos. XIX. ant. 4.

Dio. l. 60. p. 770.

§. XXII.

Judæi melius habiti.

Caligula interfecto, Judæis Alexandriæ animus rediit. Ajunt Philonem legatorum primum Romæ in pleno Senatu relationem de Legatione sua, & Caji stultitia legisse, sibique tantam conciliasse æstimationem, ut ejus opera, in Bibliothecis servanda, reponerentur. Alexandriæ cum animo vires ita resumpsere, ut paganis arma possent opponere. Scripsit Claudius Prætori Syriæ, ut seditionem compesceret; tum ab Agrippa, & Herode rogatus Edictum misit, quo confirmabat Judæis Alexandriæ a principio jus civitatis competere, quod eis ab unione Ægypti cum Imperio Romano esset assertum; sicut etiam jus Ethnarcham eligendi, aut Nationis suæ Princi-

Euf. 11. hist. c. 17.

Jos. XIX. ant. c. 4.

Sæculum I. A. C. 41.

pem; jura alias indubitata, nisi quod ea Caji stoliditas, pro Deo haberi volentis, turbasset. Ideo præcipiebat; antiqua eorum privilegia manerent illæsa; sed & per totum Imperium aliud Edictum misit, ut Judæis in urbibus etiam Græcis consuetudines Patrum suorum observare liceret; Judæi vero monebantur, hac gratia contenti essent, nec aliorum Religionem vilipenderent. Imperator tamen Judæis Romæ degentibus magno numero eandem libertatem non concessit; non permisit eorum conventus, & quorum usum sub Caligula introduxerant, abolevit; adeo, ut tabernas eorum destruxerit.

Dio lib. 60. p. 768.

Jos. XIX. ant. c. 5.

Agrippam honorifice remisit in Regnum suum; quo strenue profectus est. Ut Jerosolymam advenit, Sacrificia reddidit, quæ voverat, præcepitque multis Nazaræis, ut tonderentur. Catenam auream in Templo suspendit, ab Caligula acceptam, tanti ponderis, quanti ferrea, quam tulerat. Summum Pontificatum Theophilo Anani filio ademit, & Simoni, cognominato Canthera, Boethi filio contulit. Sedem posuerat Jerosolymæ, utque magis a populo amaretur, tributum, alias singulis domibus imperatum, remisit. Exacte purificationes servabat, nec ullo unquam die sacrificare ommittebat.

Jos. 2. in App. p. 1067. B.

Jos. XIX. c. 5.

Doræ, Phœniciæ urbe ad montem Carmelum, quidam temeritate juvenili statuam

ſtatuam Cæſaris in Judæorum Synagogam intulere. Illico Agrippa ad Petronium Syriæ Præſidem profectus, de hac inſolentia conqueritur. Scripſit Petronius Doræ Magiſtratui; ut ſibi facti auctores mitterentur; præcaveret de cœtero omni tumultui; nam, inquiebat: *Regi Agrippæ, & mihi nihil magis curæ eſt, ac omnem avertere occaſionem, ne Judæi congregentur, & excandeſcant cum extortæ defenſionis prætextu.* Succeſſit paulopoſt in Prætura Syriæ Petronio Marſus. Rex Agrippa iterum Simonem Cantheram Sacerdotio exuit, volens Jonathæ Anani filio reſtituere; is autem deprecabatur, ut potius in fratrem ſuum Mathiam, ſuo judicio digniorem, conferretur. Secutus eſt Rex conſilium, & Mathiam Pontificatu ornavit.

Sæculum I. A. C. 41.

ibid. c. 6.

§. XXIII.

Dilatatio Evangelii. Chriſtiani.

Interim Diſcipulorum JEſu Chriſti numerus creſcebat ſemper; & cum ad Fideles, qui erant Jeroſolymæ, fama perveniſſet, multos Antiochiæ in Chriſtum credidiſſe, miſerunt illuc Barnabam; qui adveniens multum lætabatur ob gratiam, quam iis Deus conceſſerat, & hortabatur ad perſeverantiam. Tunc iterum plurimi fidem ſuſceperunt, Barnabas

Act. 11. 21.

Sæculum I. A. C. 41.

Tarsum profectus, ut quæreret Saulum, inventum, Antiochiam adduxit. Integro anno ibi commorati plurimos veritatem Evangelii docebant, ita, ut Antiochiæ primum JEsu Discipuli dicerentur Christiani. *ibid. v. 28.* Illis diebus Prophetæ quidam Jerosolyma venerunt Antiochiam; quorum unus nomine Agab universalem famem prædixit, paulo post superventuram; quare Discipuli proposuerunt auxilium mittere fratribus, qui erant in Judæa, miseruntque etiam, apud Presbyteros deponendum, per manus Barnabæ, & Sauli.

§. XXIV.

Martyrium S. Jacobi. Detentio S. Petri.

Martyrium S. Jacobi.

Herodes Agrippa prensans omnem occasionem Judæis placendi, cœpit persequi Ecclesiam, incipiens ab Apostolis. *Act. 12.* S. Jacobum Zebedæi filium, Joannis fratrem, gladio occidit. *Euf. 11. hist. c. 8.* Qui Jacobum detulerat, videns quod testimonium redderet JEsu Christo, pœnitentia tactus, publice se Christianum fatebatur. Ergo ambo ducuntur; in via delator Jacobum rogavit, ut sibi ignosceret. Apostolus, aliquantum in se collectus, ait: pax tecum, & osculatus est eum. Tum ambo capite plexi. Videns Herodes, quam gratum

gratum feciſſet Judæis, etiam Petrum comprehendi jubet, ſed cum incideret Paſcha, miſit in carcerem, poſt feſtum populo ſpectaculum daturus. Sæculum I. A. C. 41.

Quamdiu Petrus fuit in carcere, Eccleſia continuo pro eo orabat. Nocte præcedente deſtinatam ſupplicio diem dormiebat inter duos milites duabus catenis vinctus, alii ante carceris januam vigilabant; ſedecim enim militibus traditus fuerat, ut quaterni in cuſtodia alternarent. Tunc venit Angelus, ſuſcitans eum; cadunt catenæ, aperiuntur portæ, eratque Petrus in civitatis platea, credens ſe viſionem videre. Sed ad ſe reverſus venit ad domum Mariæ Matris Joannis, qui cognominabatur Marcus, ubi plurimi in oratione erant congregati. Pulſat januam. Puella nomine Rodes venit, ut videret, quis eſſet; ſed agnoſcens vocem Petri, gaudio turbata, cum aperire debuiſſet, cucurrit in domum, id nuntiare; ſed omnibus delirare videbatur; ipſa autem confirmabat, verum eſſe; alii dicebant eſſe ejus Angelum. Interea Petrus non ceſſabat pulſare januam, qua tandem aperta, imperavit ſilentium, narrans quomodo eum liberaſſet Dominus; tum voluit, ut id Jacobo, & fratribus notum fieret; ipſe vero exiit, ut in alium locum diverteret. Cum illuxiſſet, milites inſolitus

Sæculum I. A. C. 42.

solitus stupor invasit, quid Petro factum esset; audiens autem Herodes eum non inveniri, illos supplicio affecit.

An. 42.

Eus. 3. hist. 1. ex Orig. 3. in Genes. Eus. Chron. an. 43. Hieron. de script. & Gal. 2. 11. Eus. 11. hist. 13. Justin. ap. 2 p. 69. Iren. l. 1. c. 20. Eus. 2. c. 13. v. Bar. ann. 44. n. 13.

Creditur aliquanto post hæc vincula, Claudii Imperatoris anno secundo, JEsu Christi 42 Petrus venisse Romam, ibique sedem posuisse; postquam septem annis Antiochiæ sedisset, & prædicasset Judæis dispersis per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, & Bithyniam. Pro se reliquit Antiochiæ Discipulum suum Evodium, qui 26 annis illam rexit Ecclesiam. Venit autem Petrus Romam, comitantibus eum Marco, & pluribus aliis Discipulis, ut oppugnaret Simonem Magum, qui cum ipsi fides in Palæstina ultra non haberetur, Romam venerat, ibique ob operationes magicas tantæ erat admirationi, ut pro Deo coleretur, eique in Insula Tiberis statua fuisset posita, cum inscriptione: *Simoni Deo sancto.*

§. XXV.

Divisio Apostolorum. Evangelium S. Matthæi.

Ruf. præf. in Symb. ap. Hier. to. ult. Hier. ad Pam. ep. 61. c. 9. infr.

Circa idem tempus factum creditur, ut Apostoli dividerentur ad prædicandum Evangelium in universo mundo. Ante separationem composuerunt Symbolum, id est fidei compendium, quo Fideles a Judæis, & hæreticis discernebantur;

Sæculum I. A. C. 42.

bantur; ideo illud viva tantum voce docebant, & pluribus sæculis non erat licitum illud scribere. Unde factum, quod formulæ differrent in diversis Ecclesiis. Erat hoc Symbolum Christianis, quod in bello militibus tessera.

In diversis ergo Regionibus prædicavere Apostoli, prout a Spiritu S. ducebantur. Sanctus Joannes filius Zebedæi in Asiam minorem venit, plerumque Ephesi habitans, apud se habens S. Mariam Virginem Matrem JEsu. Ecclesiam Ephesiorum S. Paulus fundaverat, ibique S. Joannes reliqua vita mansit, nempe usque ad primi Sæculi finem, nam quæ de divisione Apostolorum diximus, non omnia eodem tempore contigerunt. S. Joannes præterea alias Ecclesias in Asia fundavit, & rexit, nempe Smirnæ, Pergami, Thyatiræ, Sardis, Philadelphiæ, & Laodiceæ. Ajunt usque ad Parthos penetrasse, unde prima ejus Epistola olim eorum nomen gerebat, tanquam ad eos directa.

Euf. 3. hist. c. 1. ex Orig. 3. in Gen. Conc. Eph. Act. 1. ep. Synod. pag. 574. Iren. l. 3. c. 3. Tertul. 4. cont. Max. c. 5.

S. Andreas missus est ad Scythas, unde in Græciam, & Epirum transiit. S. Philippus in Asia superiore evangelizavit, tandem Hierapoli Phrygiæ martyrium passus, annos natus octoginta. Plures habuit filias; quarum duæ, servata virginitate, ad ætatem grandævam pervenere, & cum Philippo in eodem loco sepul-

Orig. 3. in Gen. ap. Euf. III. hist. c. 1. Greg. Naz. or. 25. p. 438. Pap. ap. Euf. III. hist. c. ult. Polyc. ibid. c. 3.

Sæculum I. A.C. 42.

sepultæ, ibi resuscitaverunt mortuum. Alias duas in matrimonium collocavit; harum una post actam sancte vitam Ephesi terræ mandata. S. Thomas ad Parthos ivit, & usque ad Indos. S. Bartholomæus venit in majorem Armeniam, estque indubitatum, eum in illis Indiarum partibus prædicasse, quæ nobis proximæ sunt; illuc etiam Evangelium S. Matthæi intulit, quod omnium primo scriptum est. Difficillime vero Matthæus, ut scriberet, induci potuit; sed cum ad alias nationes pergere pararet, postquam evangelizaverat Judæis, eorum precibus flexus, scriptum a se Evangelium eis reliquit, suæ absentiæ solatium, idcirco hebraice scripsit, id est lingua tunc Judæis in Palæstina vulgari, quæ non erat antiqua Hebræorum lingua, sed Syriaca dialectus. Hoc Evangelio etiam alii Apostoli usi sunt, nam S. Jacobus frater Domini id Jerosolymæ explanabat. S. Matthæus Evangelium prædicavit in Æthiopia; abstinentiæ erat insolitæ, carnes non manducans; sed leguminibus, seminibus, stolonibus vitam sustentabat.

Euf. 1. *c.* 10. *de Pontano.* *Euf.* 3. *h. c.* *in Hier. de script.* *Chryfoftom. hom.* 1. *in Matth.*

Athan. in Synop. p. 155.

S. Simon Cananæus, sive zelator, in Mesopotamia, & Persia verbum Dei disseminavit. S. Judas alias Thadæus in Mesopotamia, Arabia, & Idumæa. S. Mathias in Æthiopiam delatus est; de hoc ultimo duo monita memorabilia referun-

feruntur; unum: *magni facias, quæ sunt præsentia;* id est: *his contentus esto.* Alterum: *Si vicinus alicujus Christiani, & Fidelis peccet; Fidelis peccat;* quo volebat innuere, peccantem proximum solo Fidelis bono exemplo posse converti. Hæc sunt, quæ de missione Apostolorum certa tenemus scientia.

Sæculum I. A. C. 42.

Clem. 2. Strom. p. 380. 1. Strom. 748.

§. XXVI.

Historia Reginæ Helenæ, & Izatis filii ejus.

Fame, quam Propheta prædixerat, Judæos vexante, iisdem quædam Regina nomine Helena multum opis tulit. Venerat illa ea tempestate Jerosolymam, ut videret Templum, Deum adoraret, & offerret sacrificia in gratiarum actionem. Erat Monobasi Regis Adiabenes vidua, Izatis Mater, qui tunc temporis in illa Provincia in confiniis vastorum Regnorum Romani, & Parthici sita regnabat. Izates, dum Pater viveret, apud vicinum Regulum fuerat educatus; mercator quidam Judæus, nomine Ananias, aditu sibi ad hujus Principis mulieres patente, eas servire Deo more Judæorum docuit. Harum ope mercator Izati Principi cognitus, etiam eundem Proselytum fecit.

Act. 11. 28.

Jos. XX. ant. c. 2.

Mono-

Sæculum I. A. C. 42.

Monobasus, antequam moreretur, revocavit filium suum Izatem, & dedit illi terram, dictam Caïron, ubi reliquiæ arcæ Noemicæ monstrabantur. Izates Judæum Ananiam induxit, ut se sequeretur. Interea Helena Mater, ab alio Judæo instructa, etiam eorum legem erat amplexa, quod cum Izates resciisset, accepto Regno aperte Judaismum professus est; credebat vero se vere Judæum non esse, nisi esset circumcisus, & idcirco id ipsum facere erat paratus: sed vetuit Mater, verita, ne deinde auctoritate periclitaretur, vilemque se subditis redderet. Idem Ananiæ consilium fuit, adjectis minis, se discessurum, nisi persuaderet. Is timebat, ne a populo male mulctaretur, utpote mutationis Rege indignæ auctor. Addebat etiam: *Potes, Rex! Deo servire, etiam non circumcisus, dummodo constanter Judæorum mores imiteris, in his enim potius substantia consistit, quam in circumcisione; Deus tibi facile ignoscet, ex necessitate abstinuisse circumcisione;* tum quidem Izates his rationibus cessit, sed desiderium circumcisionis non amisit.

Post hæc venit alius Judæus ex Galilæa, nomine Eleazar, qui in lege doctissimus credebatur; is ingressus, ut Regem veneraretur, invenit eum, legem Moysis legentem, aitque: *Non advertis, Domi-*

Sæculum I. A. C. 42.

Domine! te grandem injuriam Legi inferre, & Deo; non sufficit Legem scire, sed opere complenda est; quousque eris incircumcisus? si Legem nondum legisti de hac materia, lege modo, & intelliges, quanta impietas sit, eam non observare. Ad hæc Rex ultra non distulit; sed in aliud conclave transiens, vocatum chirurgum suum, sibi secundum Legem facere jussit. Tunc Matri, & Ananiæ accitis manifestat, quod res erat. Ingens eos incessit admiratio, Regi, sibique timentes. Reipsa magnum sæpius ideo periculum Izati imminuit a subditis, hanc mutationem indignantibus; evasit tamen feliciter, & in pace mortuus est, numerosam prolem relinquens. Ex hac historia patet, Judæos conversioni Gentilium tunc fuisse intentos, inter se vero circa Doctrinam de circumcisionis necessitate non convenisse. Hæc vero omnia Evangelii vias præparabant.

Venit ergo Jerosolymam Helena durante famis plaga multum pecuniæ afferens. Misit ex suis, quosdam Alexandriam, qui frumentum emerent; alios in Cyprum, inde desiccatas ficus allaturos; iisque prompte redeuntibus, annonam maxime indigentibus distribuit. Rex Izates, cum ei de hac Jerosolymitarum penuria esset relatum, etiam eorum Primoribus magnam pecuniæ summam mi-

Sæculum I. A. C. 42.

sit. Regina Mater ejus tres Pyramides, tribus stadiis a civitate distantes, posuit, quo ejus, filiique Izatis ossa post eorum mortem allata sunt. Scripserunt aliqui eos omnino fuisse Christianos.

§. XXVII.

Missio Sauli & Barnabæ.

Oros. lib. 7. c. 6.

EJusdem famis tempore Antiocheni Fidelibus, qui in Judæa erant, multam opem tulere; & hæc est prima collecta ad subveniendum Fidelium necessitati facta, cujus ab exordio Ecclesiæ mentio fit; hæc Barnabæ, & Saulo concredita, qui Ministerio suo functi, Jerosolyma Antiochiam reversi sunt, adducentes secum Joannem cognomine Marcum. Erant in Ecclesia Antiochena Prophetæ, & Doctores, inter quos Barnabas, Simon cognominatus Niger, Lucius Cyreneus, & Manahen Herodis Tetrarchæ collactaneus. Cum jejunarent, & officio divino vacarent, ait ad eos Spiritus Sanctus: *Separate mihi Saulum, & Barnabam, ad opus, cui destinati sunt.* Tunc jejunantes, & orantes imposuerunt eis manus, & dimiserunt. Tales tunc temporis erant Ministrorum publicorum in Ecclesia ordinationes; sæpe fiebant ex revelatione, & expresso Dei mandato; semper conjunctæ cum jejunio,

Act. 11. 25.

1. Tim. 4. 14.

Chrys. hom 5 in 1. Tim. init.

junio, sacro Sacrificio, & aliis precibus. Gratia autem per impositionem manuum conferebatur. Sæculum I. A. C. 42.

Saulus, & Barnabas missione a Spiritu S. accepta, Seleuciam venerunt, inde in Cyprum cum Joanne Marco, & Salaminam prædicantes verbum Dei in Synagogis Judæorum. Circa hoc tempus, hoc est annum secundum Claudii Imperatoris, JEsu Christi 42 Saulus in tertium Cœlum raptus est, hoc est in Paradisum, sive cum corpore, sive tantum in Spiritu, audivitque secreta, quæ non licet homini loqui.

2. *Tim.* 1. 6.

Act. 13. 4.

2. *Cor.* 12. 2.

§. XXVIII.

Epistola prima S. Petri. Marci Evangelium.

Interea S. Petrus Romæ erat, unde primam suam epistolam scripsit, directam ad Fideles a Judaismo conversos, qui per Pontum, Galatiam, Cappadociam, minorem Asiam, & Bythiniam, ubi quarumdam Ecclesiarum ipse fundamenta jecerat, erant dispersi. In hac Epistola Romam Babylonis nomine denotat, nempe Imperii simul, & Idololatriæ sedem. Hortatur Fideles, ut se invicem salutent osculo sancto, hoc est, osculo puritatis, & sinceritatis. Fuit vel descripta, vel translata a S. Marco charissimo ejus Discipulo, quem

Athenag. Ap. p. 36.

1. *Petr.* 5. 13.

Sæculum I. A. C. 42.

quem filium ſuum nominat, & quo utebatur interprete, ſive quod S. Petrus, ſicut & alii Apoſtoli, non ſemper donum omnium linguarum haberet, ſive quod in varias linguas transferri deberet, quod Apoſtolus ſcripſerat; quomodocunque autem res ſe habeat, conſtans eſt, Marcum ejus fuiſſe interpretem, & poſt eum Glauciam eodem miniſterio functum; Titum vero fuiſſe S. Pauli interpretem.

Clem. Alex. ap. Strom. Hier. ep. 150. ad Hedip. q. 11.

Bur. II. hiſt. c. 14. Pap. Euſ. III. hiſt. c. ult.

Hujus Romæ commorationis tempore S. Marcus ſuum Evangelium ſcripſit ad Fidelium preces, qui ea, quæ Petrus viva voce docuerat, ſcripta retinere optabant. S. Marcus nunquam viderat Dominum, nec res notavit eo ordine, quo Chriſtus eas dixerat, vel fecerat, ſed ſicut eas acceperat a S. Petro, qui, dum prædicabat, inſuper-habito temporis ordine, tantum audientium utilitati ſtudebat. Scripſit ergo S. Marcus exacte omnia, quæ memoria retinuerat, maxime ſollicitus, ne quid omitteret, aut contra veritatem proferret. Inde factum, ut nonnulli hoc Evangelium ipſi S. Petro adjudicarent; nam cum per revelationem id didiciſſet, quod factum fuerat, gaviſus eſt ſummopere de Fidelium affectu ad hoc ſcriptum, quod ſua auctoritate confirmavit, volens, ut in Eccleſiis prælegeretur. Scripſit Marcus Græce, eo quod hæc lingua toto Oriente communis eſſet, & Romæ ita vulga-

Tert 4. cont. Marc. c. 5. Clem. Alex. ap. Euſ. II. hiſt. c. 15. Aug. de conſ. Evang. l. 1. c. 2. n. 4.

Jud. Sat. 6. v. 195. Mart. 10. epig. 68.

vulgaris, ut eam nec mulieres ignorarent. Non debet confundi S. Marcus Evangeliſta, cum Joanne, qui Marcus cognominatus eſt, filius Mariæ, & Barnabæ affinis, nam iſte cum Saulo erat in Oriente, cum Evangeliſta eſſet Romæ, aut Alexandriæ. Sæculum I. A. C. 42.

S. Petrus Roma Diſcipulos emiſit, ut fundarent Eccleſias in diverſis Italiæ locis, vicinisque Occidentis Provinciis; ita ut Sæculis ſequentibus conſtaret, neminem in Italia, Galliis, Hiſpaniis, Africa, Sicilia, & vicinis inſulis Eccleſias inſtituiſſe, præter eos, quos S. Petrus Apoſtolus, aut Succeſſores ejus Epiſcopos poſuiſſent, aliorumque Apoſtolorum nullum in his Provinciis prædicaſſe. Multæ Eccleſiæ primorum ſuorum Epiſcoporum nomina retinent, quos S. Petri Diſcipulos fuiſſe volunt, ſed tales traditiones plerumque incertitudine laborant, & poſterioribus ſæculis S. Petri Legatorum titulo decorabantur, qui S. Sedis Romanæ auctoritate miſſi erant. *Innoc. ep. 1. ad Decent. init.*

§. XXIX.

Herodis Agrippæ mors.

Rex Agrippa ſummum Sacerdotium a Mathia abſtulerat, & Elioneo, Cithei filio dederat. Anno tertio, quo toti Judææ imperabat, Cæſaream venit, ut *Joſ. XIX. ant. c. 7.*

Sæculum I. A. C. 42.

ludos pro salute Cæsaris celebraret. Altera solemnitatis die mane Theatrum conscendit, sedet, perorat ad populum; pallium indutus erat argenteum, mira arte contextum, cujus fulgorem incidentes solis radii geminabant. Tunc quidam ejus palpones diversa e regione acclamare: *Vox Dei est hæc, non hominis.* Act. 12. 23. Ipse tolerabat hanc blasphemiam, sed illico ab Angelo percussus, acutissimos viscerum dolores sensit, inquiens ad circumstantes: *Ecce! jam Deo vestro moriendum est.* Reportatur in suum Palatium, unde prospectus erat ad populum omnem, in terra cum mulieribus, & infantibus prostratum, ut a Deo Regis sanitatem postularent; sed nihil impetratum; obiit post quinque dies a vermibus corrosus, annos natus 54. anno Regni sui septimo, ab illo tempore, quo eum Caligula ex carcere traxerat, sub quo regnavit annis quatuor, tribus vero sub Claudio. Quatuor reliquit liberos; filium unum suo nomine Agrippam dictum annorum septendecim, & tres filias, Berenicen Patruo suo Herodi Calcidis Regi anno ætatis decimo sexto nuptui datam, Mariannem, & Drusillam innuptas.

Rex Agrippa nihil eorum ommiserat, quibus Judæorum amorem sibi conciliaret; cum fuisset natura mansuetus, beneficus, & usque ad prodigalitatem liberalis.

beralis. Nihilo minus quamprimum deceſſerat, Cæſareæ & Sebaſtes, alias Samariæ incolæ defuncti memoriam injuriis proſecuti ſunt. Milites filiarum ejus ſtatuis ex Palatio raptis, & in loca infamia deportatis ſumma indignitate illudunt. Cuncti feſtos publice agebant dies, odorati, & coronati floribus. Libationes Charonti offerebant, & bibentes Regi animam exhalanti propinabant. Agrippa filius Romæ erat, Imperatoris cura educatus; & Claudio quidem eundem mittere, ut pro Patre regnaret, voluntas fuit; ſed liberti, qui ejus animum, quocunque vellent, inflectebant, Agrippam per ætatem regno ineptum dixere. Ergo Cuſpius Fadus in Judæam cum Imperio miſſus. Tamen Claudius Agrippæ Regis memoriæ dedit, ut non mitteret illuc Marſum Syriæ Prætorem, utpote quibus inimicitiæ interceſſiſſent; immo Marſo ſucceſſorem dedit, prout ſæpe ab Agrippa rogatus fuerat, fuitque is Caſſius Longinus. Mandatum primum, quod Fadus a Claudio accepit, erat, ne Cæſareæ, & Sebaſtes habitatorum arrogantiam, & ingratitudinem relinqueret impunem. Sæculum I. A. C. 42.

§. XXX.

Prædicatio Pauli, & Barnabæ.

Saulus interim, & Barnabas perſeverabant in prædicatione Evangelii. Poſt- *Act.* 13. 6.

Sæculum I. A.C. 42.

quam Salaminæ evangelizaverant, reliquam Cypri insulam pertransierunt, & venerunt usque Paphos, ubi erat Judæus quidam magus, falsus Propheta, nomine Bar-JEsu, alias Elymas. Is manebat cum Sergio Paulo Proconsule, viro prudenti, qui desiderans audire verbum Dei, Saulum, & Barnabam accersivit. Resistebat vero Elymas, quem Saulus illico cœcitate percussit. Hoc miraculo motus Proconsul conversus est. Hic incipit Scriptura Saulum Apostolum nomine Pauli indigitare, quo magis notus est; sive, quod hoc nomen sibi sumpserit in memoriam spiritualiter sibi acquisiti Proconsulis; sive ab initio ei duo fuerint nomina, unum hebraicum tanquam Judæo; alterum latinum tanquam civi Romano; quia nativitate gaudebat hoc jure, hocque nomen Græcis, & Romanis esset magis acceptum. S. Paulus, & socii ejus ex insula Paphos solventes, venerunt in Pergen Pamphyliæ, ubi Joannes Marcus iis valedicens, Jerosolymam rediit. Inde venerunt Antiochiam Pisidiæ, ibique Synagogam intrantes die Sabbati, sederunt. Post lectionem Legis, & Prophetarum a Principibus Synagogæ invitantur, ut dicerent ad populum; tunc Paulus surgens, cœpit explicare mysterium JEsu Christi, indicans, quomodo fuisset promissus; atque ejus passionem, resurrectionem, & Prophetiarum adimpletionem

Act. 13. 9.

Orig. præf. in epist. ad Rom.

Act. 13. 13.

tionem

tionem probans. Cum Synagoga egrederentur, rogati sunt, ut super eadem re sequenti Sabbato loquerentur iterum; pluresque Judæi, & alienigenæ, qui adorabant Deum, eos secuti, conversi sunt. Sæculum I. A. C. 42.

Sequenti Sabbato tota prope civitas convenit, ut audiret Apostolos; tunc vero Judæi, torquente invidia, contradicebant Paulo injuriantes, quibus Paulus, & Barnabas: *Vobis primum oportebat annuntiari verbum Dei, sed quia rejicitis, & vos vita æterna indignos judicatis, ecce vertimur ad Gentes.* His Gentiles lætabantur, & multi crediderunt. Itaque verbum Dei per omnem Regionem proferebatur; sed Judæi mulieres, pietatem profitentes, easque nobiles, & civitatis primas excitarunt, sicque Paulus, & Barnabas ex hac terra ejecti. Ipsi excusso contra eos pedum pulvere, juxta præceptum Domini, venerunt Iconium. *Matt.* 10. 14.

Ibi Synagogam ingressi, Judæorum, & Gentilium multitudinem converterunt. Qui vero Judæorum increduli manserant, suscitabant paganos contra Christianos. Nihilominus Apostoli confidenter ibi manserunt, multis editis miraculis. Ibi creditur S. Paulus instruxisse, & ad fidem perduxisse S. Theclam, illustrem fœminam, quæ viro optimæ formæ desponsata, diviti, nobili, & inter primos civitatis, abdicatis nuptiis, sta- *Act.* 14. *Greg. Naz. in S. Cyp. orat.* 18. *pag.* 279. *Greg. Nyss. in Cant. hom.* 14. *p.* 675. *Epiph. hær.* 78. *n.* 18. *Amb. de Virg. l.* 2. *Ado. marty.* 23. *Sept.*

Sæculum I. A. C. 42.

tuit virginitatem ſervare; hinc iratus ſponſus eam detulit, ut ad beſtias damnaretur; ſed beſtiæ, quas inter erant leones, non nocuerunt ei. Ajunt etiam eam a flammis prodigio liberatam. Prima omnium inter ſui ſexus Martyres numeratur.

2. *Tim.* 3. 11.

Act. 14. 4.

Multa Iconii paſſi ſunt Apoſtoli, erat enim diviſa civitas, cum hi Apoſtolis, alii Judæis faverent. Multis affecti contumeliis, etiam lapidibus impetiti, tandem in Lycaoniam receſſerunt, annuntiantes Evangelium Derbæ, Lyſtris, & in eorum finibus. Lyſtris S. Paulus claudum ab utero matris ſanavit; tum populus idololatra ſua lingua exclamare: *Venerunt Dii ad nos in forma hominum*, habebantque Barnabam pro Jove, & Paulum pro Mercurio, eo quod ſemper proloqueretur. Sacerdos in templo Jovis extra civitatem tauros adduxit ornatos, & coronatos floribus, jamque ſacrificio accingebatur; quo cognito Apoſtoli in mediam turbam irruentes clamabant: *Quid facitis, amici! homines ſumus, vobis ſimiles, qui venimus vobis prædicare, ut miſſis vanis ſuperſtitionibus ad Deum vivum convertamini, qui fecit cælum & terram.* Prohibito non ſine labore ſacrificio, ſupervenere Judæi ex Antiochia, & Iconio, qui populo Apoſtolos impoſtores eſſe perſuaſerunt, ita ut Paulum lapidibus obruerent, tractumque extra civi-

SS. Paulus, & Barnabas.

tatem,

tatem, pro mortuo relinquerent. Circumstetere Discipuli, & in urbem reduxerunt, unde altera die ivit Derben cum Barnaba. Postquam ibi docuissent, redierunt Lystros, Iconium, & Antiochiam Pisidiæ, firmantes Discipulos in fide, & patientia. In qualibet Ecclesia posuerunt Presbyteros, & post orationes, & jejunia commendaverunt Deo. Tum Pisidiam transeuntes, venerunt in Pamphiliam, & docuerunt Pergæ; inde Attaliam descenderunt, ubi nave conscensa reversi sunt Antiochiam magnam Syriæ, unde profecti fuerant, completo opere Dei, quod ipsis concreditum fuerat. Post suum Antiochiæ adventum congregarunt Ecclesiam, narrantes mirabilia, quæ Deus fecerat cum eis, & quomodo Gentilibus januam fidei aperuisset. Non modico tempore Antiochiæ manserunt. Circa hoc tempus S. Paulus creditur ad illos migrasse, ut annuntiaret fidem, qui nunquam de JEsu Christo quidquam audierant, usque in Illyricum.

Sæculum I. A. C. 42.

Act. 14. 23.

Rom. 15. 19.

§. XXXI.

Judææ status.

Cuspius Fadus Judææ Rector, mandato a Cæsare accepto, Judæorum Pontifices, & Principes Jerosolymæ teneri voluit, ut sacras S. Pontificis vestes in arcem Antoniam, sub Romanorum custodiam

Jos. XX. ant. c. 1.

Sæculum I. A. C. 42.

diam deponerent, ſicut ſub Vitellii Praetura fuerat obſervatum. Judæi petierunt veniam, ut legatos ad Imperatorem mitterent, quam, datis obſidibus, obtinuerunt; eorum legati a juniore Agrippa ad Imperatorem deducti, qui ad ipſius preces conceſſit, quæ poſtulabant, ſcripſitque Prætori, & Judæorum Magiſtratui. Data eſt hæc epiſtola anno Chriſti quadrageſimo quinto. Herodes Rex Calcidis, junioris Agrippæ Patruus, ab Imperatore poteſtatem in Templum, & ſacros Theſauros poſtulavit, cum jure conſtituendi Pontifices; omnia impetravit; eaque jura ſuæ familiæ usque in finem vindicavit. Supremam igitur Pontificis dignitatem Canthera abdicare juſſo, eadem Joſephum, Canei aut Camidei filium decoravit, rursusque iſti detractam, Ananiæ Nebedei filio contulit. Obiit hic Rex Imperatoris Claudii anno octavo; anno Chriſti quadrageſimo octavo. Cuſpio Fado ſucceſſit Tiberius Alexander, Alexandri fratris Philonis filius, inter Judæos facile opulentiſſimus. Is Patrum ſuorum Religioni renuntiavit. Poſt Herodis Regis in Calcide mortem, Regnum hoc Claudius ejus Nepoti Agrippæ adjudicavit anno Chriſti quadrageſimo nono; Judæa autem, ubi Pater ejus regnaverat, a Ventidio Cumano, Tiberii Alexandri ſucceſſore regebatur. Sub hoc Venti-

Joſ. XX. ant. c. 3.

Ventidio Cumano Judæorum seditio ortum duxit. Sæculum I. A. C. 42.

Ad festum Paschatis Cumanus, ne tumultus fieret, unam cohortem cum armis in Templi ambulacris disponit, sicut in solemnitatibus fieri consueverat. Quarto festivitatis die unus militum elevata tunica turpiter curbatus dorsum obvertit Judæis, verba ingerens situ corporis nihilo honestiora. Illico in omni populo exoritur commotio; conclamant; non sibi, sed ipsi Deo insultari. Aliqui culpa in Cumanum rejecta, coram injuriabantur. Eorum fervidissimi milites lapidibus infestant. Tum Cumanus, cum pacem frustra juberet, omnes cohortes armatas in arcem Antonianam immittit, cui nempe Templum esset obnoxium; quare multi de plebe perterriti, quasi enses cervicibus imminerent, tanta præcipitatione ad Templi exitus condensantur, ut plurimi suffocarentur. Ad viginti hominum millia funesto hoc casu periere. Festivitas versa est in luctum; omissa Sacrificia, & orationes, ut lachrymis, & gemitibus vacaretur. *Jos. XX. ant. c. 3. Bell. c. 20. pag. 794.*

Huic tumultui nondum pacato, successit alter. Seditiosis quibusdam, in via publica, quæ Jerosolymam ducebat, occurrit servus Cæsaris Stephanus nomine; hunc omnibus spoliant. Cumanus sine mora mittit, qui vicinos vicos deprædarentur,

Sæculum I. A. C. 42.

rentur, & primores sibi adducerent. In hac direptione cuidam militi libri Moysis in manus inciderunt, hos ipse publice laceratos in ignem conjecit, verbis etiam Legi, & Nationi insultans. Judæi irritati, quasi toti Palæstinæ flammæ essent ingestæ, ingenti numero Cæsaream properant, ubi tunc erat Cumanus, clamantes vindictam, & Præses ex amicorum consilio, ne seditio totius gentis Judæorum sequeretur, militem capite plecti jubet. Sic demum reddita tranquillitas.

§. XXXII.

Concilium primum Jerosolymæ.

Epiph. hær. 28. n. 2.

Inter hæc quidam fratrum ex Judæa venerunt Antiochiam, non levem causantes perturbationem, cum dicerent, Fideles sine circumcisione non posse salvari. Cerinthus falsus frater, & Pseudo-Propheta, hujus seditionis Princeps erat, volens Fideles, non solum ad circumcisionem, sed ad observantiam totius Legis Mosaicæ obligare. S. Paulus, & Barnabas resistebant, dicentes; JEsum Christum venisse, ut suos ab hac servitute liberaret, ejusque gratiam illis nihil profuturam, qui circumcisionem necessariam putarent. Tunc statutum est, ut irent Jerosolymam, Apostolos, & Presbyteros

Philostr. de hær. c. 8.

Gal. 5.

Sæculum I. A.C. 42.

teros ſuper hac quæſtione conſulturi; ſumpto igitur ſecum Tito, tranſeuntes Phœniciam, & Samariam narrabant Gentilium converſionem, quæ res magno gaudio erat fratribus. Cum Jeroſolymam adveniſſent ab Apoſtolis, Presbyteris, & tota Eccleſia ſuſcepti ſunt. Sic Paulus Jeroſolymam rediit quatuordecim annis poſt ſuam converſionem, & quidem Deo revelante. Conſilia contulit cum fratribus, & particularius cum Apoſtolis, qui ibi erant, nempe S. Petro, Jacobo, & Joanne, qui Eccleſiæ columnæ habebantur. Suam, quam Gentilibus prædicabat, nec ab ullo homine, ſed per revelationem JEſu Chriſti didicerat, doctrinam cum doctrina Apoſtolorum comparabat, ut ſciret, ſe non in vanum laborare. Utrobique omnia inventa ſunt conformia. Quidam tamen Fideles de Phariſæorum ſecta affirmabant, Gentiles converſos debere circumcidi, & ad Legis Moſaicæ obſervantiam teneri.

Gal. 2.

Act. 15. 5.

Apoſtoli ergo, & Presbyteri congregati ſunt, ut hanc quæſtionem examinarent. Hoc fuit primum Concilium in Eccleſia habitum. Quinque ibi erant Apoſtoli SS. Petrus, Joannes, Jacobus, Paulus, & Barnabas. Quæſtione diligenter diſcuſſa, effatur S. Petrus dicens: *Fratres mei! ſcitis quod a multo tempore me elegerit Deus, ut per os meum Gentiles Evan-*

Sæculum I. A.C. 42.

Evangelium audirent; & ille, qui noscit corda omnium, fidei illorum testimonium reddidit, donans eis Spiritum S. sicut nobis sine distinctione. Loquebatur nempe de conversione Cornelii. *Quare ergo tentatis Deum, & Discipulis jugum imponitis, quod nec Patres nostri, nec nos portare potuimus? Speramus salvari per gratiam Domini Nostri JEsu Christi, sicut & ipsi.* S. Petro ita loquente omnis multitudo siluit; sed audiebant Barnabam, & Paulum miracula narrantes, quæ Deus per eos in Gentilibus operatus esset.

Tum & S. Jacobus locutus, sententiam S. Petri confirmavit ex testimoniis Prophetarum circa vocationem Gentium. *Quare*, inquit: *judico, Gentiles conversos non debere vexari, sed iis tantum rescribi, ut abstineant ab idolorum immunditiis, fornicatione, carnibus suffocatorum, & sanguine; nec enim timendum, ne memoria Legis Mosaicæ intereat, cum semper in Synagogis singulis diebus Sabbati legatur; & explicetur.* Tunc ab Apostolis, Presbyteris, & tota Ecclesia concluſum, ut Antiochiam cum Paulo, & Barnaba duos viros selectos, & inter fratres Primores, mitterent Judam cognominatum Barsabam, & Silam, iisque epistolam ferendam crediderunt, sequentis tenoris:

Amos 9. 12.

Concilium Jerosolymitanum.

Aposto-

Sæculum I. A. C. 42.

Apoſtoli, Presbyteri, & fratres, fratribus ex Gentilibus, qui ſunt Antiochiæ, in Syria, & Cilicia, ſalutem. Cum cognoviſſemus, aliquos noſtrorum ad vos iviſſe, qui dicerent, quamvis nos iisdem id non injunxerimus, talia, quæ vos turbant, & ad ruinam animarum veſtrarum tendunt; ſtatuimus, congregati, aliquos ſeligere, & ad vos mittere cum chariſſimis noſtris Barnaba, & Paulo, qui vitam ſuam pro nomine Domini noſtri JEſu Chriſti periculis expoſuerunt; miſimus ergo Judam, & Silam, qui eadem vobis coram dicent, ſcilicet; viſum eſſe Spiritui S. & nobis, aliud jugum vobis non imponere, quam quod neceſſarium; ut abſtineatis a carnibus immolatis, a ſanguine ſuffocatorum, & fornicatione. Bene facietis, ſi ab his caveritis. Valete.

Neceſſitas tunc exigebat monere Gentiles, fornicationem eſſe illicitam, quia apud eos inter crimina non reputabatur. Paganorum Religio eos a nullo diſſolutionis genere avertebat. Lege civili adulterium tantummodo prohibebatur, ſed impune erat concubinas alere; & mulieres ex quæſtuoſa proſtitutione viventes publice tolerabantur; illud vero longe pejus, unumquemque mancipiis ſuis, prout lubebat, potuiſſe abuti. Quod attinet prohibitionem veſcendi ſanguine, & conſequenter carne ſuffocatorum,

Sæculum I. A. C. 42.

torum, ex altiori origine, quam ex Moysis Lege ortum trahebat, facta enim jam fuerat Noemo ex Arca egredienti; hinc omnes nationes tangere videbatur. Credibile est igitur, Apostolos hanc solam Legis observantiam satis facilem retinere voluisse, ut quodam vinculo Gentiles, & Israelitas unirent, & memoriam revocarent Arcæ Noemicæ, quæ fuerat figura Ecclesiæ, in qua omnes Nationes congregantur. Sed & alia potuit subesse ratio, quod nempe falsi Dii, id est, Dæmones, victimarum sanguine pasci crederentur.

Gen. 9. 4.

Aug. 32. *cont. Faust. c.* 13.

Orig. cont. Cels. l. 8. *p.* 418.

Apostoli in hoc primo Concilio exemplum dederunt, quod Ecclesia in Conciliis Generalibus imitata est, dum quæstiones fidei, & disciplinæ deciderentur; sicut ab ipsis Conciliis observatum est. Exoritur magna divisio inter Fideles, mittuntur, qui Ecclesiam Jerosolymæ consulant, ubi Evangelii prædicatio cœperat, & tunc temporis S. Petrus erat. Apostoli, & Presbyteri conveniunt, tanto, quo poterant, numero. Deliberatur morose, & tranquille, singuli suam opinionem dicunt, deciditur quæstio. S. Petrus Concilio præsidet, auspicatur, proponit quæstionem, & primus dicit sententiam; sed non solus judicat, etiam S. Jacobus judicat, sicut expresse dicit. (*)

Epist. Cœl. ad Conc. Ephes. Act. 2. *p.* 614. *tom.* III. *Conc.* 5. *Collat.* 8. *p.* 563. *to.* 5.

Decisio

(*) Idem docet Sanctissimus Pater Noster Bene-

Decisio in sacris Scripturis fundatur, & consensu communi formatur. Litteris mandatur, non ut opinio humana, sed tanquam oraculum, & asseritur confidenter: Visum est Spiritui S. & nobis. Mittitur hæc decisio ad privatas Ecclesias, non ut examinent, sed ut acceptent, & perfecta submissione exequantur. (*) Sæculum I. A. C. 52.

Sic quievit disputatio de observatione legalium. Titus, quem S. Paulus, &

Benedictus XIV. in suo opere de Synodo Diœcesana Lib. XIII. Cap. II. N. II. dicens: Siquidem Episcopi in Concilio Generali Summo Pontifici assident, non tanquam meri Consiliarii, verum etiam tanquam Judices. Adducitque illa verba Patavini: Sunt igitur sine dubio Judices.

(*) Ostendat Interpres Protestans, qui Concilia Catholicorum in suis Notis vilipendit, a tempore JEsu Christi usque in hanc diem vel unam Synodum, a Communione Ecclesiæ Romano-Catholicæ separatam, cujus Decreta integræ in orbe Provinciæ receperint! Equidem post novissima Lutheri tempora conventus egere Hollandi, Angli, Sueci, Protestantes Germani &c. &c. At Charitatis, Unitatis, & Communionis vinculum, unicum illud, & evidens veræ JEsu Christi Religionis signum, quod homines, in Europa, Asia, Africa, & America versantes connectat, nullibi, nisi in Ecclesia Romana deprehenditur. Quid enim, exempli gratia, Suecis in causa Religionis est cum Anglis? Quid Anglis cum Transylvanis, aut Saxonibus?

Sæculum I. A. C. 42.

S. Barnabas adduxerant, quamvis origine esset Gentilis, non est coactus circumcidi. S. Petrus, S. Jacobus, & S. Joannes agnoverunt, Deum S. Paulo prædicationem Evangelii pro Gentilibus commisisse, sicut S. Petro pro Judæis; ergo porrexerunt ipsi, & Barnabæ dexteras, in societatis signum, ut alii prædicarent Gentibus, alii Judæis; solummodo rogabant, ut sibi commendatos haberent pauperes in Judæa. Id tamen de prædicatione non ita accipiendum, quasi vero tam uni, quam alteri parti non æqualis potestas esset, annuntiandi Evangelium tam circumcisis, quam Gentilibus; nam S. Petrus primus fuerat, a quo Gentiles ad fidem vocati; S. Paulus semper Judæis ante alios annuntiabat verbum Dei; sed hæc distinctio principalem causam utriusque missionis denotabat. S. Petrus Ecclesiæ Caput missus est ad Judæos, pro quibus JEsus Christus primario venit; S. Paulus vocatus erat pro Gentilibus, eratque eorum Doctor, & Defensor singularis.

Gal. 2. 3.

Act. 13. 46.

Hier. ep. ad Gal. c. 2.

Rom. 15. 8.

Matt. 15. 24.

SS. Paulus, & Barnabas Antiochiam reversi sunt cum Juda, & Sila. Congregata Fidelium multitudo, cum iis Apostolorum epistola fuisset prælecta, lætata est, eo quod solatium afferret Gentilibus. Sed & ipsi ex sermonibus Judæ, & Silæ, qui erant Prophetæ, eosque in fide roborabant,

bant, levamen capiebant. Postquam aliquanto tempore mansissent Antiochiæ, fratres eos in pace dimissuri erant ad eos, a quibus missi fuerant, sed Silæ remanere præplacuit, & solus Judas rediit Jerosolymam. Manserunt etiam Antiochiæ Paulus, & Barnabas docentes, & cum pluribus aliis Evangelium prædicantes. Ipse S. Petrus illuc venit, & commoratus est. Sæculum I. A. C. 42.

§. XXXIII.

S. Petrus reprehensus a Paulo.

Ab initio quidem cum Gentilibus conversari, & manducare non dubitabat; sed cum venissent quidam de circumcisis a Jacobo missi, timuit Petrus, ne iis displiceret, cœpitque a Gentilibus separari. Eodem modo dissimulabant alii Judæi, suo exemplo trahentes etiam Barnabam. Tunc S. Paulus videns, quod non tenerent viam rectam juxta veritatem Evangelii, restitit Petro in faciem, quia erat reprehensibilis, & coram omnibus dixit: *Si vos, qui estis Judæi, more Gentium vivitis, & non Judæorum, quare Gentiles cogitis judaizare?* in ipsa Doctrina neutiquam discrepabant Petrus, & Paulus. Petrus enim in Concilio paulo ante docuerat, Gentes ad observantiam legalium non obligari; ex altera *Gal. 2. v. 11. 13.*

Sæculum I. A. C. 42.

parte sciebat S. Paulus legalia adhucdum esse permissa, quod & ipse data occasione faciebat, vivens cum Judæis, sicut Judæus,

1. *Cor.* 9. 20. ne eorum cæremonias videretur damnare, quæ bonæ erant pro tempore, quo Deus illas præceperat; erat ergo Petri culpa, non nisi error in moribus, consistens in nimio Judæis placendi studio, cùm non tantum privatim eorum more viveret, sed etiam, ne eos offenderet, a Gentilium con-

Aug. ad Hier. ep. 40. *c.* 3. *& ep.* 82. *c.* 6. versatione abstineret, quasi illos existimasset immundos; sicque contra decisionem Concilii Gentes judaizare cogebantur si

Cyp. ep. 71. *ad Quint.* cùm Judæis fidelibus communicare vellent. S. Petrus nec Primatum obtendit, nec Paulum in Apostolatu juniorem despexit, aut quod persecutus fuisset Eccle-

Aug. de Bapt. cont. Don. l. 2. *c.* 2. siam; sed accepit consilium, quod veritati erat consentaneum, & libenter rationibus allegatis acquievit.

§. XXXIV.

Iter S. Pauli, cum SS. Luca, Sila, Timotheo.

Act. 15. 36. Non multo post Paulus ait ad Barnabam: *Revertamur visitare fratres per omnes civitates, ubi prædicavimus, ut sciamus eorum conversationem.* S. Barnabas etiam Joannem Marcum volebat comitem, sed Paulus rogabat, ut relinquerent eum, eoquod in Pamphilia ab ipsis discessis-

discessissset; cumque essent contrariæ opinionis, in diversa profecti sunt. Barnabas sumens secum Marcum ivit in Cyprum. Paulus habens apud se Silam, discessit, postquam a fratribus Dei gratiæ commendatus est. Hæc contestatio profuit Marco, quem S. Paulus sequenti tempore utiliter adhibuit; fuitque hujus separationis emolumentum, ut Evangelium pluribus in locis annuntiaretur. Sæculum I. A. C. 42. *Chrys. hom. 34. in act.* *Col. 4. 10.* *2. Tim. 4. 11.*

S. Paulus cum Sila perambulans Syriam, & Ciliciam, solidabat Ecclesias, exhortatus, ut decreta Apostolorum, & Presbyterorum Jerosolymæ servarent. Venit Derben, & Lystros, ubi Discipulum invenit nomine Timotheum, cujus bona erat fama apud omnes Discipulos Lystris, & Iconii; Patrem habebat Gentilem, Mater vero ejus Eunice Judæa erat fidelis; sed & Avia ejus Lois in vera fide vixerat. Hunc Paulus volebat secum ducere, sed antea circumcidit eum propter illius Regionis Judæos, quibus in animum induci non potuisset, ut Doctrinam ab incircumciso acciperent; sed etiam, nisi fecisset Paulus, consanguineis Matris ejus, qui erant Judæi, potuisset videri ansam præbuisse, ut crederent, ipsum a Legis Ceremoniis abhorrere; ipse vero volebat indicare, si Gentiles Ceremoniarum onus non suscepissent, non ideo factum, quod eas esse malas crederent, sed *Act. 15. 41.* *Act. 16. 1.* *2. Tim. 1. 5* *Chrys. hom. 34. in act.* *XVI. 3.* *Aug. de mendacio c. 5. n. 8.*

Sæculum I. A. C. 42.

non amplius neceſſarias. Cognoſcens Paulus per Spiritum Prophetiæ, Timotheum a Deo electum ad ſacrum Miniſterium, cum Presbyteris Eccleſiæ impoſuit ei manus; ſicque ei Gratia collata eſt.

1. *Tim.* 4. 14.
2. *Tim.* 1. 6.

Act. 16. 6.

Itaque Paulus duobus jam comitibus Sila, & Timotheo Eccleſias viſitando per mediam Phrygiam, & Galatiam tranſibat, ſed Spiritus S. eos in Aſiæ Provincia evangelizare vetuit. Cum veniſſent in Myſiam, voluntas erat in Bithyniam tranſire, niſi JEſu Spiritus prohibuiſſet. Venerunt ergo Troaden civitatem Aſiæ maritimam, alias dictam Antigoniam; ibi nocte Paulo in viſione apparuit quidam Macedo, rogans, ut in Macedoniam tranſiret. Illico obtemperavit Paulus de vocatione Dei certus; & cum Sila, & Timotheo Troade ſolvit. Creditur S. Lucas hic primo eum ſecutus, quia in hiſtoria Actuum Apoſtolorum a ſe conſcripta hic primo de ſe ipſo mentionem facit. Erat Antiochenus, profeſſione Medicus, & deinceps in omnibus itineribus S. Pauli indiviſibilis comes.

Plin. l. 5. c. 30

Act. 16. 10.

Iren. l. III. c. 14.
Hier. de Script. in Lucam.

§. XXXV.

S. Paulus in Macedonia.

Act. 16. 13.

Troade recta Samo-Thraciam perrexere, altera die Neapolim, inde Philippos, Romanorum in Macedonia coloniam, ibi

ibi aliquot dies morati. Die Sabbati extra portam civitatis ivere ad fluvium, ubi erat Proſeuca, ſeu locus orationis, ſicut Judæi habere conſueverant, præter Synagogas, quæ erant in civitatibus; ibi S. Paulus, & ſocii ejus conſidentes, ad congregatas fæminas loquebantur, quas inter Lydia purpuraria ex civitate Aſiæ Thyatira credidit Evangelio. Baptizata eſt cum tota domo, & Apoſtolos ad ſe divertere coegit. Sæculum I. A. C. 42.

Cum irent in oratorium, puella, ex qua malignus ſpiritus, quo poſſidebatur, prophetabat, clamabat poſt eos: *Viri iſti ſunt ſervi Dei Altiſſimi, qui vobis viam ſalutis annuntiant;* ſic pluribus diebus clamans, miſericordiam movit Paulo, qui reſpiciens, dixit ſpiritui: *Præcipio tibi in Nomine JEſu Chriſti, ut ex hac puella exeas;* exivitque eadem hora. Domini illius puellæ, qui ex reſponſis ejus quæſtum fecerant, ſpe lucri amiſſa, comprehenſos Paulum, & Silam in foro coram Magiſtratu ſiſtunt, dicentes: *Ecce viri Judæi! qui conturbant civitatem, & vitæ rationem docent, quam nobis Romanis amplecti non licet.* Inſurrexit etiam populus contra eos, & Magiſtratus juſſu, ſciſſis eorum veſtibus, virgis cæſi ſunt; deinde in carcerem miſſi, quos cuſtos, ſollicite ſibi commendatos, pedicis induit.

Sæculum I. A. C. 42.

Media nocte Paulum, & Silam orantes, & laudantes Deum concaptivi audiebant. Tunc supervenit terræ motus, & carceris fundamenta concussa sunt; aperiuntur portæ, dissiliunt catenæ. Jamque custos sibi vim erat illaturus, putans omnes captivos effugisse, cum Paulus clamavit: *Ne malum tibi intuleris, ecce omnes adsumus.* Tum custos tremens ad pedes Pauli, & Sylæ prostratus, quærebat, quid facto opus, ut salvus fieret. Eadem nocte instructum, baptizarunt cum tota domo sua; ipse vero lavit eorum vulnera, cibis refecit, & lætabatur cum eis. Altera die adsunt a Rectoribus civitatis lictores portantes virgarum fasces, cum mandato, ut eos liberarent; sed S. Paulus: *Laniarunt*, inquit: *corpora nostra virgis sine omni judicio publice, & miserunt in carcerem, nos, qui cives Romani sumus, nunc secreto dimittunt; non fiet ita, sed ipsi veniant, & educant;* id cum audissent Majores, eos scilicet esse cives Romanos, timuerunt, & venerunt, factum excusantes, cum precibus, ut civitate discederent. Ex carcere egressi, domum Lydiæ intrarunt, & fratres consolati, profecti sunt.

Act. 17.

Philippis Paulus cum sociis suis transivit civitates, Amphilopolim, & Apolloniam, veneruntque Thessalonicam Macedoniæ Metropolim. Quidquid mali Philippis

lippis sustinuerant, nullatenus obstabat, quo minus confidenter prædicarent Thessalonicæ. Erat ibi Judæorum Synagoga; hanc pro more ingressus Paulus tribus continuis Sabbatis ex Scripturis Mysterium JEsu Christi eis explanabat, verba miraculis confirmans, & donis Spiritus S. nec in vanum cecidit ibi semen verbi divini, nam non Judæi solum, sed non modicus etiam Gentilium numerus, qui jam prius Deum adorabant, & multæ fœminæ natalibus insignes Fidelium numero adscripti sunt. Novelli isti prædicationem Apostolorum accipiebant, non ut verbum hominum, sed verbum Dei. Imitabantur Ecclesias Judææ, ut essent Ecclesiarum Macedoniæ, & Achaiæ exemplar, in mediis tribulationibus gaudium Spiritus S. retinentes. Multas iis afflictiones tolerandas prædixerant Apostoli; nec enim Discipulis adulabantur, nec gloriam propriam, nec utilitatem quærebant; in medio fratrum se ipsos parvulos faciebant, sicut nutrix, quæ blanditur filiis suis. Et quamvis tanquam operarii JEsu Christi potuissent a Fidelibus vitæ necessaria exigere, malebant diu noctuque laborare, ne cuiquam oneri essent, & omnibus vitandæ avaritiæ, pigritiæ, & nimiæ sollicitudinis exempla præberent.

Sæculum I. A. C. 42.

1. *Thess.* 2. 4. S. Paulus.

1. *Thess.* 3. 4.

ibid. 2. 5. 6.

Sola

Sæculum I. A. C. 42.

Sola Ecclesia Philippensis S. Paulo subsidio temporali profuit, quale ipsi bis Thessalonicam submisere. Et hæc quidem S. Pauli, & Silæ in Macedonia erat conversatio.

Phil. 4. 15.

Act. 17. 5.

Judæi, torquente æmulatione, quorumque pessimorum de plebe audacia usi, Thessalonicæ turbas excitarunt, concurrentes ad Jasonis domum, ubi Apostoli habitabant, iisque absentibus, ipsum Jasonem cum fratrum quibusdam arreptum, ante Principes civitatis trahunt; accusationis capita proponebant his verbis: *venerunt viri, qui turbas cient in populis, quos Jason in domum suam suscepit; legibus Imperatoris non obtemperant, sed dicunt, esse alium Regem, nomine JESum.* His commotus populus est, & Magistratus; nihil tamen durius statutum, præterquam quod Jason, & alii cautionem præstare debuerint se iterum sistendi, & sic dimissi sunt.

Act. 17. 10.

Chrysost. hic.

Fratres vero prompte, & noctu Paulum, & Silam miserunt Beræam, ubi Synagogam ingressi sunt. Judæi Berææ meliori mente erant, quam Thessalonicenses, & magno fervore receperunt verbum Dei, quotidie scrutantes Scripturas, ut cognoscerent, an ea, quæ dicebantur, iisdem consona essent. Multi crediderunt, & multi etiam Gentiles, præter mulieres nobili genere ortas; quod ubi Judæis

Judæis Theſſalonicenſibus relatum, venerunt Beroeam, ut commoverent plebem; ſed fratres feſtinarunt emittere Paulum, quaſi ad mare iturum, Sila & Timotheo remanentibus. Sæculum I. A. C. 42.

§. XXXVI.

S. Paulus Athenis.

Qui S. Paulum comitabantur, deduxerunt eum Athenas, unde illos remittens, Silæ, & Timotheo ſignificare rogabat, ut quantocius ad ſe venirent. Dum Paulus eos Athenis manet, zelo accenſus eſt, videns, quantis Idololatriæ tenebris hæc civitas involveretur. Is enim erat locus totius Græciæ, quo ſuperſtitio quaſi propria in ſede regnabat, & Athenienſes a cunctis Gentibus inter omnes religioſiſſimi habebantur. Paulus in Synagoga ſermocinabatur cum Judæis, aliisque, qui adorabant Deum, in foro publico autem cum omnibus. Magna ſemper Athenas, non tantum ex Græcia, ſed ex omni Regione peregrinorum multitudo confluebat, tanquam ſcientiarum, artium liberalium, & morum elegantiæ patriam. Præcipua Athenienſium ſive incolarum, ſive hoſpitum occupatio erat, ut nova, vel narrarent, vel diſcerent; inter alia vitia eminebat apud eos curioſitas; auſcultabant ergo Paulum, quia Doctrinam

Joſ. in App. lib. II. Pauſ. l. 2.

Sæculum I. A.C. 42.

ctrinam novam afferebat. Quidam Philosophi disputabant cum eo, variis enim eorum Sectis Athenæ scatebant; majori inter alias auctoritate pollebant duæ, Epicureorum, & Stoicorum. Epicurei felicitatem constituebant in sensuum delectatione; Stoici econtra in perfectione rationis, & virtutibus moralibus; utraque Secta de Deo erat parum sollicita. Ideo plerique Doctrinam S. Pauli spernebant. Quosdam tamen curiositas, & desiderium subiit, hanc Doctrinam penitius perspiciendi, duxeruntque eum in Areopagum.

Incurs. de Areop. c. 9.

Is erat locus, ubi Judicum selectorum societas conveniebat, quorum erat de rebus summi momenti cognoscere, quæ causam capitis, Religionem, aut mores spectabant. Tribunal totius Græciæ famosissimum. Cum illuc intrasset Paulus, occasionem dicendi sumpsit ex altari, quod in civitate viderat, ignoto Deo sacrum. Ajunt inscriptionem fuisse talem: *Diis Asiæ, Europæ, & Africæ, Diis ignotis, & peregrinis.* Hæc erat horum Infidelium in superstitionis excessu cautio, ne quamdam usque Divinitatem incultam præterirent; sed cum æmulatione cœteros inter populos hospitalitatis leges erga Deos, & homines studiose observarent.

Hier. in ep. ad Tit. 1. 12. Chrysost. in acta. 17. 11. 24. hom. 38.

Pren-

Sæculum I. A C. 42.

Prensata hac occasione S. Paulus ad eos; hunc Deum quem ignotum adorarent, esse verum Deum, Creatorem cœli, & terræ, qui non habitaret in Templis, nec species ejus ab operibus hominum posset spectabilis reddi, cum ipsi homines sint opera ejus. Deum hominum ignorantiam miseratum, eos ad pœnitentiam invitare, comminatione judicii, in fine temporum ab homine exercendi, quem, ut in eum crederent, a mortuis resuscitasset. Athenienses de resurrectione mortuorum audientes, quidam irridebant; alii dicebant: *Audiemus te de hac re iterum.* Fuerunt, qui Paulum secuti, conversi sunt; inter alios Dionysius Areopagitarum unus, & mulier nomine Damaris. Hic Dionysius fuit primus Athenienſium Episcopus. *Dionys. Cor. ap. Euſ. IV. hiſt. c. 23.*

Inter hæc Silas, & Timotheus advenere; Timotheum quidem Paulus Thessalonicam misit, & Silam in Macedoniam, haud dubie ad aliam civitatem, ubi exhortaretur, & confirmaret Fideles. Ipse solus Athenis mansit. Desiderio quidem tenebatur vehementi per se visendi Thessalonicenses, amabat enim hanc Ecclesiam; sed bis itineri accinctus, impeditus est a Satana; cum tamen mutua consolatione indigerent, suum illuc misit Discipulum. 1. *Theſſ.* 2. 17. 3, 1. 2. *c.* 2. 18.

§. XXXVII.

Sæculum I. A. C. 49.

§. XXXVII.

S. Paulus Corinthi.

Act. 18. Athenis discedens, ivit Corinthum, ubi invenit Judæum nomine Aquilam ex Ponto oriundum; is non multo ante id temporis cum uxore Priscilla ex Italia fugerat, post Imperatoris Claudii mandatum, ut omnes Judæi Roma excederent. Id contigit anno Regni ejus nono, JEsu Christi quadragesimo nono, propter tumultus continuos, quos occasione Evangelii, & Nomen JEsu Christi ciebant.

A. J. C. 49.

Suet. Claude c. 25.

S. Paulus apud Aquilam habitabat, cum eandem artem profiterentur, quæ erat, tentoria conficere ex corio, quibus milites in bello utebantur. Apud Judæos opificia in honore erant. Sapientissimi eorum Discipulis suadebant, suis manibus operarentur, ut nemini oneri essent, ad exemplum Prophetarum. Illas artes memoria retinuere, quas plures inter Rabinos celeberrimi exercuerant, dum aliis carbonarium, aliis sutorium, aliis aliud fuerat opus. Laborabat ergo Paulus, eratque illi effatum familiare: qui non laborat, non manducet.

Chrys. Pars. Abarbanel. Nahal. Aboth.

Act. 20. 34. 2. *Thess.* 3. 10.

Act. 18. 4. Corinthi S. Paulus singulis Sabbati diebus Nomen Jesu Christi annuntiabat, convertens Judæos, & Gentiles. Sila, & Timotheo ex Macedonia reversis, Paulus multo magis urgebat Judæos, ut in JEsum

Sæculum I. A. C. 49.

JEsum crederent; ipsis vero contradicentibus, & blasphemantibus, excussit vestimenta sua, inquiens: *Sanguis vester erit super capita vestra; ego autem sum innocens; & ecce convertor ad Gentes;* & inde exiens, intravit ad quemdam Titum Justum servum Dei, cujus domus erat Synagogæ contigua. Plures tamen Corinthii fide susceptâ baptizati fuerant; inter alios Stephanas cum domo sua, quem S. Paulus manu sua baptizavit; & hæ fuerunt Achajæ primitiæ. Baptizavit etiam Crispum Synagogæ Principem, & Cajum. Paucos autem ipse baptizabat, quia non ut baptizaret, sed ut prædicaret, missus erat. Quadam nocte per visionem firmatus a Domino dicente sibi: *Ne timeas loqui, quia ego tecum sum; nemo tibi nocere poterit, & permagnus mihi in hac urbe est populus.* Cum Athenarum, & Lacedæmonis gloria jam a multo tempore decrevisset, Corinthus inter civitates Græciæ facile prima evaserat. In Isthmo Peloponesi posita, commerciis erat opportunissima propter communicationem terrarum, & marium, quorum istud in Asiam, illud vero in Italiam viam aperiebat. Hinc, id est, ad Occasum erat portus Lecheus, ad Orientem portus Cenchreus tribus, & dimidia leucis Corintho dissiti. Erat ergo hæc civitas & opulentissima, & populentissima, Rectoribus, & Philoso-

1. *Cor.* 1. 16. c. 16. 15.

1. *Cor.* 1. 14.

Chrys. arg. in 1. *Cor.*

Strab. l. 8. *p.* 378.

Sæculum I. A. C. 50.

losophis referta. Cœterum dissolutionis, & licentiæ non erat modus. Mansit ibi S. Paulus anno, & dimidio, ab anno Christi quinquagesimo, usque ad quinquagesimum secundum. Multa ibi passus est, multaque edidit miracula.

A. C. 50.
2. *Cor.* 12. 12.

§. XXXVIII.

Evangelium S. Lucæ.

S. Paulo in Achaja, & Bæotia commorante, S. Lucas ejus comes, scripsit Evangelium. Creditur illud esse, quod S. Paulus in suis epistolis vocat suum, & de eodem Luca loqui, quando mentionem facit de quodam fratrum, cui laus acquisita est per omnes Ecclesias in Evangelio. S. Lucas non viderat Dominum, sed scripsit secundum relationem eorum, qui viderant, & ab initio verbo Dei ministraverant, id est, Apostolorum, quorum erat Discipulus, peculiariter autem Pauli. Propositum ipsi erat, veritatem tueri adversus suspectas, & fabulosas narrationes quorumdam Pseudo-Apostolorum, qui historiam eorum, quæ inter Fideles contigere, texuerant. Scripsit vero Græce, illudque ad quemdam Discipulum nomine Theophilum direxit, quem ex verbis, quibus eum compellat, virum inter suos præcipuum fuisse credibile est.

Hier. Præf. in Matth. id. de script. Rom. 2. 16. *c.* 16. 25. 2. *Cor.* 8. 18. *Luc.* 1. 2. *Iren.* 1. *c.* 20. *III. c.* 11. *Tert. IV. in Marc. c.* 2. *Luc.* 1. *Orig. hom. in Luc. Epiph. hær.* 51. *c.* 17. *Ambr. in Luc.* 1.

§. XXXIX.

Sæculum I. A. C. 50.

Epistolæ ad Thessalonicenses.

Corintho S. Paulus duas epistolas ad Thessalonicenses dedit, quæ sunt ordine temporis primæ, sed fuerunt postea secundum Ecclesiarum Dignitatum dispositæ. In ambarum principio ponuntur nomina duorum Discipulorum, qui cum ipso erant, Sylvani, & Timothei, Sylvanus enim idem est, qui Silas. In prima cum tenerrimi amoris indiciis Fideles Thessalonicenses consolatur, & roborat in medio afflictionum eorum, quas a suis concivibus sustinebant. Exhortatur, ut in observatione præceptorum perseverarent. Eleemosinis, quas in totam Macedoniam spargebant, fratres juvare pergerent. Laboris amantes, & quieti essent; bonam famam apud paganos conservarent. Monet etiam; de morte amicorum non tristentur, propter spem resurrectionis; & exspectarent diem Domini, sine sollicitudine, & curiositate sciendi adventus diem. Vigiliis, & bonis operibus confiderent. Commendabat illos, qui operi Dei ministrabant, eos regebant, & exhortabantur, id est, Presbyteros, & Pastores. Rogabat, ut illis charitatem abundanter impertirentur, & cum iisdem pacem haberent. In fine obsecrat, ut coram omni-

1. *Thess.* 5. 12.

Sæculum I. A. C. 50.

bus fratribus sua legatur epistola. Talis est ad Thessalonicenses prima.

Secunda ideo potissimum scripta, ut eos metu liberaret a falsis rumoribus, qui in vulgus spargebantur, imminere diem Domini. In memoriam revocat, quæ eis a se dicta, addens: *Tenete traditiones, quas accepistis sive viva voce,* (*) *sive per epistolam meam.* Unde clarum fit, Apostolos plurima docuisse viva voce, quæ non minus, ac scripta, fide digna sunt. Deinde comminationibus severis turbulentos, & ignavos terret. *Si quis,* inquit: *mandatis nostris non obedit, notate, & cum eo non communicate, ut ferat confusionem;* (**) *attamen eum non reputate inimicum, sed tanquam fratrem corrigite.* Finit his verbis: *Hæc salutatio est manus meæ,* indicium faciens, quomodo cognoscerentur ejus epistolæ.

Chrysost. ad 2. Thess. 4.

2. Thess. 3. 14.

§. XL.

Seditiones Judæorum.

Jos. XX. ant. c. 5. 11.

Interea magni motus inter Judæos, & Samaritas Palæstinam turbabant. Judæis

(*) Ex his Apostoli verbis traditiones contra Hæreticos probantur.

(**) Hic habemus exemplum excommunicationis tempore Apostolorum.

dæis ex Galilæa Jerosolymam ituris, ordinaria per Samariam erat via. Quadam die cum per urbem Naim in magna planitie sitam, transirent, rixis inter transeuntes, & habitatores exortis, ferro non pepercerunt, multique Galilæorum occisi; quod ubi eorum Primores cognoverunt, Cumanum Judææ Præfectum adiere, vindictam postulantes. Is, Samaritarum muneribus corruptus, dissimulavit. Hinc Galilæi offensi, Judæorum plebem excitant, ut sumptis armis in libertatem se assererent. Magistratus quidem pacandis animis intenti, se Cumanum ad justitiam administrandam coacturos promittebant, sed plebeji spreto consilio ad arma decurrunt, Ducem secuturi Eleazarum, Dinei filium; erat is Prædonum Princeps, qui a pluribus jam annis montes obsidebant; hoc tunc præeunte Judæi Samaritarum quædam oppida direptionibus, & incendiis vastant.

Sæculum I. A. C. 50.

Bell. c. 30. p. 794.

Hac re ad Cumanum delata, militem adducit, arma Samaritis distribuit, in Judæos movet, quos ubi assecutus est, multi eorum strati, captique. Tunc Majores Jerosolymitarum saccis induti, sparsisque super capita cineribus flectere plebejorum animos adnitebantur, ut arma ponerent, nisi Patriam ruinæ, Templum incendiis, uxores, & liberos certissimo captivitatis periculo vellent ex-

Sæculum I. A. C. 50.

positos; & vero persuaserunt, ut ad sua reverterentur. Latrunculi ad nota sibi propugnacula rediere. Ab hoc autem tempore tota Judæa grassatoribus, & latrociniis infestari non cessavit.

Samaritæ Vinidium Quadratum Syriæ Præsidem, qui tunc Tyri degebat, conveniunt, Judæos accusantes, quod eorum oppida deprædati essent; quod autem accusationis caput; illos contempta Romanorum auctoritate sibi ipsis justitiam administrare præsumpsisse. Judæi econtra seditionis causam rejicere in Samaritas, maxime vero in Cumanum, qui auro corrumpi sustinuisset. Quadratus judicium, usque dum ipse in Samariam veniret, distulit. Non multo post venit in Samariam, ubi auditis partibus cognovit, Samaritarum culpa tumultum excitatum, cum vero nec Judæi essent innoxii, illos, quos Cumanus ceperat, cruci affigi jubet; Ananiam summum Pontificem vinculis onustum, cum Samaritarum, & Judæorum præcipuis Romam mittit. Immo & ipse Procurator Cumanus, & Tribunus Celer eandem profectionem Romanam inire jussi. Ipse Jerosolymam contendit, ubi omnia tranquilla, & Judæos in celebratione festi Paschalis occupatos videns, rediit Antiochiam.

Cuma-

Cumanus, & Samaritæ Romæ Claudii Cæsaris libertorum, qui omnia poterant, favorem coemerunt, parumque abfuit, ut Judæi causa caderent, nisi Junior Agrippa, tunc Romæ præsens, Imperatricis Agrippinæ gratia animum Cæsaris immutasset. Hanc ergo sibi ipsi causam referri jussit, & judicans Samaritas turbarum omnium fuisse incentores, illos, qui Romam venerant, morte plectit, Cumanum exilio mulctat. In Tribunum Celerem insolitum mortis genus decrevit, ut nempe Jerosolymam reductus, tamdiu per urbis plateas raptaretur, donec animam egisset. In Cumani locum Judææ Procurator Claudius Felix Pallantis frater ex charissimorum libertorum numero suffectus. Sæculum I. A. C. 50.

§. XLI.

S. Pauli itinera.

Achajæ Proconsul Corinthi residebat, ejusdem Provinciæ Metropoli; tunc temporis hoc munere fungebatur Lucius Junius Gallio, Philosophi Senecæ frater, ad cujus tribunal Judæi S. Paulum adducunt, accusantes, quod homines induceret ad serviendum Deo, modo Legi contrario. Cum Paulus loqui inciperet, ut se defenderet, Gallio ad Judæos: *Si de læsione justitiæ, aut commisso crimine ageretur,* *Act.* 18. 12.

Sæculum I. A. C. 50.

retur, audirem vos; si vero præter quæstiones verborum, & Nominis de Lege vestra affertis nihil, id vobis relinquo, & in his judex esse nolo. Ita eos a suo tribunali discedere jussit; nec curæ fuit, quod adstantes Sosthenem Principem Synagogæ, ipso spectante, percuterent.

Paulus diu Corinthi commoratus, valedixit fratribus, navemque conscendit
Act. 18. 18. cum Aquila, & Priscilla transmissurus in Syriam, priusquam autem solveretur, capillos sibi præscidit, propter votum Naza-
Num. 6. 18. ræorum, quod juxta Legem fecerat. Ephesum appulsi sunt, ubi Aquila, & Priscilla manserunt, ipse vero, quamvis a Judæis rogatus, noluit ibi morari, sed transivit Cæsaream Palæstinæ, inde Jerosolymam, ubi salutavit Ecclesiam, & deinde Antiochiam Syriæ. Aliquanto tempore ibi consumpto, percurrit Galatiam, & Phrygiam, ubique firmans Discipulos in
Gal. 4. 14. fide. A Galatis susceptus est, sicut Angelus Dei, immo sicut Christus Dominus; tanto enim ejus amore afficiebantur, ut si expediisset, ejus gratia sibi oculos effodissent.

Act. 18. 24. Venit interea Ephesum Judæus Alexandrinus nomine Apollo, vir eloquens, & in Scripturis versatissimus. Doctrinam Domini didicerat, eamque cum diligentia, & fervore docebat; sed non nisi Baptismum Joannis noverat. Cum Aquila, &

& Priſcilla eum audiviſſent, melius inſtruxere, & volentem proficiſci in Achajam, ſcripta epiſtola fratribus commendarunt, venit ergo Corinthum, ibi Fideles confirmans, & convincens Judæos, utiliter verbo Dei ſerviebat. Sæculum I. A. C. 50.

§. XLII.

S. Paulus Epheſi.

Cum Apollo eſſet Corinthi, S. Paulus Epheſum venit, poſtquam ſuperiores Aſiæ minoris partes peragraſſet. Ibi Diſcipulos numero duodecim invenit, qui neſciebant Spiritum S., ſed tantum Baptiſmo Joannis baptizati erant. Hos baptizari curavit in Nomine Domini JEſu. Tunc impoſuit eis manus, & Spiritus S. venit ſuper eos, ita ut loquerentur varias linguas, & prophetizarent. Iterum dignoſcuntur hic, ſicut in converſione Samariæ, duo diſtincta Sacramenta; Baptiſmus, qui etiam ab aliis adminiſtratur, nimirum a Presbyteris, aut Diaconis, & impoſitio manuum, ut reciperetur Spiritus S. id eſt, Confirmatio, quæ non niſi ab Apoſtolis ipſis, & eorum Succeſſoribus Epiſcopis tribui poteſt. Tribus menſibus ibi Paulus Synagogam intrabat, audacter evangelizans; cum vero inter illos eſſent Judæi indurati, qui publice Doctrinam Domini blaſphemabant, iis

Act. 19.

ſup. n. 7.

Act. 19. 8.

Sæculum I. A. C. 50.

relictis, segregavit Christianos. Cumque antea tantum diebus Sabbati in Synagoga docuisset, abhinc singulis diebus evangelizabat in Schola cujusdam nomine Tyranni. Id duobus annis ab ipso factum, ita ut omnibus, qui in Asia habitabant, Judæis, & Gentilibus notum fieret Evangelium.

Act. 20. 31. Tres circiter annos S. Paulus Ephesi instituendis, & admonendis Fidelibus diu noctuque cum lachrymis publice, & per domos exegit. A nemine quidquam accipiebat, sed labore manuum suarum sibi, & sociis necessaria subministrabat; exemplum præbens animi nullum com-

Act. 19. 11. modum quærentis. Multas persecutiones, & insidias Judæorum passus, homines oppugnans indomitis feris ferociores.

1. *Cor.* 15. 32. Simul his ingentia edebat prodigia, ut etiam sudaria, & cingula, quæ tetigerat, morbos curarent, & ejicerent Dæmones.

Joſ. VIII. ant. c. 2. *pag.* 257. *Orig. tr.* 35. *in Matth.* 27. 63. Erant quidam Judæorum per orbem vagi, quos Exorcistas dicebant, qui se Dæmones invocationibus ejicere, & hanc scientiam ex Doctrina Salomonis hausisse jactitabant, & inter hos septem fratres Scevæ Pontificis filii. Cum duobus ex illis in mentem venisset, quemdam Dæmoniacum in Nomine JEsu, quem prædicabat Paulus adjurare; ait Spiritus malignus: *JEsum novi, & Paulum scio, vos autem, qui estis? &c.* Simul Energume-

nus

nus irruit in eos, & viribus prævalens, ita mulctavit, ut nudi, & vulnerati domo fugerent. Sæculum I. A. C. 54.

Hoc factum omnibus Judæis, & Gentilibus Ephesi cognitum, in Gloriam Nominis Domini cessit. Multi Fideles veniebant, confitentes peccata sua. Ecce! notabile confessionis exemplum post baptismum. Multi, quibus vanæ curiositatis studium fuerat, comportatos libros coram omnibus in ignem conjecere, quorum valor æstimatus, ad quinquaginta drachmarum millia ascendit; quæ summa nostræ monetæ comparata plusquam quindecim librarum millibus æquivaleret. Libri Magici fuisse creduntur, nam Ephesiorum olim litteræ mysticæ erant celeberrimæ. 15750. libræ, ad octo esse drachma. *Hesych. Eph. litt. Clem. Alex. 5. strom.*

§. XLIII.

Claudii obitus. Nero Cæsar.

Claudius Imperator anno Regni tertio decimo Agrippæ juniori Regi Judæorum Tetrarchiam Philippis, & Bataneam regendam tradidit, cum Trachonitide, & Abila, quæ fuerat Tetrarchia Lysaniæ, ablata eidem Calcidia, quam quatuor annis possederat. Anno sequenti, JEsu Christi quinquagesimo quarto, Asinio Marcello, & Acilio Aviola consulibus, obiit Imperator Claudius ex veneno ab uxore Agrippina *Jos. XX. ant. c. 20. p. 693.* A. C. 54. *Suet. Claud. n. 44. Dio lib. 60.*

Sæculum I. A. C. 54.

grippina propinato. Annum ætatis agebat ſexageſimum quartum, & tredecim annis & octo menſibus regnaverat. Nero filius ejus adoptivus, & gener ſucceſſit. Filius erat Agrippinæ, & Domitii primi ejusdem mariti, regnavitque etiam tredecim annos, & octo menſes. Is juvenis Imperator partem Galilææ Agrippæ dedit, ſubjiciens ei Tiberiaden, & Tarichæam; ſed & adjunxit Juliadem ultra Jordanem cum quatuordecim circumjacentibus pagis. Reliqua Judææ a Felice Romano procurabantur.

Joſ. XX. ant. c. 5. p. 694. bell. II. 12. p. 696.

§. XLIV.

Epiſtola ad Galatas.

Gal. 1. 6.

Paulopoſt profectionem Pauli in Galatiam, inde relatum eſt, quosdam falſos fratres ibidem fidem Fidelium turbaſſe, prædicantes; circumciſionem eſſe neceſſariam cum omnibus Legis Moſaicæ parergis, idque ideo docebant, partim ut placerent Judæis, partim ut ſe a Gentilium perſecutionibus tutarentur, ſi non Chriſtiani eſſe, ſed Judæi exiſtimarentur. Scientes autem S. Pauli Doctrinam ſibi adverſam, ejus auctoritatem imminuere adlaborabant; eum non niſi ſecundi ordinis eſſe Apoſtolum, ſicut Barnabam, electum, & inſtitutum a primis Apoſtolis, quos JEſus Chriſtus vocaverat; hos Apoſtolos

postolos primi ordinis, quales SS. Petrus, Joannes, & Jacobus, esse Ecclesiæ fundamenta, qui Dominum in terra vidissent, & cum eo fuissent conversati; eos circumcisioni, & observationi legalium favere, cum Paulus ea contemneret, ut Gentibus adularetur. Sæculum I. A. C. 54.

His calumniis retundendis, & Galatis ad sanam Doctrinam reducendis scripsit epistolam stilo vehementi; in principio declarat, se esse Apostolum non vocatione hominum, sed ipsius JEsu Christi, & Dei Patris; se a JEsu Christo per revelationem fuisse instructum, & ab hominibus nihil didicisse; post conversionis suæ prodigium tres annos effluxisse, antequam isset Jerosolymam, nec ultra quindecim dies ibi mansisse, nec ullum Apostolorum præter Petrum, & Jacobum vidisse. Illuc se post quatuordecim annos urgente revelatione reversum, & cum iisdem Apostolis collocutum, & Joanne; eorum instructione vero non fuisse indigum. Refert deinde, quomodo S. Petro in faciem contradixisset, eo quod separans se a Gentilium conversorum consortio, eos velle ad Judaismum compellere videretur.

Gal. 1. 1.

1. 12. 13.

Gal. 2.

sup. n. 33.

His factis in suam defensionem expositis, Deoque in testem vocato, procedit ad explicationem Doctrinæ; docetque hominem per observationem Legum ceremonia-

1. 20.

2. 15. 16.

Sæculum I. A. C. 54.

remonialium non juſtificari, ſed per fidem in JEſum Chriſtum, ita ut etiam ii, qui in Judaiſmo nati ſunt, hac fide indigeant. Si enim Lex ad juſtificationem ſuffeciſſet, JEſum Chriſtum in vanum fuiſſe mortuum. 3. 6. Probat fidei, & operum legalium differentiam per ſenſibiles S. Spiritus effectus, & miraculorum dona, quæ in iſta Eccleſia erant communia; ſicut in cæteris; *Nam*, inquit: *non per opera Legis hanc gratiam accepiſtis, ſed per fidem, quæ vobis annuntiata eſt.* Probat autem per eorum tribulationes, quæ erant magnæ, & quas in irritum ſuſtinere non deberent; deinde ad originem fœderis Dei cum ſuo populo rediens, ait; Abrahamum per fidem juſtificatum fuiſſe; & ex hoc ſequi, illos, qui fidem haberent, eſſe veros Abrahæ filios, & illius Benedictionis, quæ in ipſo omnibus nationibus promiſſa eſt, participes. Promiſſiones Abrahæ, & ſingulariter ejus filio factas, de JEſu Chriſto intelligendas, nec eas a Lege multo poſteriore debere annullari; itaque hæreditatem æternam fidei deberi juxta promiſſionem. Allegoriam duorum liberorum Abrahæ ſic explicat: 4. 22. *Iſmael natus ex ancilla, & filius Abrahæ ſecundum carnem; Iſaac natus ſecundum promiſſionem, & ex libera; Iſmael figura eſt fœderis antiqui, & Jeruſalem terreſtris; Iſaac repræſentat fœdus novum, & Jeruſalem cæleſtem,*

leſtem, quæ eſt Eccleſia. *Lex ergo erat tantum via ad gratiam, quæ per fidem concederetur. Lex fuerat quaſi Tutor, aut Pædagogus, ut regeret populum Dei in ſua infantia, & juventute, ſubjiciens eum rebus ſenſibilibus.* Græci ſolebant Pædagogos nominare ſervos, quibus liberorum ſuorum curam committebant, ut eos dirigerent, cuſtodirent, & primis elementis imbuerent. Pergit S. Paulus ſimilibus: *Poſtquam tempus fidei, & gratiæ advenit, non amplius eſt diſtinctio inter Judæum, & Gentilem, liberum, aut ſervum, virum, & fœminam. Omnes in JEſu Chriſto unum ſumus. Omnes filii Abrahæ, & promiſſionum hæredes. Circumciſio nihil amplius prodeſt, ſed fides, quæ per charitatem operatur; nam charitas proximi omnem Legem continet.*

Sæculum I. A. C. 54.

3. 24.

3. 28.

v. 6. 14.

Tum Galatas hortatur, ut firmi in hac Doctrina permaneant. *Quisquis*, inquit: *vobis aliud annuntiet, quam quod vobis prædicavi, ſive ego ipſe, ſive Angelus de cælo, anathema ſit.* Clarum eſt, eum loqui de iis, quæ viva voce docuerat, cum non appareat, antea Galatis unquam ſcripſiſſe. Subjungit: *Dico vobis, ego Paulus: ſi circumciſionem recipitis, JESUS Chriſtus vobis nihil proderit, & dico uniciuique, qui recipit, quod ad totius Legis obſervantiam teneatur.* Monet deinde; in Spiritu vivant; conſervent unionem,

1. 8.

c. 5. 2. 3.

Sæculum I. A. C. 54.

nem, alter alterum toleret, & excuſet, in ſuos Doctores ſint liberales, utantur tempore ad benefaciendum omnibus, præſertim vero Fidelibus. Notat, ſe hanc epiſtolam ſua manu exaraſſe, & in ſuo corpore geſtare ſtigmata JEſu Chriſti, id eſt cicatrices virgarum, aut aliorum vulnerum, quæ diverſis occaſionibus ei fuiſſent inflicta, idque ideo meminit, ut hæc ſtigmata circumciſioni opponat, qua alii gloriabantur, & oſtenderet, ſuppetere ſibi, ſi voluiſſet, majorem in ſua carne gloriandi rationem. Hæc epiſtolæ ad Galatas ſubſtantia.

6. 11.
6. 17.

Act. 19. 21. Epheſi commorans Paulus, movente Spiritu S. propoſuit ire in Macedoniam, & Achajam, tum reverti Jeroſolymam, & inde Romam proficiſci; præmiſit in Macedoniam Timotheum, & Eraſtum, qui ſe in Miniſterio verbi Dei adjuvabant; ipſe vero manebat Epheſi, ut Feſtum Pentecoſtes exſpectaret, ubi patentem viam ad Evangelii progreſſum prævidebat, quamvis cum multis adverſariis eſſet confligendum. Multorum populorum affluxum Dianæ Templi ſuperſtitio Epheſum pertrahebat, eratque hæc civitas minoris Aſiæ caput, Proconſulis ſedes, & Philoſophorum, Oratorum, omnisque generis Litteratorum copia abundabat.

§. XLV.

Sæculum I. A. C. 54.

§. XLV.

Prima ad Corinthios.

Circa id temporis Paulo a quibusdam Corinthiis de domo Chloes relatum, natas esse in eorum Ecclesia divisiones, cum quidam dicerent: *Ego sum Discipulus Pauli, alius ego Apollo, ego Petri; alii JEsu Christi*, sive quod S. Petrus ibi prædicaverit; constat enim, eum ad institutionem Ecclesiæ Corinthiorum operam contulisse; sive eum alibi prædicantem audiverint. *Dionys. Cor. ap. Eus. l. 11. hist. 25.* Erant Corinthii Philosophorum Disputationibus assueti, qui in varias Sectas divisi, spretis aliis, Magistri sui nomine nuncupati, apud vulgus sapientiæ, & eloquentiæ opinionem captabant. *Chrys. arg. in 1. Cor.* Econtra S. Pauli Sermones, nec longo studio quæsiti erant, nec ad Syllogismorum regulas exacti, indignum reputantis Evangelium Grammaticæ, aut Dialecticæ legibus subjicere. *1. Cor. 2.* Prædicationes ejus argumentis supernaturalibus, Prophetiis, miraculis, & Spiritus Dei signis evidentibus innitebantur. Veram Sapientiam docebat, humana longe altiorem, & ejus verbis admirabilis inerat efficacia. Apte argumentabatur, per veritates auditoribus suis notas, ad sequelas ipsis incognitas deducens; pro opportunitate aut orationem extendebat, aut contrahebat, nunc audientium ani- *Aug. l. 1. contr. Cresc. c. 13. 14. &c. & Doct. Christ. l. 4. c. 7*

Sæculum I. A. C. 54.

mos urgebat, animabat, terrebat, mulcebat, omnes motus ad persuadendum aptos excitabat. Paucis, Dialecticæ, & Rhetoricæ medulla utebatur, abjecto cortice. Nec enim tot negotiis obruto, otium erat, morose eligere, aut verba in Periodos disponere, nec si fuisset, humanæ eloquentiæ verba suppetiissent, quæ Doctrinæ ejus altitudinem assequerentur. Hinc Græcum in scriptis ejus purum non est, sed sæpe Hebraismis mixtum; sæpe sermonis constructionem negligit; periodos inchoat, quas non absolvit. Connexio non tam in verbis, quam in sensu quærenda. Nimirum ex corde loquebatur, & rapide dictabat, prout Spiritu Dei agebatur; cæleste lumen, quo replebatur, occultari non poterat; fidei veritates intellectui suo semper præsentes, clarissimas & evidentes, simul omnes, & omni data occasione aliorum mentibus ingerere gestiebat. Inde epistolarum ejus stylum tot Parentheses, & digressiones, tot hyperbates, & transpositiones duriorem reddunt. Cæterum cum Pauli in extrema paupertate viventis externa omnia nil nisi humilitatem, & simplicitatem spirarent, non mirum apud Græcos, mundi vanitatem necdum bene dedoctos, viluisse.

Iren. l. 3. c. 7.

2. *Cor.* 10. 1.

Non tantum hæc Corinthiorum divisio indicata fuerat Paulo, sed & multa præterea;

1. *Cor.* 5.

præterea; quemdam illic Fidelium crimen etiam inter Ethnicos inauditum commisisse, incestum cum noverca, Patris sui uxore. Quosdam, quibus adversum fratrem querela erat, omisso Christianorum arbitrio, coram Paganorum tribunali comparere. Quosdam ipsos fratres defraudare. In ejus Ecclesiæ conventus irrepsisse corruptelas. In conviviis, celebrationem Eucharistiæ sequentibus, divites cibis abundare, & indigere pauperes. Quosdam donis supernaturalibus, quæ acceperant, inflari, & linguarum peregrinarum notitiam affectare. Quosdam negare mortuorum resurrectionem. Et hos quidem errores aliunde S. Paulus resciverat, sed & eum Ecclesia Corinthiorum per epistolam missam in pluribus, scilicet in materia continentiæ, matrimonii, & Idolothytorum consuluerat.

Sæculum I. A. C. 54.

1. *Cor.* 6.

1. *Cor.* 2. 17.

1. *Cor.* 12.

Ibid. 15. 12.

Ibid. 7. 8.

S. Paulus itaque Corinthiis rescripsit, statim de Sosthene, haud dubie ejus Corinthi socio, mentionem faciens; primo ut eorum superbiam retunderet, ostendit, eos, a longe necdum esse scientes, & sapientes, nisi forte inani imaginatione; sed rudes, & carnales, idcirco quod non unice JEsu Christo adhærerent, sed ejus Ministris, jactitantes, se esse Discipulos, alios Pauli, alios Apollo, quasi ipsorum Apostolorum vellent esse

S. Paulus ad Corinthios.

Ibid. 1. 1.

1. 2. 3. 4.

Sæculum I. A. C. 54.

judices. Exprobrat etiam occasione incestuosi; aitque, quod eum absens quidem corpore, sed Spiritu in eorum conventu præsens, jam judicaverit, & Satanæ tradiderit, in perditionem carnis, ut salvetur Spiritui. Hæc traditio Satanæ nihil erat aliud, quam a societate Fidelium separatio, id est, excommunicatio ad tempus, ut reus corrigeretur, quam tunc temporis prodigiose vel morbi, vel alia notabilis pœna sequebantur. Addit: *Scripsi vobis in mea epistola;* sive de eadem loquatur, sive de quadam alia præcedente, quæ ad nos non pervenit; *ne cum impudicis communicetis; de impudicis autem, avaris, aut idololatris hujus sæculi non sum locutus, sic enim toto mundo esset exeundum; sed si quis fratrum deprehenditur impudicus, aut avarus, aut Idolorum cultor, aut detractor, aut ebriosus, aut raptor, nequidem manducetis cum eo; illos autem, qui extra Ecclesiam sunt, non judico.* Itaque primi Christiani magis vitabant Christianorum, cum aliorum scandalo peccantium, & in quos auctoritate Ecclesiæ lata erat sententia, quam ipsorum Paganorum consortium; jamque hujus pœnæ usus apud Judæos fuerat, gravioris delicti reos Synagoga ejicientes. Essenii excommunicati nequidem panem ab aliis extra Sectam suam positis mendicare audebant

Tert. de pud. c. 17.
Hier. in Ezech. 17. 19
Aug. de fid. & op. c. 26. n. 48.
Chrys. hic hom. 15.
1. Cor. 5. 9.
Aug. hom. 50. c. 12. id. cont. Epis. Parm. lib. 3. c. 1. 2.
Jos. IX. 22. XV. 2.
Jos. II. bell. c. 12. p. 787.

audebant propter juramentum, quo obstringebantur, sed leguminibus victitabant, quo rigore factum, ut quidam fame enecari sinerentur. Sæculum I. A.C. 54.

De Judiciis deinde differens Paulus, ait; id ipsum Corinthiis peccatum esse, quod judicio contenderent; læsionem, & jacturam pati Christianis præstare, cum hæ lites Paganis scandalo sint; soluto charitatis vinculo futuros Fideles Infidelibus contemptibiles. Præterea vix Christiano sine blasphemiæ periculo licebat coram Paganorum tribunali comparere, si enim ei præstandum esset juramentum, per falsos Deos jurandum erat. Vult ergo S. Paulus ut emergente propter temporalia lite Christiani a Christianis judicarentur, & ut viam excusationi ob Jurisperitorum defectum occluderet, ait, vilissimos eorum sufficere, qui in re tantilla essent judices. Patet, hæc judicia, nil nisi simplex arbitrium fuisse, cum tunc omnis potestas civilis ad Romanos devoluta esset. Diu autem consuetudo in Ecclesia viguit, quod Fideles coram Infidelibus causam non dicerent, sed Episcopi arbitrio lites dirimerentur.

§. XLVI.

Præcepta de Continentia.

In causa Matrimonii ait S. Paulus ad Corinthios; continentiæ perfectæ sta-

Sæculum I. A. C. 54.

tum inter cæteros esse optimum; conjugati vero debitum sibi redderent, nec abstinerent nisi brevi tempore propter orationem; & hoc quidem utriusque consensu; *Ne*, inquit: *tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram*; hujus enim civitatis summa erat intemperantia. Subjungit Apostolus, tanquam præceptum Domini, non licere mulieri maritum dimittere, neque marito uxorem. Si autem separarentur, ad alias nuptias non transirent. Tunc addit, quasi ex mente propria, quod vir fidelis possit cum muliere infideli cohabitare, & mulier fidelis cum infideli, si infidelis consentiat; nec credat infidelem vitandum Judæorum more tanquam immundum, eo quod vir infidelis quodammodo a muliere fideli sanctificetur. Unicuique deinde sive circumciso, sive incircumciso, libero, aut servo, conjugato, aut cœlibi, ut in illo statu permaneat, in quo ad fidem vocatus est, suadet.

1. *Cor.* 7.

1. *Cor.* 7. 10.

7. 12.

Aug. l. 2. *de pec. mer. c.* 26

1. *Cor.* 7. 25. 26.

Liberis consilium dat, ut virginitatem, & continentiam præ matrimonio eligant; quia innupti cogitant, quomodo placeant Deo, & sanctitatem corporis, & Spiritus conservent. Conjugatis vero curæ esse debet, ut sibi invicem placeant, & divisis inter Deum, & mundum multis temporalibus afflictionibus expositi sunt. Cæterum tempus breve esse,

S. Paulus ad Corinthios.

addit,

addit, & hujus mundi figuram præterire, nec cuiquam rei, quæ cum mundo præterit, esse adhærendum. Quod vero ipse continentiam servaret, satis testatur, dum dicit: *Vellem vos omnes esse, sicut ego sum;* & inferius: *innuptis dico, & viduis; bonum esse ipsis, si in isto statu, in quo ego, permaneant.* Sæculum I. A. C. 54. 7. 8.

Hic adversionem meretur; Quantam Evangelicæ prædicationis vim fuisse, oporteat, ut tantum continentiæ gradum in civitatem adeo depravatam potuerit inducere; erat enim Corinthus Veneris Templo celeberrima, in quo ultra mille alebantur prostibula, quæ, sua prius mancipia, multi viri, fœminæque dono Veneri dederant, erantque ejusmodi donaria ibi frequentissima, quod tota civitas esset Deæ sacra. Hæ Veneris Ancillæ ad impetrandam Deæ opem ingruente communi calamitate aptissimæ credebantur; erantque non solum publicis monumentis, sed & Poetarum clarissimorum carminibus celebratissimæ. Hæ pellices peregrinis Corinthum venientibus tantis constabant sumptibus, ut inde proverbium illud profectum: *Non cuivis licet adire Corinthum.* Multum ergo profeciisset Paulus, si tales homines ad castimoniæ conjugalis limites reduxisset, sed ulterius progressus, ad perfectam in viduitate, & cælibatu *Strabo l. 8. pag. 378. Athen. l. 13. pag. 573.*

Sæculum I. A. C. 54.

continentiam, immo & virginitatis lauream perduxit. Unicus in Ecclesia Corinthiorum invenitur incestuosus, grande quidem malum, sed ideo omnes a Paulo reprehensi, tota Fidelium congregatio affligitur, ita ut Paulus eosdem in fine consolationis indigos judicaret, & dignos.

S. Paulus ad Corinthios.

Veniens deinde ad Idolothyta, ait: *Scimus, quod Idola nihil sint, cum unus*
8. 4. *sit Deus; sed aliqui ex ignorantia ejusmodi manducare tanquam immunda, con-*
8. 7. *scientiæ sibi ducunt; cavete igitur vos,*
8. 10. *quibus major scientia, ne, dum libere immolata manducatis, pusillis scandalo sitis, & ad idem faciendum contra eorum conscientiæ remorsum inducatis.*
10. 19. 20. *Quamvis itaque idola nihil sint, nihilominus quia idolis immolata, Dæmonibus sacra sunt, ne manducetis, si ejus*
10. 16. *rei vobis scientia sit; cum non possitis simul participare de mensa Domini,* id est, ejus corpore, *& de mensa Diaboli.*
10. 25. 26. *Quæcunque in foro venduntur, manducate, non quærentes, unde sit. Si Infidelis vos invitet, quodcunque appositum fuerit, manducate; si quis autem dicat; hoc idolis immolatum est, ne manducetis, ut non scandalizetur. Nec enim ad ea tantum attendendum, quæ nobis licent, sed etiam, quæ saluti aliorum expediunt.*

Hanc

Hanc regulam suo exemplo confirmat; *possem*, inquit: *vitæ necessaria, & ministerium petere. Possem mulierem ex sororibus nostris mecum ducere, quod faciunt alii Apostoli, & Domini fratres, & ipse Petrus; non enim ego, & Barnabas soli hanc potestatem non habemus.* Hæ mulieres Apostolos sequebantur, ut ministrarent, sicut S. Magdalena, & aliæ, de quibus Evangelium, JEsu Christo adhæserant. Pergit S. Paulus dicens: *Qui servit altari, secundum Legem de altari vivat. Præcepitque Dominus: qui Evangelium prædicant, de Evangelio vivant; sed ego hac potestate uti nolui, ne Evangelium cuiquam occasio scandali esset, si mercedem temporalem quærere videremur.* Ut ostenderet, propter Evangelium omnibus abstinendum, similitudine Ludorum solemnium utitur; inter tales celeberrimi erant Ludi Isthmici, prope Corinthum celebrari soliti, Neptuni honoribus dicati, quorum præmium, seu victoriæ signum erat corona ex Appio. Certabatur autem cursu, lucta, cestu, & Disco. Athletæ a prima juventute continua exercitatione, & servata potus, cibique mensura præparabantur. Non nisi præscriptis carnibus, & statutis horis manducabant, vino abstinebant, & mulieribus; horæ laboris, & quietis in numerato erant. Hæc erant certamina,

Sæculum I. A. C. 54.

c. 9.

Luc. 8. 2. Matth. 27. 55.

Deut. 18. 1.

Luc. 10. 7.

1. Cor. 9. 25.

Hor. art. poet. Epist. ench. c. 35. Merc. artis Gymn. l. 1. c. 15.

Sæculum I. A. C. 54.

quorum exemplo S. Paulus Fideles ad laborem, & mortificationem excitare cupiebat, ex his concludens: *Nolo in vanum currere, & certare, sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo; ne cum aliis prædicaverim, ipse reprobus inveniar.*

1. *Cor.* 9. 26.

S. Paulus ad Corinthios.

1. *Cor.* 11.

Postea Corinthiis varia statuta Ecclesiastica ponit, illis, quæ coram docuerat, conformia. Prohibet viros orare, aut prophetizare velato capite, ut moris apud Judæos, & Paganorum multos erat, quia vir est imago, & gloria Dei. Econtra fœminas orare, aut prophetizare sine velo vetat, in signum subjectionis, & propter Angelos, seu Presbyteros, aliosque altaris Ministros. Prohibet, ne viri promissum capillitium gestent, eo quod hic usus esset Philosophorum, illorumque, quos Pagani Prophetas, Diisque consecratos habebant. Cum vero in his ex se indifferentibus varii usus, & rationes diversæ esse possint, subdit cum imperio: *Si quis velit contendere, sciat, nobis hunc morem non esse, neque Ecclesiæ Dei.*

Chrysost. hic hom. 26. init.

11. 20.

De cœna Domini tractans, reprehendit eorum defectum Reverentiæ in celebratione cœnæ Domini, id est, comestione Corporis Christi. Cum Jesus Christus Eucharistiam cœnando instituisset, Cœnæ nomen retinuit, quam tunc

Chrysost. hic hom. 27. init.

tunc temporis refectio vespertina ordinaria sequebatur; hanc Christiani simul sumebant, antequam separarentur. Quilibet secundum substantiæ suæ modum conferebat, ut pauperes ex divitum superfluis participarent; erat enim convivium charitatis, quod Græco vocabulo *Agape* dicebatur. Corinthi vero animorum dissensiones etiam hoc convivium corruperant. Quilibet afferebat cœnam suam, & seorsim comedebat; sicque divites abundabant, & pauperes necessariis destituti, confusionem ferebant. Apostolus, ut eis hujus irreverentiæ gravitatem ante oculos poneret, ad primam Eucharistiæ institutionem animos revocat; unde infert; quemcunque, qui hunc panem comedit, & calicem bibit indigne, reum esse corporis, & sanguinis Domini; probandum a se ipso hominem, antequam sumat, ne sibi manducet, & bibat judicium. In hujus peccati pœnam subdit: *Plures inter vos ægrotant, & moriuntur. Itaque fratres mei! quando convenitis, exspectate invicem. Si quis pluribus, quam alii, indiget, domi manducet. Cætera, cum venero, disponam.* Ex his ultimis colligitur, S. Paulum non omnia scripsisse; creditur que sub his cœteris intellexisse sacræ Consecrationis cæremonias, & Eucharistiæ distributionis, illas scilicet, quæ eodem modo

Sæculum I. A. C. 54.

Augusti. ad Jan. epist. 118. n. 8.

Sæculum I. A.C. 54.

do in tota Catholica Ecclesia observatæ fuere.

§. XLVII.

Dona Linguarum.

1. *Cor.* 12. A Cœna Domini transit S. Paulus ad dona Spiritus S. gratis data, qualia sunt; donum linguarum, curationum, Prophetiæ, & quoniam in primitiva Ecclesia inter Fideles erant valde communia, multos vana gloria, multos invidia tentabat; ita, ut esset necessarium pro eorum exercitio regulas ponere; cumque Corinthii civitatem incolerent, super alias Græciæ superstitionibus deditam, medii inter oracula, & hariolos; primo Spiritus Dei, & Spiritus maligni differentiam signat; Paganorum Pseudo-Prophetas a Dæmone cum violentia agitari, turbari, furere, nec suo, sed alieno arbitrio loqui; Spiritum Dei leniter in Prophetas suos agere, eorum mentibus lucem affundere, humiles, & tranquillos reddere, relicta loquendi, vel tacendi libertate. Alia erat disparitas, quod Spiritus malignus sæpe blasphemias in JEsum Christum evomeret. His signis Spiritus discerni poterant, antequam vaticinii eventus exspectaretur. Hic Apostolus gratias supernaturales enumerat, linguarum donum, quod Corinthii plus justo extollebant, ultimo

Chrys. hic hom. 29.

Lib. Pastor. mand. 12.

1. *Cor.* 12. 4.

timo loco ponens; omnes has gratias ex eodem fonte, qui est Spiritus Dei, profluere ostendit, & in eundem finem tendere, Ecclesiæ ædificationem. *Sicut corpus nostrum*, inquit: *plura membra habet, & membra varias functiones, quasdam nobiliores, quasdam ignobiles, nec membra ideo se invicem contemnunt, aut invident; ita in Ecclesia attendi non debet gratiæ excellentia, quæ sibi, vel alteri data, sed communis utilitas.* Ulterius hæc dona esse imperfecta ostendit, non nisi vitæ præsentis conditionem spectantia, charitate multo inferiora, & sine charitate inutilia; unde sequitur; immanem esse corruptelam, si horum donorum occasione vana gloria, & invidia charitas destruatur. Sæculum I. A. C. 54. 13.

Corinthios ergo super omnia ad charitatis exercitium hortatur, & si dona Spiritus S. appetant, non puerili curiositate ea, quæ magis portentosa, sed magis utilia postulent; nimirum donum Prophetiæ potius, quam donum linguarum, & donum interpretandi linguas potius, quam loquendi; erant enim dona distincta. Hic per prodigium linguam loquebatur, quam non intelligebat, alter dono Dei sciebat ejus interpretationem. Hæc omnia dona, quamvis a Spiritu S. prout volebat distribuerentur, sæpe tamen etiam ad eorum orationem, qui postulabant, conce- 14. S. Paulus ad Corinthios.

Sæculum I. A C. 54

concedebantur; cum S. Paulus ſuadeat, ut unum præ altero petant, & orationem tanquam ea impetrandi medium propo-

14. 13. nat. Hujus etiam conſilii rationem reddit, inquiens: *Si quis donum habet loquendi linguam, ſine dono interpretationis, nec ejus ædificationi, nec aliorum prodeſt; Spiritus Dei in ipſo orat, ejus vero intellectus in hac oratione non habet partem; qui talem auſcultat, non poteſt ad orationem ejus reſpondere: amen, quia neſcit, an oret. Tunc donum linguarum tantum datum eſt*

14. 23. *in prodigium, ut ſit Infidelibus admirationi; ſed etiam ſcandalo eſſe poteſt. Si Infideles veſtrum conventum ingrediantur, & unumquemque aliam linguam loqui audiant, vos inſanire credent; econtra donum Prophetiæ ædificationi, exhortationi, & conſolationi ſervit. Si quis Prophetа Infideli ſecreta cordis ſui revelet; cadet Infidelis pronus in terram, adorans Deum, eumque vere Spiritu Dei plenum confitebitur.*

Tum S. Paulus de quibusdam particularius diſponit. *Quando congregati eſtis*, inquit: *ſi quilibet veſtrum inſpirationem ſentit, ut Pſalmum canat, doceat, revelationem quamdam manifeſtet, linguam peregrinam loquatur, aut interpretetur, omnia ad ædificationem Eccleſiæ fiant. Quibus donum linguarum datum, duo, vel ad ſummum tres in quolibet con-*

ventu

Sæculum I. A. C. 54.

ventu loquantur, unus post alterum, & aliquis explicet. Si nullus adsit interpres, qui donum linguæ habet, taceat in Ecclesia, & Deo loqui contentus. Duo vel tres Prophetæ successive loquantur in una congregatione, & alii judicent, ne se Pseudo-Prophetæ immiscent. Si quis, sedens ad auscultandum, inspiretur, prior taceat, ut & alter loqui possit; Prophetæ enim Spiritum suum in potestate habent, & quamvis non inspirentur, quandocunque volunt, tamen nec etiam loqui coguntur. Fœminæ in Ecclesia taceant; si autem in quodam instrui cupiant, domi maritos interrogent, omnia in pace, modestia, & ordine fiant.

Chrys. hic hom. 36.

Dona supernaturalia tunc fuisse frequentissima, evidens est, cum talibus dispositionibus opus fuerit; nec id solum Corinthi, ait enim S. Paulus, se eadem in omnibus Ecclesiis docere. Ita promissio Jesu Christi ad litteram implebatur; Credentes linguas novas locuturos, infirmitates sanaturos, aliaque edituros miracula. Hic etiam dispicitur, quantum jam tunc ordo, & decor in conventu Ecclesiarum commendetur, cum ipsi Prophetæ, aliique donis miraculorum prædíti, disciplinæ subderentur. Si ea sollicite observentur, quæ nobis Apostoli in diversis epistolarum suarum locis designarunt, eadem invenientur, quæ nobis

14. 33.

Marc. 16. 17.

Sæculum I. A. C. 54.

nobis postmodum de his Conventibus, clarius explicata sunt. Die Dominica in cujusdam privatæ domus cœnaculum conveniebant; nec abesse licebat. Ibi S. Scripturæ non tantum veteris Testamenti, sed etiam Apostolorum epistolæ legebantur.

Act. 20. 7. *Hebr.* 10. 24. *Col.* 4. 16.

Apostoli, aut Doctores per manuum impositionem ordinati, id est, Episcopi, & Presbyteri populum instruebant, & exhortabantur, sæpe etiam ex inspiratione extraordinaria Prophetæ id faciebant. Psalmi David, vel alia antiqua cantica canebantur, aut ea, quæ Spiritus Dei noviter dictabat. Ibi erat mensa Domini, altare Christianis proprium. Ibi S. Eucharistia consecrabatur, & Fidelibus distribuebatur, & commune convivium ex cibis ordinariis, quod Agape dicebatur, conventum claudebat.

1. *Cor.* 11. 21. *Hebr.* 13. 10. 1. *Cor.* 11. 18.

His circa disciplinam statutis S. Paulus ad Resurrectionis articulum procedit; & Prædicationis suæ ædificium in JEsu Christi Resurrectione fundari demonstrat. *Docui*, inquit; *quod JEsus Christus mortuus sit, & resurrexerit secundum Scripturas; quod Petro apparuerit, deinde undecim Apostolis, tum plusquam quingentis fratribus, quorum aliqui vivunt, alii mortui sunt; tum Jacobo, tum omnibus Apostolis, denique etiam mihi, omnium minimo, & abortivo.* Si Resurrectio

1. *Cor.* 15.

Sæculum I. A. C. 54.

ctio mortuorum esset impossibilis, ait; tunc etiam JEsum Christum non resurrexisse, seque cum aliis Apostolis falsum testem fore, vanam prædicationem, vanam fidem. *Si enim*, pergit: *tantum propter hanc vitam in JEsum Christum speraremus, omnium hominum essemus miserrimi; quare enim nos omni hora periculis, & morti exponeremus? præstaret dicere cum impiis: bibamus, & comedamus hodie, cras enim moriemur. Quid vero illis prodesset, qui se pro mortuis baptizant?* Qualiscunque hic baptismus, vel balneum fuerit, in aliqua pia cæremonia constitisse apparet, quæ si pro mortuis applicaretur, iisdem utilis esse credebatur.

S. Paulus ad Corinthios

Tandem S. Paulus collectas, ubique pro Fidelibus Judææ fieri solitas, commendat. Hæ collectæ illis successisse videntur, quas Judæi pro oblationibus a Lege præscriptis facere consueverant, eas auro redimentes, quod singulis annis ex omnibus Provinciis Jerosolymam mittebatur. Easdem Corinthiis tradit regulas in hac materia, quas Ecclesiæ Galatiæ dederat; *quilibet*, inquit: *Die Dominica domi suæ seponat, quod libuerit, & non expectent collectas exigere, donec venero. Quando præsens ero, illos, quibus testimonium dederitis, mittam, ut vestram charitatem Jerosolymam ferant; si tanti sit, ut ipse eam, ibunt mecum.* Tum Timotheum ut fidelem

Cicer. pro Flacc. n. 28.

1. *Cor.* 16.

16. 10.

Sæculum I. A. C. 54.

Miniſtrum commendat, & dicit, Apollinem, ne iret, negotiis prohibitum. Etiam familiam Stephanæ, Fortunati, & Achaici, qui cum ipſo Epheſi erant, commendat, & finem facit his verbis: *Eccleſiæ Aſiæ vos ſalutant; ſicut etiam Aquila, & Priſcilla cum ſua Eccleſia domeſtica. Apud eos habito. Omnes fratres vos ſalutant. Salutate invicem oſculo ſancto. Hæc ſalutatio mea manu ſcripta eſt. Si quis non amat Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, anathema ſit.* MARAN ATHA, hæc duo ultimo verba Syriace ſignificant: Dominus noſter venit, & extremi Judicii comminationem continent. Talis eſt S. Pauli ad Corinthios prima Epiſtola.

16. 19.

§. XLVIII.

Tumultus Epheſi.

Act. 19. 23. *Pauſ. l.* 7. *p.* 405. *Strabo l.* 14. *p.* 640. *Plin. l. XVI. cap.* 40. *XXXVI. c.* 14.

Cum eſſet adhuc Epheſi, antequam juxta propoſitum in Macedoniam iter ingrederetur, magnus tumultus occaſione Evangelii oritur. Dianæ templum Epheſi inter ſeptem Mundi miracula accenſebatur, totius Aſiæ opibus quadringentis annis exſtructum; quadringentos viginti quinque pedes longum, latum vero ducentos viginti, centum viginti ſeptem columnis, quarum altitudo pedes ſexaginta æquabat, ſuffultum; quælibet ex his columnis diverſum Regiæ munificentiæ

centiæ erat donum, opere sculptorio exornatum. Tignaria erant cedrina, portæ cypressinæ; quæ ligna ideo delecta, quod longiorem cœteris incorrupta ætatem ferrent. Dianæ effigies erat perexigua; quidam ex Ebeno, alii ex vite esse credebant; eademque semper conservata asserebatur, quamvis templum septies ex ruinis fuisset excitatum. Omnes templi ornatus, & opulentiam descripturo, volumen non sufficiat. Fama, & curiositas ex remotissimis Regionibus hospites advehebat, quos redeuntes juvabat, parva ædificii simulacra domum asportare. Sæculum I. A. C. 54.

Talia Demetrius quidam aurifaber ex argento conficiebat, magnumque alebat operariorum numerum, quos hic labor largiter sustentabat. His quadam die, aliisque ejusdem artis congregatis, commemorat; Paulum plurimos non solum Ephesi, sed per totam Asiam a Deorum cultu avertere, commercium suæ artis, immo Magnæ Dianæ honorem periclitari. Hic sermo animos incendit, conclamant: Magna Diana Ephesina! sic unitis Religionis, & proprii commodi causis, tota civitas commovetur; concurrunt ad Theatrum, illucque Gajum, & Aristarcum Macedones, S. Pauli comites, raptant. Ipse, ne iret, a suis prohibitus; quidam Asiarcharum, propter amicitiam, qua conjuncti erant, miserunt ad Paulum rogantes, *Act.* 19. 24.

Sæculum I. A. C. 54.

ne in Theatro compareret. Asiarchæ erant ex hujus Provinciæ præcipuis, quibus inspectio in Religionis Paganorum cæremonias, & negotia publica commissa erat. Theatra, quamvis primario exhibendis tragicis, & comicis essent destinata, tamen etiam ibi de republica consulturi conveniebant, sæpiusque in Græcis ejusmodi civitatibus Asiæ factum, ut opifices, & plebeji tumultuario concursui ansam darent, in quo nihilo minus quædam omnium civium nomine decernebantur. Hujusmodi fuit hic conventus Ephesi, in quo tanta regnabat confusio, ut plerique, quid suo clamore vellent, vel quare omnino accurrissent, nescirent.

Tum Judæi, quemdam, nomine Alexandrum, manibus protrudentes, per confertum populi cuneum viam tandem aperuerunt, ut videri, & audiri posset; is manu silentium petebat, dicturus ad populum; credibile est, voluisse gentem suam purgare, & Christianos invidia onerare. Hunc Alexandrum ærarium fuisse dicunt, de quo S. Paulus queritur. Cum vero Gentiles in eum intuiti Judæum agnoverunt, uno ore exclamant: Magna Diana Ephesina! ad duas horas tenuit clamor. Tandem urbis Notarius, populo utcunque delinito, profatus; *cives!* inquit: *quis est, qui ignoret ab hac civitate Magnam Dianam Jovis filiam coli? viri isti, quos*

Sæculum I. A. C. 54.

quos adduxistis, nec sacrilegii, nec blasphemiæ in vestram Deam rei sunt; Si Demetrio, & sociis ejus negotium est adversus quemquam, sunt Proconsules, sunt Tribunalia, ibi sibi consulant. Si quid aliud postulatis, hac de re in conventu legitimo melius agetur; quod autem hunc præsentem conventum spectat, timendum, ne seditionis accusemur. Hoc sermone dimisit populum, Domino ita animorum fervorem moderante, ne Evangelii dilatatio impediretur. Turbis sic compositis S. Paulus, convocatos Discipulos exhortatus, valedixit, & iter in Macedoniam aggressus est.

§. XLIX.

Apollonius Thyanæus Ephesi.

S. Paulo eradicandæ Idololatriæ in Asia, & Græcia cum successu adlaborante, Apollonius Thyanæus eidem sustentandæ omnes vires impendebat; qui circa id temporis, & initium regni Neronis Ephesum venit. Ex longa ad Indos peregrinatione redux, nullo honore ab Antiochenis exceptus est, Græcorum scientias nihili facientibus; inde in Cyprum perrexit, & in Joniam, Ephesi autem aliquantum hæsit. Magnam populi multitudinem ad se trahebat, Mechanici etiam misso labore eum sequebantur; isti ejus

Phil. vita Apoll. lib. 3. in fin.

Lib. IV. c. 1.

Sæculum I. A. C. 54.

Lib. IV. c. 1.

ſcientiam, alii vultus ſpeciem, alii veſtimenta, alii vitæ rationem demirati. Celeberrima oracula ejus laudes decantabant. Civitates legationes adornabant, ut cum eo amicitiam inirent, & de erigendis altaribus, aut ſtatuis, immo etiam de vita bene inſtituenda, conſilia peterent. Reſcribendo, vel ſe venturum promittendo, omnia ordinabat. Epheſi publice dicebat ad populum, & hortabatur, ut ſoli Philoſophiæ, & vitæ ſeriæ mentem adjicerent; Epheſiorum enim mores erant muliebriter molles; ſaltus ſcenici, Muſica, tybiæ, inertia, vanitas civitatis incolas enervabant.

Cum aliquando de bonorum communione loqueretur, & perſuadere cuperet, ut alter alteri victum præberet, forte in ſylvula colloquentibus proxima aviculæ ramis arborum inſidebant; advolat alia, quaſi ſuo clamore ſodalibus aliquid novi annuntians, mox cum ea eodem clamore ſimul omnes avolare. Tunc Apollonius gradum ſiſtit, & ad populum: *Puer, ferens frumentum, ceſpitavit, & granorum copiam in illa platea diſperſit; vidit hoc avicula, & ſodalibus bonæ fortunæ index fuit.* Statim ex auditoribus aliqui in locum ſignatum currunt, viſuri, an ita ſe haberet; & paulo poſt redeuntes, clamore ſtuporem teſtabantur. Apollonius interim pergebat populum ad bono-

bonorum communicationem adducto a- Sæculum I.
vium exemplo commonere, (*) sed facile A. C. 54.
judicare est, quod transeundo dispersa grana advertens, cœtera commentus sit.

Ad alias postmodum Joniæ urbes invisit. Cum Smirnæ cives scientiarum artiumque studiosos inveniisset, animum addidit, monens; ut pluris seipsos, quam *Paus. l. 7.* suam civitatem facerent. Smirna & suo *p. 404.* in littore maris situ, ædificiorum amœnitate, porticuum magnificentia, picturarum præstantia, & auri opulentia, si quæ sub sole alia, speciosissima celebrabatur. Natales debebat Alexandro Magno, eratque tanto auctore digna. Ex hac urbe Ephesii subito malo pressi Apollonium ad se revocant, ut a peste liberaret. Ephesum adveniens in concilium vocatis, inquit: *Animo estote, bodie faciam, ut cesset lues.* Tum ad Theatrum deducit, ubi stabat Herculis Liberatoris templum; ibi cum in pauperem senecionem oculos conjecisset, qui centonibus tectus, & manticam gestans, stipem rogabat; *percutite*, clamat, *percutite Deorum hostem, lapidibus, quot quot potestis, mactate.* Vix induci poterant Ephesii, ut id facerent; namque misericordia tenebantur, flebili gestu vitam deprecantis, sed Apollonius

(*) Hinc sermonis animalium peritus creditus est.

Sæculum I. A. C. 54.

urgere non ceſſavit, usque dum ſuper contuſum, & contritum non modicus lapidum cumulus excreviſſet. Poſt modicum intervallum juſſit, ut lapides tollerent, & viderent, quale animal necidederint; dimotis lapidibus nihil hominis, ſed non exiguæ magnitudinis canem invenerunt. Nemo dubitavit, ſenecionem phantasma fuiſſe, ſub quo ipſe cacodæmon latitaſſet. In eodem loco erecta eſt Herculi ſtatua. Ita Apollonius Epheſios a peſte liberavit. Credet, cui libuerit, Dæmonem, ut Prophetæ ſuo faveret, phantasma hominum oculis objeciſſe; interim ſatis veroſimile eſt, nihil rei præter induſtriam, & audaciam ſubfuiſſe; potuiſſe ſcilicet fraudis conſcios humano cadaveri canem mortuum ſupponere, nec ulterius fuiſſe inquiſitum; quid enim facilius, quam plebeculæ, præjudiciis occupatæ, illudere;

Apollonius Thyanæus.

c. 4. 5. Smirna in Græciam profectus Apollonius Ilii ſubſtitit, ibique Achillem ſibi apparuiſſe & multa Iliadis arcana revelaſſe jactabat.

c. 6. Inde migravit Athenas, ubi eum Hierophanta initiare noluit, ſed a ſacris Eleuſiniis, tanquam magum, hominemque, Dæmonum commercio pollutum, arcuit; ideo autem Apollonio nihil de nativa audacia deceſſit; ſed videns Athenienſes valde ſuperſtitioſos, Deos, Religionem, & cæremonias docere cœpit;

Sæculum I. A. C. 54.

pit; quomodo in quolibet templo, & cuilibet Deorum ſacrificandum; qua diei, vel noctis hora preces, libamina, ſacrificia offerenda; de ſtatuarum arcanis, & diverſo earum ſitu ſcientiam oſtentabat. De Libationibus præcepta quædam maximi, ſi Diis placet, momenti tradebat; ex poculis, quibus fiebant, non bibendum, ſed illa Diis puriſſima conſervanda; tales ſcyphos debere eſſe anſatos & per illam partem libamen fundendum, quia hæc pars labiis bibentis tangi non ſoleret. Cum hæc diceret, quidam juvenis excuſſa voce procaciter in riſum ſolutus eſt; eum Apollonius a Dæmone obſeſſum affirmat, & reipſa ſtatim ſigna inſidentis maligni hoſpitis apparuerunt non nulla. Tum Apollonius ſpiritui præcipere, ut exiret, & in ſignum egreſſus non procul ſtantem ſtatuam everteret, quod factum eſt ita, juvenique mens reddita, qui habitu Philoſophorum aſſumpto, eandem cum Apollonio vivendi rationem amplexus eſt. Si Apollonio cum Dæmonibus neceſſitudo interceſſit, ſicut a Paganis incuſabatur, credi poteſt, inter ſe colluſiſſe, ut ejus nutu intrarent in hominem, vel exirent, ſicque ſectatorum fidem ei conciliarent, & miracula Chriſtianorum, qui eos quotidie ejiciebant, imitando obſcurare viderentur.

Sæculum I. A. C. 54.

Modum, quo Athenienſes Bacchi ſacra celebrabant, reprehendit; quod neglectis ſpectaculis ad regulas exactis, in tota civitate more fœminarum larvati, iſti horarum, alii Nympharum, alii Bacchārum habitu ſaltarent, Orphei Poemata exhibentes. Ad Majorum ſuorum fortitudinem, & virtutem reſpicerent. Etiam gladiatorum ſpectacula damnavit. Omnia Græciæ Templa, quæ oraculorum fama commendabat, vidit, & loca, ubi certamina Diis ſacra inſtitui ſolebant. Cum eſſet Corinthi, fiet, inquit: ut Iſthmus iſte manibus hominum perfodiatur, immo non fiet; quod vaticinium fuiſſe crediderunt de molitione Neronis, cujus juſſu opus inceptum eſt, ſed non perfectum. Quis vero non videt, fieri non poſſe, ut Prophetia, ſibimetipſi contradictoria, eventu careat? denique Apollonius peragrata tota Græcia Romam ſe contulit.

Suet. N. 2. c. 19.

§. L.

S. Paulus in Macedonia. Secunda ad Corinthios.

2. Cor. 2. 12. Interea S. Paulus relicta Epheſo in Macedoniam pergebat. Cum veniſſet Troaden, aperta erat Evangelio via, ſed quieſcere non potuit, quod ibi Titum Diſcipulum non inveniſſet. Tranſmiſſo Helleſponti freto, attigit Macedoniam, &

Act. 20. 2.

Sæculum I. A. C. 54.

& peragrabat eam, ubique sermonibus fratres confirmans. Tunc redux Titus, bona nova Corintho afferrens, eum magno solatio affecit; narrans; quantum præcedens ejus epistola Corinthiorum animos permovisset, quanto ejus videndi desiderio tenerentur, eorum denique lacrymas, & obedientiæ fervorem. Addidit; Achaicos elapso jam anno suam collectæ ratam pro Fidelibus Judææ paratam habuisse; quo exemplo usus est Apostolus, ut Macedones excitaret, aliunde quidem ad contributionem pro sua paupertate copiosam dispositos.

2. *Cor.* 7. 6.
2. *Cor.* 9. 2.
8. 3.

Cum itaque S. Paulus sciret epistolam suam Corinthiis profuisse, addidit secundam, suo, & Titi nomine ad Corinthiorum Ecclesiam, & totius Achaiæ Fideles directam. Primo ponit; se in Asia persecutiones maximas supra vires suas sustinuisse, ita ut mortis desiderium subiisset; quæ verba graviorem quamdam tribulationem indicare videntur, quam Demetrii seditionem. Addit; quamvis ad eos veniendi propositum mutasset, id non ex levitate, aut humano consilio factum, sed ut iis parceret, neque ipse cum summo dolore illos severius punire cogeretur, qui suos errores nondum correxerant, & videre innocentes propter incestuosi crimen extreme afflictos; ideo reum Ecclesiæ Corinthiorum correptione,

2. *Cor.* 1. 1.
Ibid. 1. 8.
Ibid. 15.
Ibi. 23. *c.* 3. 2.
7. 9.
12. 20.

Sæculum I. A. C. 54.

ne, & dolore, quem tota Fidelium Congregatio ob commissum crimen testata esset, satis punitum judicans, rogat, ut
2. *Cor.* 11.6. ignoscerent, & in pace reciperent; quam
8. indulgentiam, tanquam eorum obedientiæ argumentum exspectat; redditque
7. rationem, *Ne*, inquit: *delinquens tristitiæ excessu obruatur, nosque Diaboli fraudibus pateamus, si miser in desperationem*
11. *agatur.* Hoc exemplum secuti Ecclesiarum Pastores, sæpius peccatores indulgenter habuerunt propter causas graves, aut contritionis fervorem.

Multum deinde S. Paulus in hac epistola Ministerium suum laudat, & quantum sua sinceritas Pseudo-Apostolorum fraudulentiæ præstet, ostendit; hi enim
13. 13. bonitate, & pietate Fidelium abusi, eos dure, insolenter, & cum imperio quasi servos habebant, substantiam devorabant, & tributa gravia exigebant, quæ omnia
11. 20. Christiani tanquam a veris JEsu Christi
11. 22. Ministris patientissime tolerabant. Israelitas se jactabant de genere Abraham; nam inter hos falsos Doctores Judæi erant
Tit. 1. 10. omnium longe pessimi; labores suos, &
2. *Cor.* 10. quæ pro Evangelio passi essent, maximi
12. 13. faciebant, seque cum aliorum depressione extollebant.
10. 1. 10. Præsertim S. Paulus contemptui erat, ut qui rustice loqueretur; & ajebant: *Ejus quidem epistolis vis inest, qua vos terrere cupit, ejus vero præsentia,*

Sæculum I. A. C. 54.

sentia, & sermo nil nisi humile & contemptibile spirat. Sic Auditoribus suis persuadere volebant, Paulum humano tantum, sed neutiquam divino Spiritu duci. Coactus ergo seipsum laudare, principio Corinthiis suæ intentionis puritatem in mentem reducit, cujuscunque conscientiam in testem vocans, quam recto corde egerit, & quantos fructus suæ prædicationes tulerint. Sui Ministerii excellentiam per præstantiam novi fœderis, in cordibus hominum per Spiritum S. descripti, demonstrat, supra antiquam Legem scriptam in tabulis lapideis. Ministerium Moysis vocat Ministerium condemnationis, & mortis, quia Lex sine gratia homines magis damnabiles faciebat. Apostolos ait esse Dei Legatos, qui Mundum per JEsum Christum cum Deo reconcilient. Quæcunque autem de se magnificentius dicit, statim corrigit, omnia in Deum referens. Inter fragilitatem humanam, quæ in eo, & aliis Apostolis est, & virtutem divinam, quæ in eis eluceſcit, continuas Antitheses ponit, ita ut eorum passiones JEsu Christi mortem, operationes vero supernaturales, & effectus in Fidelium mente producti, ejus vitam glorioſam, & cæleſtem adumbrent.

2. 15.
3. 4.
3. 7. 9.
v. 18.
4. 7.
4. 10. 11. 12.
11. 1. 34.

Maxime in passionibus suis gloriatur; quamvis ipse hos sermones imprudentiæ,

S. Paulus ad Corinth. II. & 11. 1. 16.

Sæculum I. A. C. 54.

& extravagantiæ arguat, nec nisi compulsus memoret; ait; Apostolos omnia sufferre, ne cui molesti sint, & ne culpandi

6. 3. 4. Ministerii dent occasionem; in bonis, & malis, & in omni statu æquo animo esse;

11. 24. transiens deinde ad privatas suas tribulationes, ait; se fuisse sæpe in carceribus, sæpe vapulasse, sæpe in mortis periculo.

Deut. 30. 3. A Judæis quinquies quadragenas, una minus, accepisse plagas; erat hic consuetus plagarum numerus, cum Lex plus quam quadraginta verberibus reum percutere vetaret, ne forte excederent, triginta novem infligebant; delinquens autem a cingulo ad humeros flagellis quadruplici loro consutis cædebatur. Subjungit; se ter virgis cæsum, nempe a Magistratuum Romanorum lictoribus, qui cum cædendus esset reus, bacillos ex fascibus solvebant. Hoc Paulo contigit Philippis. Pergit, se semel fuisse lapidatum, nempe Lystris ab iisdem, qui eum voluerant adorare. Tum se ter fuisse naufragium passum, & una die, & nocte in profundo maris fuisse; cum natando vitam servaret, putandum. Tum in genere diversa enumerat pericula, quæ incurrit, in fluminibus, in civitatibus, in solitudine, a latronibus, a Gentilibus, a falsis fratribus. Adjungit labores, defatigationes, vigilias, famem, sitim, jejunia voluntaria, frigus, nuditatem, & super omnia tanquam

Talm. Maccoth. c. 3. n. 10. 13.

Act. 16. 22.

Act. 14. 18.

Chrys. hic hom. 25.

quam laborum omnium maximum, continuam in omnibus regendis Ecclesiis sollicitudinem. Sæculum I. A. C. 54.

Tandem ad revelationes digreditur, & particulariter ad illam, quæ sibi ante quatuordecim annos facta; & postquam tot excusationes præmisisset, non ausus est tamen se nominare, sed quasi de tertia persona loquitur; statimque ut se humiliet, ad proprias iterum infirmitates descendit, dum dicit: *Ne magnitudo revelationum me extollat, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet;* quibus vult indicare, aut persecutores suos, aut vehementem superbiæ, vel alterius vitii tentationem. Caro enim significat hominem carnalem, & universim omnes concupiscentiæ effectus. Adjicit: *Ter Dominum rogavi, ut me liberaret; sed dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea; mea enim potentia magis in creaturæ infirmitate clarescit.* Sic S. Paulus laudes proprias scribere compulsus est, ut Corinthios contra Pseudo-Apostolorum fraudes præmuniret. 1. *Cor.* 12. *Tert. de pudic. c.* 13. *Chrys. hic hom.* 26.

Unum excusat, quod gratis eos instruxerit; quod non ironice accipiendum; tunc enim Fideles, tanta charitate, & gratitudine erant erga Doctores suos, ut si nihil pro mercede vellent accipere, non parum affligerentur, idipsum offensam reputantes, vel certe contemptus, 11. 7. 12. 13.

Sæculum I. A. C. 54.

ptus, aut indignationis signum. Serio gitur S. Paulus se purgat, & ostendit, i ex defectu amoris non factum, sed ne de

11. 12. occasionem gloriandi quibusdam Pseudo-Apostolis, qui, ut oculis hominum place-

12. 14. rent, nihil accipiebant. Tum subdit:

12. 19. *Nec enim vestra, sed vos ipsos quæro.* Post has excusationes, & sui commendationem monet, hujus sermonis unicum finem esse eorum ædificationem; ut emendarent, quæ in epistola priore exprobraverat; disputationes, invidiam, zelum indiscretum, divisiones, detractiones, murmurationes, elationes, seditionem vitarent; si qui prius peccata carnis commisissent, pœnitentiam agerent;

13. 1. nam subjungit: Veniam ad vos tertia vice. Non apparet, quando secunda vice ibi fuerit, nisi forte in prima peregrinatione Corintho in vicinam quamdam urbem diverterit, & redierit. Pergit deinde, se præsentem testes auditurum, in forma judicaturum, nec ultra indul-

13. 7. 10. genter acturum; sed statim Deum rogat, ne illis malum cogatur inferre, nec durius potestate uti, sibi ad ædificationem, non autem destructionem tradita. Sic ingeniosa S. Pauli charitas in secunda ad Corinthios, lenitatem severitati, humilitatem constantiæ virili commiscet.

§. LI.

Sæculum I.
A. C. 54.

§. LI.

Epistola ad Romanos.

Cum Macedoniam perambulasset, delatus in Græciam mansit tribus mensibus. Venit etiam Corinthum, sicut promiserat, tertia vice. Ibi, omnibus ad iter Jerosolymam instituendum compositis, scripsit ad Romanos, nempe potissimum ad Gentiles conversos, quorum jam non exiguus erat numerus, sive a S. Petro, sive ab aliis Evangelium fuissent docti. Ubique Christianorum fides innotescebat, omnium ore eorum scientia, charitas, obedientia commendabantur. Erant in Ecclesia Romana multi Judæi, præter eos qui in perfidia remanserant, & inter conversos a Judaismo, & Græcos seu Gentiles creberrimæ fervebant disputationes. Judæis neutiquam probabatur, quod illi ad gratiam fidei admitterentur, ad circumcisionem, & Legem non obstricti; quia omnes ex nationibus immundos reputabant; se vero esse populum electum, cui Deus dedisset Legem, & Christum promisisset. Sibi gratiam Evangelii debitam, propter divinas promissiones, & sua bona opera credebant; nec sibi opus esse Redemptore, qui se a peccatis liberaret; non enim aliam sciebant Justitiam, quam operum externorum exercitium, a Lege præscriptorum;

Act. 20. 3.

Rom. 15. 25.

Orig. præf. in Rom.

Theod. in Rom. 1.

Hier. præf. l. 2. *in Gal.*

Rom. 1. 8.

15. 14.

16. 19.

Aug. expos. incho. init.

Sæculum I. A. C. 54.

sine peccato se esse putabant, si Legem adimplessent, eamque propriis viribus posse adimplere. Itaque tam pœnitentiæ, quam spei, & confidentiæ in Redemptorem necessitatem ignorabant. Sic quidem hi Judæi secundum carnem judicabant.

Græci autem, qui ex Gentibus erant, Philosophia gloriabantur, qua facem præferente pleraque morum præcepta cognovissent, & observassent sine revelationis, & Legis adjumento; hinc spernebant Judæos, qui post tot acceptas a Deo gratias, toties rebelles exstitissent, tandem Christum rejeciissent, & crucifixissent. In hac epistola S. Paulus omnem operam impendit, ut & hos, & illos humiliet. Primo Græcos increpat, seu a Paganismo conversos, Eruditiores, & Philosophos; ostenditque; scientiam eis nulli emolumento, sed damno fuisse, cum ideo coram Deo fuissent multo nocentiores. *Tales enim*, inquit: *veritatem Dei injuste occultarunt; cum Deum ex mirabilibus ejus operibus agnovissent, eum non glorificaverunt; nec, quod sciebant, populis communicarunt;* Tum Socratis exemplum adducit, cujus profundissima de Deo scientia erat; cum vero accusaretur, quod Athenienſium Deos non adoraret; verum Deum negavit; & ejus Discipulis curæ fuit, ut eum ab hac accusatione

Rom. 1. 18.

Plato. Apol. Socr. Xenoph. lib. 1. *mem. init.*

tione defenderent. Hujus Mundi sapientes, pergit S. Paulus: pro scientiis sibi concessis *Deo gloriam non dederunt; in suis sibi cogitationibus, quasi eas a se ipsis haberent, complacuerunt; ideo in cæcitatem, & extravagantias, & Idololatriam delapsi sunt.* Hæc maxime Sapientibus Ægypti convenire videntur, a quibus pleræque superstitiones ad Græcos translatæ. *In horum criminum vindictam reliquit eos Dominus cupiditatibus eorum, ut infames abominationes committerent, & ad omne impudicitiæ genus corporibus abuterentur.* Quæ vitia omnibus Idolorum cultoribus erant communia, sicut ex Socratis, ejusque Discipulorum sermonibus clare colligitur. Hæc intellectus perversitas, & cordis pravitas omnium vitiorum origo fuit, quæ Apostolus hic enumerat; nihil aliud referens, quam quæ Romæ, & in aula Neronis, qualem Tacitus depingit, erant vulgatissima. Nihilominus lumen rationis in Paganis non erat extinctum, si de judicio in alios ferendo ageretur; tunc enim in aliis ea omnia damnabant, quæ ipsi opere perpetrabant, præ cæteris Philosophi, qui seipsos morum judices constituebant.

Sæculum I. A. C. 54.

Rom. 1. 21.

1. 14.

Rom. 1. 29.

2. 1.

A Græcis Apostolus ad Judæos digreditur, & ut modestiam doceret, superbiam eorum exprobrat. Quia nimirum

2. 17.

Sæculum I. A. C. 54.

Judæorum, & Israelitarum nomine gloriabantur, & in Lege confidebant, quam quidem admiratione & laude prosequebantur, opera vero negligebant, & alios, qui Legem non acceperant, vilipendebant. In Deo gloriabantur gloria humana, quam non in Deum, sed in seipsos referebant, se populum dilectum, & electum jactantes; Deum autem transgressione Legis, quam verbis extollebant,
3. 9. blasphemantes. Judæi ergo propter merita nullatenus Gentilibus erant præferendi, nec gratia Evangelii magis digni, cum & Judæi, & Gentiles æquali modo
3. 23. 24. in peccatis essent, omnesque sine exemptione Dei omnipotentia indigerent, ut per gratiam, & per fidem in JEsum Chri-
4. 4. 5. stum justificarentur. Explicat hic S. Paulus, quomodo fides sola sit justificationis principium, & Deus ad opera præcedentia non respiciat; quia alias non gratia esset, sed merces.

Deinde Apostolus vinculum memorat, quo Judæi, & Gentiles in eadem Ecclesia uniuntur, nempe spe vitæ æternæ.
4. 11. 12. Non solum filii Abrahæ secundum carnem, & qui circumcisi sunt, sicut & ipse, salvabuntur, sed filii promissionis, & e-
9. 8. jus fidei imitatores. Judæi ergo Gentiles non contemnant, nec Pagani Judæos, quamvis major Nationis pars reproba sit,
11. 18. 19. quia ea Natio radix est, & truncus cui

Ecclesia

Ecclesia Gentilium inserta, unica fiat Ecclesia, unum corpus filiorum Dei. Rigor divinæ Justitiæ erga Judæos, quod gratia abusi sint, Gentiles, in eorum vices vocatos, perterrefaciat. Sæculum I. A. C. 54.

Hic Apostolus prædicit, in fine Sæculorum, postquam omnes ex Nationibus prædestinati, Ecclesiam ingressi fuerint, omnes Judæos convertendos, & hoc grandi miraculo cæterorum omnium Fidelium fidem confirmandam. (*) 11.12.15.25.

Romanis inculcat humilitatem, concordiam, bonum Prophetiæ usum, aliorumque donorum spiritualium, quæ Deus quibusdam ad utilitatem Ecclesiæ dabat. 12.

Brevior autem est in hac materia ad Romanos, quam ad Corinthios, quia tantus apud illos abusus non erat. *Chrys. in 1. Cor. hom. 29.*

Obedientiam erga Potestates sæculares commendat, ne aliqui, quæ de Evangelii Libertate dixerat, maligne acciperent; & hanc quidem obedientiam omnibus, & singulis imperat, nec Presbyteris, nec Pro- 13.

(*) Quod hic Fleurius Apostoli verba: Plenitudo Gentium, reddiderit: omnes ex nationibus prædestinati, suspicatur Anonymus I. ipsum illorum errori favere, qui dicunt, Ecclesiam ex solis prædestinatis constitui; sed cum hujus erroris vestigia nullibi alias in Fleurio deprehendantur, magis æquum est credere, nullo consilio hæc verba posuisse.

Sæculum I. A. C. 54.

phetis, nec quibuscunque aliis exceptis. Regulas easdem tradit, quas Corinthiis, ne illos, qui anxiæ essent conscientiæ in comedendis Idolothytis, aut qualicunque alia ratione secundum Legem impuris, non scandalizarent. Tanta quorumdam erat simplicitas, ut securitatis causa non nisi legumina comederent. Vult ergo S. Paulus, ut sapientiores, omnia sibi permissa credant, alios autem non spernant, & scrupulosi manducantes non judicent. Eandem Regulam pro observatione dierum, id est, jejuniorum primis mensis diebus, aut aliis Judæorum festis tradit; quia hæc opera ex se erant indifferentia, & omnium æqualiter bona erat intentio. Quidam magis se Deum honorare putabant, si Legem ad litteram observarent; alii magis honorari credebant, si Evangelii libertate uterentur. Regulæ vero generales sunt, ne quid unquam contra charitatem, aut propriæ conscientiæ testimonium operemur.

Chryf. hic hom. 23. Rom. 14.

14. 23.

S. Paulus ad Romanos.

Post hæc ait Apostolus; se verbum Dei a Jerosolyma in omni ora maritima usque in Illyricum prædicasse, nec aliorum fundamento superstruxisse, sed iis potissimum annuntiasse fidem, qui nihil de ea audivissent. Sibi a multo tempore eundi Romam desiderium esse, sed fuisse huc usque impeditum. *Modo*, inquit: *vado Jerosolymam propter servitium Sanctorum.*

15. 19.

15. 26.

Sæculum I. A. C. 54.

ctorum. *Visum est enim Macedoniæ, & Achajæ, pro pauperibus Fidelibus, qui ibi sunt, collectam mittere. Et faciunt, quod tenentur. Si enim Gentiles de gratiis Judæorum spiritualibus participant, iisdem ipsi auxilia temporalia ministrare debent. Postquam igitur iis hoc subsidium tradidero, veniam ad vos, ut Hispaniam transeam. Rogo vos; juvate me vestris precibus, ut ab Infidelibus Judææ liberer, & meum ministerium Sanctis Jerosolymæ sit accepta oblatio.* Ita S. Paulus eleemosinam, Tributum, & Sacrificium reputabat, & magis ipsi curæ erat, ut consolatione pauperum corda lucraretur, quam ut eorum necessitati succurreret.

Romanis commendat Phœben, Ecclesiæ Cenchreæ prope Corinthum Diaconissam, quæ Romam proficiscebatur, rogatque ut eam recipiant, & in negotiis auxilium præstent. Rogat, ut salutent Priscam, aut Priscillam, & maritum ejus Aquilam, quos consequenter Romam rediisse necesse est, qui, inquit: pro salute mea vitæ periculum fecere; salutat etiam eorum Ecclesiam domesticam; unde colligendum, in eorum domo Christianos convenisse Romæ, sicut Corinthi in domo Caji. Salutat etiam Epenetum, JEsu Christi in Asia primitias, Mariam, quæ multum Romæ laboraverat, *Rom.* 16. *Rom.* 16. 23.

Sæculum I. A. C. 54.

Andronicum, & Juniam, quos cognatos & concaptivos vocat, qui ante se Christiani, & inter Apostolos illustres fuissent; plures enim Apostolorum nomine veniebant, verosimiliter illi, qui primi in quodam loco Evangelium annuntiaverant. Adjungit Ampliatum, Urbanum, Stachyn, Appellem, & cuique laudem suam tribuit. Salutat etiam familiam Aristobuli, Herodionem cognatum, & Christianos de Narcissi familia; forte ideo notos, quod ex familia famosissimi Narcissi Claudii Imperatoris Liberti fuissent, quem sub initium Regni Neronis Agrippina necari jussit.

Euseb. I. hist. c. 12.

Tacit. 13. Ann. init.

Salutat insuper Apostolus Tryphenam, Tryphosam, & Persiden, has tres fœminas, & earum pro Domino labores dilaudans. Salutat Asyncritum, Phlegonem, Hermam, Patrobam, Hermem, &, qui cum eis erant, fratres. Salutat Philologum, & Juliam, Nereum, & sores ejus, & Olympiadem, & Fideles omnes, qui cum ipsis erant. Hi sunt Christiani Romani, quibus S. Paulus speciatim se commendat; eosque hujus Ecclesiæ sanctissimos, & illustrissimos fuisse credendum. Græca nomina indicant, plerosque eorum origine Græcos, & ex Oriente fuisse. Inter hos notatu dignissimus est Hermas, cujus fœtum fuisse librum Pastoris veteres credunt. In hujus

Euf. III. hist. c. 3. Hier. de Script.

Rom. 16. 21.

Epistо-

Epistolæ fine S. Paulus quosdam eorum, qui secum erant, nominat; *Timotheus*, inquit: *laborum meorum consors, vos salutat, & Lucius, & Jason, & Sosipater affines mei;* iste Lucius, S. Lucas Evangelista esse posset, nam tum cum S. Paulo erat. Et Tertius, qui hanc epistolam sua manu descripsit, salutationem suam adjungit. Tunc denique Gaji, qui S. Paulum, & hanc Ecclesiam hospitio recipiebat, id est, Domum suam conventui commodabat, mentio fit, tum Erasti, qui fuit Corinthi arcarius, & Quarti. Sæculum I. A. C. 54.

§. LII.

S. Pauli itinera Troadum, Miletum.

S. Paulus tribus mensibus in Græcia consumptis, navem in Syriam trajecturus conscendere parabat, sed detectæ Judæorum insidiæ per Macedoniam redire coegere. Simul profectionem iniere Sopater ex Bœrea Pyrhi filius, Aristarcus, & Secundus, ambo Thessalonicenses, Gajus Derbensis, Timotheus, Tychicus, Trophymus ex Asia. Hi breviori itinere præmissi, eum Troade exspectarunt. S. Paulus Philippis solvit post dies azymorum, cum S. Luca. Quinta die Troadem perveniunt, ubi Sopater cum aliis exspe- *Act.* 20. 3.

Sæculum I. A. C. 54.

ctaverat, manseruntque septem diebus. Die Dominica Fidelibus ad fractionem panis, seu ad celebrationem Eucharistiæ congregatis, S. Paulus perorabat, sermone in mediam noctem protracto; in aliquo triclinio tertiæ contignationis sedebant ad multarum lampadum fulgorem, fenestris utpote in Regione calida apertis. Tum juvenis quidam Eutichus fenestræ insidens, & profundo sopore victus decidit in plateam, & ab accurrentibus inventus est mortuus. Descendit & Paulus, mortuumque ad vitam revocavit. Tum rursus in domum ascendens fecit fractionem panis, & manducavit. Reliquo deinde noctis inter sermones transacto, profectus est. Inde advertitur; eos S. Eucharistiam jejunos celebrasse, nec in casu necessitatis tota die Dominica impransos sustinere gravatos fuisse.

Aug. ep. 86. ad Casul. c. 12. n. 28.

Aug. ibid.

Troade discedens S. Paulus, itinere terrestri Asson venit, ubi cum S. Luca, & aliis sociis mari advectis, navigio se credidit; inde Mitylenen in insula Lesbos, sequenti die in insulam Chium, altera Samos, & tertia Miletum in terra firma. Hæc urbs, si Ephesum excipias, nulli alteri in Asia concedebat. S. Paulus consulto Ephesum præteriit, ne a fratribus detineretur, Jerosolymam enim festinabat, ut ibi esset die Pentecostes, quo magna populorum multitudo solebat con-

Strabo l. 14.

Chrysost. hic. hom. 43. in act.

confluere. Mileto Ephesum mittens, Presbyteros, & vicinarum Ecclesiarum Episcopos convocavit; præsentibus memorat, quantum laborasset, & pro Ecclesiis Asiæ sustinuisset, quanta cura instruxisset eos publice, & privatim, seque exemplum animi a proprio commodo alienissimi eis dedisset, ut manuum labore sustentari discerent. Addidit; eos se non amplius visuros, sed se ubique a Spiritu S. moneri, vincula, & afflictiones se Jerosolymæ manere; postea in genua se demisit, quamvis esset tempus paschale, & oravit cum eis. Ipsi vero deducentes eum ad navem, amplexibus, & osculis satiari non poterant.

Sæculum I. A. C. 54.

Iren. III. c. 14.

Act. 20. 36.

Mileto SS. Paulus, & Lucas cum sociis, cum pertransissent insulam Coum, & altera die Rhodum, venerunt Patarам in terra firma Lyciæ. Ibi oblata est eis navis in Phœniciam solutura, in quam se intulerunt. Insulam Cyprum ad lævam prætervecti, Tyrum appulerant, ut navis ibi exoneraretur. Septem ibi diebus versati sunt cum Christianis, qui in Spiritu Prophetiæ ajebant ad Paulum; ne Jerosolymam iret; ipse vero in proposito persistens discessit; tunc omnes cum uxoribus, & liberis eum extra civitatem deducebant, & oratione flexis genibus in littore peracta, separati sunt.

Act. 21.

Reli-

Sæculum I. A.C. 54.

Reliquum viæ S. Paulus, pedibus confecit, primo veniens Ptolemaidem, ubi ad fratres divertit cum S. Luca, & sociis. Altera die venerunt Cæsaream, ibi a S. Philippo ex septem Diaconis uno, & qui erat Evangelista, id est, cui Evangelium annuntiare incumbebat, hospitio excepti, aliquot ibi dies manserunt. Erant Philippo quatuor filiæ, Virgines, & Prophetissæ. Interim ex Judæa Propheta Agab illuc adveniens, arrepto S. Pauli cingulo sibi pedes manusque ligavit, ex impulsu S. Spiritus dicens: *Sic Judæi Jerosolymæ illum ligabunt, cujus est hoc cingulum, & in manus Gentium tradent.* S. Lucas igitur, & alii Discipuli obstabant S. Paulo, ne iret Jerosolymam, sed persuadere non potuerunt. Ergo in viam se dedunt, quibus Discipuli quidam Cæsarienses juncti sunt, adducentes secum illum, cujus hospitio Jerosolymæ uterentur. Erat is veteranus Discipulus ex septuaginta duorum numero nomine Mnason Cyprius. Jerosolymam ingressi sunt ante festum Pentecostes, quod ibi celebrare S. Paulo propositum fuerat.

Chrys. hom. 45. in act. XXI. 14.

§. LIII.

S. Paulus Jerosolymæ.

Secunda post adventum die S. Jacobum Civitatis Episcopum domi suæ salutant,

Sæculum I. A. C. 54.

tant, ubi omnes Presbyteri congregati. His S. Paulus omnia per partes narrat, quæ Deus, suo Ministerio usus, feciſſet Gentibus. Omnes in divinas laudes effusi; Paulo autem dixerunt: *vides, frater! quot Judæorum millia fidem ſuſceperint, omnes iſti ſunt zelatores antiquæ Legis; & de te audierunt, quod Judæis inter Gentiles viventibus ſuadeas, Legem totam derelinquere, & filios ſuos non circumcidere. Sciunt etiam te adveniſſe; ſequere ergo conſilium noſtrum: ſunt hic quatuor viri qui votum Nazaræorum compleverunt, præpara te, ut cum eis ſacrifices, & omnes ſciant falſa eſſe, quæ audierunt, teque Legem ſicut alios obſervare. Quod autem Gentiles converſos attinet, nihil ultra eis imponimus, quam ut Idololatria, immolatis, ſuffocatis, ſanguine, & fornicatione abſtineant.* Placuit S. Paulo conſilium; purificatus eſt, altera die cum Nazaræis Templum adit, ſatisfactum eſſe voto, declarat, & Sacrificiis, pro quolibet eorum oblatis, aſſiſtit.

Purificationis Nazaræorum cæremoniæ ſeptem diebus tenebant; jamque proxime finis aderat, cum Judæi ex Aſia viſo in Templo S. Paulo manus injiciunt, omnem populum excitant, ad auxilium vociferantes; hunc eſſe illum virum, qui ubique contra populum, Legem, & Templum prædicaſſet, etiam prophanaſſet illud

Num. 6. 9.

Act. 21. 27.

Sæculum I. A. C. 54

lud, Gentiles inducens; Trophimum enim Ephesium cum S. Paulo Jerosolymis viderant; inde eundem in Templum introductum credebant. Magnus fit concursus populi. S. Paulo vi extracto, portæ Templi clauduntur. Cohortis Romanæ tribunus, cui tunc custodia Templi commissa, monitus, per totam civitatem tumultum serpere, cum militibus, & centurionibus accurrit, cujus præsentiam veriti Judæi, verberare Paulum desierunt, quem haud dubie occisuri erant.

Tribunus quidem eum primo conspectu duabus ligari catenis jubet; quid ageretur, nescius, tanta erat tumultus, & clamoris confusio; tum S. Paulus in arcem Antoniam custodiendus ducitur, Romani Præsidii militare hospitium. Hæc arx Templum contingebat in angulo a septentrione ad occasum, quo multis gradibus ascendebatur; Asmonæis Principibus originem debebat, fueratque Baris dicta, sed cum Herodes eam a ruina reparasset, Marci Antonii honoribus nomen mutaverat. Interior magnificentia Palatium, habitandi commoditas civitatem referebat; exterius quatuor turribus lateralibus muniebatur, & obsitum præaltum sibi Templum obnoxium, sicut Templum civitatem habebat. Cum illuc ascenderent, & S. Paulus præ turba progredi non posset, a militibus portabatur.

Jos. XV. Ant. 14. pag. 544. & VI. Bell. c. 15. p. 919.

batur. Tum Tribunum rogat, an loqui sibi liceret; Tribunus econtra an Græce loqueretur? hujus enim linguæ usus erat, qua Romani cum Orientalibus communicabant; & iterum: *nunquid tu es ille Ægyptius, qui hisce diebus excitato tumultu quatuor Sicariorum millia in deserta duxisti?* Sæculum I. A. C. 54.

§. LIV.

Seditiones Judæorum. Sicarii.

Res autem ita se habebat; paulo ante quidam Impostor Ægypto Jerosolymam venerat, qui Prophetam mentitus, populo persuasit, ut se in montem Oliveti, Leucæ quarta parte ab urbe distantem, sequeretur; ad suum nutum urbis mœnia sponte collapsura, ita, ut per ruinas ingredi possent. Hoc ubi Felix, Judææ tunc Præses, rescivit, peditum, equitumque partem arma sumere jubet, ipse primos ordines ducens, populum ab Ægyptio seductum persequitur; quadringenti occisi, ducenti projectis armis capti sunt. Ægyptius in prælii tumultu fuga elapsus, ultra non comparuit. Sed eadem tempestate quasi ex condicto plures insurrexere seductores, qui plebis credulitati illudentes, videndorum grandium miraculorum spe in deserta trahebant. Horum multos Felix fugavit. Majori

Jos. XX. ant. c. 6. 11. Bell. c. 22. p. 796.

Sæculum I. A. C. 54.

jori severitate in latrones plurimos animadvertit; hos inter fuit Eleazar Dinæi filius, quem quidem datæ fidei violatione, nam impunitatem promiserat, ad deditionem pellexit; cum autem in potestate fuit, ferro onustum cum pluribus aliis Romam misit. Alios non exiguo numero in Judæa cruce fregit.

Idem Felix, futurorum inscius, Sicariis viam in urbem patefecit. Jonathas tunc Summo Pontificatu potitus, Felicem Imperatori commendaverat, quem procurandæ Judææ aptissimum mitteret, hinc si quid fuisset erratum a Præside, Pontifex liberius eundem monere audebat, non dubius, quidquid peccaret Felix, sibi utpote fautori ejusdem imputari. Hæc libertas impatientiam primo, deinde implacabile odium Felicis in Jonatham creavit; ergo quemdam nomine Dorem Jerosolymitam, qui amicorum Jonathæ fidissimus videri poterat, pecunia corrumpit, ut eum parricidio tolleret. Hic ad hoc consilium sicarios, quibus tunc Judæa abundabat, adhibet, veniunt illi Jerosolymam quasi Religionis causa, & quia arma sub vestibus latebant, facile lateri Pontificis admoti, eum ferro confodiunt. Tanto scelere impune perpetrato, crevit audacia, ita ut omnia festa latrones isti, populo occulte permixti, cædibus funestarent; peracto facinore nemo magis iraſci,

iraſci, indignarique videbatur, quam illi ipſi, qui auſi fuerant, ut ſecurius laterent. Actum erat de ſecuritate publica, quam nec ipſius Templi reverentia præſtabat. Alios privatæ vindictæ cupiditas, alios rabida pecuniæ fames in ſcelus impellebat. Omnibus ejusdem generis arma, brevis pugio, & inflexus, ut Perſarum acinaces ſunt; talis pugio a Romanis ſica dicebatur; hinc Sicariorum nomen retinuerunt. Hi Prædones in tota Judæa ad rebellionem commovebant populum, eorumque domos, qui in quiete, & obedientia vivere cuperent, diripiebant. Nec tantum in agris, ſed & Jeroſolymæ ſeditiones erant quotidianæ. Sæculum I. A. C. 54. *Joſ. XX. ant. c. 7.*

Cum Rex Agrippa Summum Sacerdotium in Iſmaelem Phabei filium contuliſſet; hæc res magnæ diſcordiæ inter Pontifices, & minorum gentium Sacrificatores cauſa fuit; his civitatis Principes favebant; per plateas incedebant ſtipati viris ad inſolentiam, & ſeditionem comparatis, convitiis, & lapidibus ſe ſe inſectabantur, ac ſi nulli eſſent in urbe Magiſtratus. Eousque proceſſit exacerbatio, ut Pontifices ex ſuis mitterent in areas, ubi frumentaria annona aſſervabatur, qui Sacerdotum decimas aufferrent, unde factum, ut quidam pauperiores, quibus ad vitam ſuſtentandam præter decimas nihil erat, fame perirent. Hæc Jeroſo- *Joſ. XX. ant. c. 6.*

Sæculum I. A. C. 54.

lymæ facies erat, dum in vincula datus est Paulus.

§. LV.

S. Paulus Jerosolymæ captivus.

Is ergo, ut diximus, a Tribuno interrogatus, num ipse ille Ægyptius esset,
Act. 21. seditionis incusatus, simpliciter, quis esset, respondit, & facultatem loquendi ad populum petiit, qua impetrata, stans in gradibus, quibus in arcem ascendebatur, signum manu dedit; illico factum est magnum silentium. Tum Paulus profatus est lingua Judæorum vulgari, id est, Syriaca, quo adhuc majorem captavit attentionem; *Fratres*, inquit:
Act. 22. *& Patres mei! audite defensionem meam; sum vir Judæus, Tarsis Ciliciæ natus, in ista civitate enutritus, Gamalielis Discipulus, veritatem Legum Paternarum edoctus, quas aliquando æmulatus sum, sicut vos omnes hodie. Persecutus sum hanc sectam usque ad mortem, de quo S. Pontifex, & Senatores mihi testes sunt;* tunc narrat iter suum Damascum, visionem in via, conversionem, Baptismum, reditum suum Jerosolymam, secundam visionem, in qua JEsus Christus sibi revelaverat, Judæos ejus testimonium non recepturos, & ad Gentes miserat.

Huc-

Sæculum I. A. C. 54.

Hucusque Judæi Paulum loquentem auscultaverant, cum vero nominasset Gentiles, Judæorum nempe horrorem, silentium ultra non tenuere, exclamantes: *Tolle hominem istum, nec enim luce est dignus;* sic vociferantes depositis palliis pulverem spargebant in aerem. Tribunus S. Paulum in arcem duci jubet, & scire cupiens, qua de causa tantum Judæorum furorem in se concitasset, flagellis cædi volebat, ut sic verum exprimeret; jamque vinculis constrictus Paulus, ad Centurionem adstantem; *vobisne civem Romanum flagellare liceat, indemnatum?* Id statim Centurio ad Tribunum detulit, qui ipse accedens interrogabat, num civis Romanus esset, cui S. Paulus; sum etenim, & Tribunus: *Charo hoc jus Civitatis a me coemptum est*, Paulus vero: *ego a nativitate habeo;* eratque hoc jus civitatis Tarsensis privilegium, ut omnes cives censerentur Romani; Titulum etiam gerebat urbis municipalis, qui pluris erat, quam Coloniæ; hæc jura civitas Tarsensis acquisierat bellorum civilium tempore, eo quod Julii Cæsaris primum, deinde Augusti partibus constanter faviisset, eousque ut mutato nomine Juliopolis dici voluisset. Quamprimum S. Paulus se civem Romanum professus est, discedere lictores jussi, timuitque Tribunus vel hoc solo peccasse, quod suo imperio ad exci-

Dio. l. 47. p. 309.

Valer. Max. lib. 4. c. 1. Cic. in Verr. l. 5. n. 54.

Sæculum I. A C. 54.

pienda flagra ligatus fuiſſet; non enim cives Romanos virgis cædere qualicunque demum cauſa licebat. Altera die Tribunus, ut ſciendi deſiderio ſatisfaceret, cujus tandem criminis Paulus accuſaretur, vinculis ſolutum, convocato Sanhedrin ſeu Judæorum concilio ſiſtit. Cum loqui cœpiſſet, juſſus eſt ab Anania S. Pontifice alapa percuti, cui S. Paulus: Deus te percutiet, paries dealbate! ſed dum Paulo dixere, eum eſſe S. Pontificem; excuſavit, inquiens, ſe id ipſum neſciviſſe. Lex enim vetabat, ne Principi malediceretur.

Act. 23. 3.

Exod. 22. 28.

Nec mirum adeo, S. Paulo, quamvis Judæo, & Jeroſolymæ educato, Ananiam non fuiſſe cognitum, nec ſciviſſe eum Summo Sacerdotio functum, nam Paulus poſt converſionem ſuam exiguo tantum tempore Jeroſolymæ moratus fuerat, nempe a viginti quinque annis, quo intervallo frequentiſſimæ fuerant SS. Pontificum ſucceſſiones. Ante Regnum Herodis SS. Sacerdotes non citius Pontificatu, quam vita cedebant; ab eo autem tempore ad nutum Principis in ordinem redigebantur; nec legitima erat ſucceſſio. Herodes primo, non ſervato ordine, quemdam nomine Ananeel Babylone accerſitum, ortum quidem ex genere Sacerdotali, ſed hominem vilem S. Pontificem conſtituit; hoc exemplum ſecuti alii Reges,

S. Paulus Jeroſolymæ.

Joſ. XV. ant. c. 2. & XX. c. 18. p. 701.

ges, & Romanorum Præfecti pro arbitrio minus gratos sibi deponere, & clientes promovere cœperunt; ita factum, ut ab hoc Ananeele, usque ad devastationem Jerosolymæ viginti, & octo S. Sacerdotes numerarentur. Hæc ipsa successionis confusio satis indicabat, vetus Sacerdotium aboleri, ut novo locum daret. Pontifex, quem S. Paulus non noverat, erat Ananias Nebedei filius, qui ante quatuor, vel quinque annos S. Sacerdotio functus, deinde a Quadrato Syriæ Præfecto catenis ferreis vinctus cum pluribus aliis Romam missus fuerat, junioris Agrippæ Patrocinio iterum liberatus. Tunc quidem illius anni Pontifex erat Ismael Phabei filius; Ananias autem adhuc titulo, & honoribus, sicut quondam Annas tempore Caiphæ, potiebatur.

Sæculum I. A. C. 54.

Eus. 1. *hist.* c. 6.

Jos. XX. *ant.* c. 3. c. 5. p. 692. c. 6. *sup. num.* 40.

Sciens S. Paulus eos, qui Sanhedrin constituebant, partim ex Pharisæis, partim ex Saducæis esse, exclamat: *Fratres mei! Pharisæus sum, & Pharisæi filius, & de Resurrectione mortuorum hic agitur.* His verbis animi divisi sunt. Quippe Saducæi nec in Resurrectionem, nec Angelos, nec Spiritus credebant, Pharisæi vero utrumque. Itaque quidam eorum surgentes dicebant: *Nihil mali invenimus in homine isto; nisi forte dignus morte sit, si ei Angelus aut Spiritus fuerit locutus?* Jamque tantus erat disputationis

Act. 23. 6.

Sæculum I. A C 54.

fervor, ut Tribuno timenti, ne inter eorum manus discerperetur medius, Paulum a militibus tolli, & in arcem reduci, optimum visum sit. Nocte sequenti apparuit ei Dominus, dicens: *Vir esto, nam sicut mihi Jerosolymæ testis fuisti, etiam ut Romæ sis, oportet.*

Act. 23. 12. Sequenti die ultra quadraginta Judæorum, Seniores, & S. Pontificem adeuntes, dicebant: *Votum fecimus, non prius bibere, nec manducare, quam Paulum occiderimus. Petite ergo a Tribuno, ut iterum in concilium adducatur, quasi novis quæstionibus subjiciendus, & quamprimum apparuerit, occidemus eum.* Hujus autem rei Paulum ejus ex sorore nepos certiorem fecit, quem Paulus cum Centurione ad Tribunum mittit, aitque Centurio: *Captivus Paulus rogavit me, ut hunc adolescentem tibi adducerem, sunt enim, quæ deferat.* Tum adolescens conjurationis modum exposuit, eumque Tribunus, imperato silentio, dimisit. Vocatis autem duobus Centurionibus, ducentos milites, qui Cæsaream irent, paratos habere jubet, cum septuaginta equitibus, & satellitibus ducentis, equos etiam, quibus imponeretur Paulus; iter vero hora noctis tertia carperent.

Timens enim Tribunus, ne Paulo a Judæis occiso, ipse munera accepisse accusaretur, misit eum ad Felicem Judææ Præto-

Prætorem, qui tunc erat Cæsareæ, scripsitque epistolam; captivum hunc civem Romanum esse, in nullo a Judæis accusari, quam Legis eorum quæstionibus, nihilominus eidem voluisse mortem inferre. Jussa exequentibus militibus S. Paulus Antipatridem ductus est; sequenti die, relictis equitibus in viæ præsidium, ipsi in castra Jerosolymam revertuntur. Ubi equites Cæsaream pervenerunt, Paulum Prætori sistunt, traduntque Tribuni Lysiæ litteras. Quærit Prætor ex qua Provincia captivus esset, cumque ei fuisset responsum, ex Cilicia, ait: *Audiam te, cum accusatores tui venerint*, eumque in Herodis Palatio custodiæ mandari jubet. Sæculum I. A. C. 54.

§. LVI.

S. Paulus coram Felice.

Quinto post die S. Pontifex Ananias cum quibusdam Senioribus, & Tertullo oratore Cæsaream venit. Cum stetissent ante Præsidem, citatur Paulus. Tum Tertullus eloquentiæ artem expromens, ut judicis captaret benevolentiam, exordio studiose præparato in hunc modum locutus est: *Pacis tranquillitatem, cæteraque bona omnia, quæ ex sapienti tuo Regimine nobis affluunt, Illustrissime Felix! continuo summæ gratitudinis sensu* Act. 24.

Sæculum I. A. C. 54.

recolimus. Sed ne te longius detineamus, oro te, ut me rei ſummam compendio exponentem benigne audias. Hunc hominem pernicioſum invenimus, ubique terrarum ſeditiones inter Judæos excitantem, Sectæ Nazaræorum caput, etiam Templum ſanctum noſtrum prophanare voluiſſe. Apprehenſum ſecundum Legem noſtram judicaturi eramus, niſi Tribunus Lyſias ſuperveniens, adhibita vi manibus noſtris eripuiſſet, nosque ad tuum Tribunal deduxiſſet. Si eum interrogare placuerit, veritatem ex ore ipſius diſces. Addiderant Judæi, rem, ut Tertullus dixiſſet, ſe habere. Tunc ſigno loquendi a Præſide accepto, S. Paulus: *Libentiſſime coram te meam defenſionem ſuſcipio, ſciens te a pluribus annis hujus Nationis judicem. Scias igitur, non plures duodecim dies eſſe, ex quo Jeroſolymam orationis cauſa iverim; confiteor, quod Deo ſerviam juxta illam ſectam, quam hæreticam vocant, credens Legi, & Prophetis, & Reſurrectionem mortuorum ſperans. Poſt multorum annorum abſentiam veni, ut eleemoſinas, & oblationes meæ Nationi afferrem; invenerunt me in Templo purificatum, cum nemine diſputantem, nec populos convocantem, nec ullos excitantem tumultus; nihil eorum, quæ protulerunt, probare poſſunt.*

Felix

Sæculum I. A. C. 54.

Felix eos, iterum audiendos post Tribuni Lysiæ adventum, dimisit. Interim Paulum Centurioni tradit jubens; eum honeste custodiret, suisque eidem inserviendi libertas esset. Paucos post dies eum ad se revocat, præsente uxore sua Drusilla, origine Judæa senioris Regis Agrippæ filia, & junioris tunc viventis sorore. Ea fuerat primum Azizio Regi Emesi, qui in circumcisionem consenserat, in matrimonium tradita, cum vero eam Felix Judææ Prætor vidisset, ejus amore, erat enim inter paucas pulchra, captus est; opera deinde Simonis Judæi ex Cypro usus, qui artem magicam simulabat, eam seduxit, persuasitque, relicto Rege Azizio, sibi nuberet. Ad id consilii Drusilla non parum impellebatur, quod sororis suæ Berenices invidiam, quia ea pulchrior videretur, diutius ferre non posset; igitur in Religionis, & stirpis Regiæ opprobrium Felicem duxit, gentilem, & humili loco natum; servus enim fuerat, & favore Pallantis fratris sui, Claudii Imperatoris liberti, ad id fastigii ascenderat. Stans ergo coram eo S. Paulus, Doctrinam JEsu Christi prædicans, hac occasione de castitate, justitia, & futuro judicio differuit; his perterritus Felix plura audire in alium diem distulit. Sic sæpius ad se vocatum auscultabat, etiam ab eo pecuniam accipere sperans,

Joſ. XX. ant. c. 5. 11. Bell. c. 10.

Act. 24. 27.

Sæculum I. A. C. 54.

cum sciret, Paulum magnas summas pro eleemosinis attulisse. Transacto ejus Præturæ tempore, Portium Festum successorem accepit; Paulum vero reliquit in carcere, ut apud Judæos gratiam iniret; hoc autem nihil obstante Cæsareæ primores Romam profecti sunt, accusationis ejus capita ad Cæsarem delaturi; nec aliter quam Pallantis fratris potentia pœnas, ob illata Judæis mala commeritas, effugit; quippe libidine, & crudelitate Præturam fœdaverat; quod facere solent illi, quos solius fortunæ favor evexit.

Joſ. XX. ant. c. 7.

Tacitus XII annal.

Suet. Claud. c. 28.

§. LVII.

S. Paulus coram Feſto.

Act. 25. Postquam Festus Cæsaream in sua Provincia adventasset, post tres dies ivit Jerosolymam, ubi eum Sacrificatorum Principes, & Seniores Judæorum sollicitarunt, ut Paulum damnaret. Ipse respondit; Romanis non esse in more positum, quemquam condemnare, nisi coram ejus accusatoribus, & data defensionis libertate. Tunc eum summis precibus exorare conabantur, ut juberet Paulum Jerosolymam duci; sperantes in via occasionem eundem interficiendi non defuturam. Sed Festus; Paulum Cæsareæ custodiri, illuc eum accusatum venirent.

Post

Sæculum I. A. C. 54.

Post octo vel decem dierum moram Cæsaream rediit. Altera die non distulit Tribunal conscendere, jubetque Paulum adduci. Judæi, qui Jerosolyma venerant, magnas quidem promebant accusationes, sed probationibus destitutas, S. Paulus vero strenue causam agens, ajebat; nihil, quod contra Legem Judæorum, Templum, aut Cæsarem feciſſet, probari posse. Tunc Festus, ut Judæis faveret; visne Jerosolymam ire, ut ibi te judicem? At Paulus: *Sto coram tribunali Cæsaris, hic judicer, nullum Judæis malum intuli, quapropter eorum manibus tradi possem. Appello ad Cæsarem.* Festus percepto suorum consilio, statuit, ut ad Cæsarem iret, quia ad Cæsarem appellasset. Itaque S. Paulus potestatem sæcularem, etiam Imperatoris Gentilis implorare non dubitavit, ut vitam suam servaret, tunc Ecclesiæ necessariam.

Aug. epist. 50. ad Bonifac. n. 28.

Paucis abhinc diebus Festus a Rege Agrippa, & sorore ejus Berenice invisitur. Ea Herodi Regi Chalcidis Patruo suo nupta fuerat, quo defuncto aliquamdiu in viduitate permansit, nec deerant, qui eam incestus cum juniore Agrippa fratre criminarentur; ut malignæ famæ cursum sisteret, ad novas nuptias mentem adjecit. A Rege Ciliciæ Polemone obtinuit, ut circumcidi pateretur, & sic potiretur ejus conjugio. Ad id facti Berenices

Act. 25. 13. Jos. XX. ant. c. 5.

Sæculum I. A. C. 54.

renices opulentia movebatur. Verum non diu tenuit amicitia conjugalis, sed ab ea derelictus, etiam Judaicam Religionem abjecit. Talis erat Berenice, quæ tunc cum Agrippa fratre apud Festum divertit. Cum aliquamdiu ibi manerent, Festus coram Rege de Paulo mentionem fecit, quem Felix captivum reliquisset, & Judæi accusassent, tanquam mortis reum. *Cum vero*, inquit, *præsentes essent, nullum eorum, quæ suspicabar, crimen objecerunt, sed de suæ Religionis quæstionibus disputabant, & de quodam JEsu mortuo, quem Paulus vivere asserebat. Percuperem*, inquit Rex Agrippa, *hunc hominem audire.* Cui Festus: *Cras enim vero audies.*

Act. 25. 23.

Sequenti luce Agrippa, & Berenice cum magno comitatu in Festi auditorio comparent, ubi & Tribuni, & civitatis Primates convenerant. Introducitur Paulus. Tum Festus: *Statui hunc hominem ad Imperatorem mittere, quia appellavit, nihil autem certi, quod scribam habeo. Ideo eum vobis produxi, ut audiretis, Tu præcipue Rex Agrippa! non enim mihi videtur rationi consentaneum, captivum transmittere, & de ejus causa tacere.* Eratque omnino Romanorum, qui Provincias regebant, usus, ut cum ad Imperatorem quosdam reos remitterent, etiam de eorum causa, vel crimine perscriberent.

L. un. ff. de libell. dimissionis.

Tum

Sæculum I. A. C. 54.

Tum Rex Agrippa ad Paulum: Licet tibi pro te loqui. S. Paulus manu extensa in hunc modum locutus est: *Felicem me existimo, Rex Agrippa! quod liceat coram te defensionem meam proferre, cui Judæorum mores, & quæstiones notæ sunt.* Act. 26. Pergit deinde; se semper Pharisæorum, & Resurrectionis mortuorum Doctrinam tenuisse; se quondam contra Nomen JEsu Nazareni, & Discipulos ejus fuisse zelosissimum. Tum narrat suam conversionem, & prædicationem, & sic concludit: *Hæc est causa, cur Judæi me in Templo comprehensum voluerint occidere; sed divina ope usque in hanc diem luce fruor; testimonium veritati coram magnis, & pusillis reddo. Et nihil, nisi quæ Prophetæ, & Moyses prædixerunt, in medium affero, scilicet Christum pati oportuisse, eum in Resurrectione mortuorum esse primum, per quem lumen fidei populis, & Gentibus annuntiari oporteat.* Act. 26. 21.

Sic loquentem Festus clamore interpellat: *Insanis Paule! multæ litteræ tibi mentem removerunt.* At Paulus: *Non insanio, Illustrissime Feste! sed veritas, & sapientia linguam meam dirigunt. Audacter eloquor coram Rege, qui hæc omnia novit; nec quidquam eorum in occulto factum. Nunquid Rex Agrippa Prophetis credis? Scio, quod credas;* Tunc Agrippa: *Parum abest, ut me Christianum facias;*

Sæculum I, A. C. 54.

cias; cui Paulus: *Oro Deum, ut nihil absit; sed tu, & omnes adstantes hodie fiatis, sicut ego sum, solis vinculis exceptis.* Tunc omnes surrexerunt, eratque sententia omnium, eum esse innocentem, dixitque Agrippa ad Festum: *Poteras eum dimittere liberum, nisi ad Cæsarem appellasset.* Ratum vero permansit, ut in Italiam proficisceretur.

§. LVIII.

Seditiones Judæorum.

Jos. XX. ant. c. 7.

Cum Festus in Judæam advenit, erat hæc Provincia latrociniis infamis; deprædationes oppidorum, incendia, nemo erat, qui puniret. Sicarii omnia terrore impleverant. Seductorem quemdam, qui populo promiserat, se Duce ab omnibus malis liberatum iri, multi in deserta secuti sunt; in hos Festus cum peditum copiis, aliquot equitum turmas immisit. Eadem ferme tempestate Rex Agrippa Jerosolymæ in Asmonæorum Palatio sublimi quodam loco nova conclavia exstruxit, unde non solum in civitatem, sed etiam ex suo cubiculo in ipsum Templum amœnissimus erat prospectus, ita ut sibi, quæcunque in Templo fierent, possent esse perspecta; id vero Jerosolymitarum Præcipui impatientissime tulerunt, eo quod Lege eorum vetitum esset, ne

Sæculum I. A. C. 54.

ne quæ in Templo fiebant, præsertim Sacrificia, hominum oculis paterent; igitur in Templi aula, quæ ad occasum erat, murum extollunt, qui sua altitudine non solum Regii cubiculi, sed etiam illius Porticus, quo extra Templum ad occasum Romanorum custodia stabat, prospectum prohiberet. Hæc molitio Agrippæ simul, & Festo iram movit, jussitque Festus, ut murus destrueretur; Jerosolymitæ vero opponebant; hujus muri conservationem, sine quo Lex sua, ne Sacrificia cunctorum oculis paterent, salva esse non posset, vita sibi chariorem esse; & licentiam petebant mittendi ad Cæsarem legationem, quod iis concessum. Decem viros miserunt cum Ismaele Summo Sacerdote, & Helquia Sacri Thesauri custode. Romæ Imperatricis Popeæ Patrocinio, cujus in Judæos magna erat propensio, ab Imperatore obtinuerunt, ut murus subsisteret; Helquiam tamen, & Ismaelem Nero quasi obsides retinuit. Agrippa vero in Pontificatus culmen Josephum Cabi dictum, Simonis S. Pontificis filium, promovit.

§. LIX.

S. Pauli in Italiam iter.

Constante in propositis Festo S. Paulus cum aliis cantivis in manus Julii Centurionis

Sæculum I. A. C. 54.

turionis traditur, & navigium ex Adrumeto conscendere jubetur; navigationi socii erant S. Lucas, & Aristarcus Thessalonicensis; versus Asiam vela facientes altera die in portum Sidonis invehuntur. Ibi S. Paulus, quem Centurio comiter habebat, ejus licentia amicos invisit, & necessariis refectus est. Inde ventis contrariis insulæ Cypri littora legentes, obliquo cursu Lyciam attigere; ubi Centurio Alexandrinæ navis in Italiam soluturæ opportunitate usus, eidem captivos suos concredidit. Lenta fuit navigatio, vixque post multos dies Cnidum, in Caria in Peninsulæ cujusdam angulo positam, pervenerunt. Cum exinde recto cursu provehi, obsistentibus ventis, prohiberentur, diu oras Cretæ circumvecti sunt; non enim post exactum Judæorum solemne jejunium, id est, decimam mensis septimi, opportunum navigationi cælum erat, cum tempestas circa æquinoctia maxime semper sit periculosa. S. Paulus omnes quidem monuit, non solum merces, sed & ipsum navigium, & vectores periclitari; sed contradicentes navis Magister, & Nauclerus Centurioni fidem fecerunt.

Act. 23.

Sperantes igitur Phœnice Lampeæ, ejusdem Cretæ insulæ ad meridiem civitate, in securo portu hiemare, ex quodam loco Asson solverunt, & insulam circum-

circumferebantur vento, Phœnicen pe- Sæculum I.
tentibus, favente; sed subito conversus, A. C. 54.
eos ad parvam Insulam Caudam, meridionali Cretensis oræ, ad occasum declinanti, vicinam disjecit. Tum vero gravis tempestas incubuit. Secunda die merces in mare projectæ, tertia navigii instructus. Multis diebus densissimæ tenebræ cæli conspectum diu noctuque prohibuere. Jamque vi ventorum nihil remittente, spe omni abjecta, omnes cibi sumendi tœdium, & deinde oblivio subiit. Tum S. Paulus in medio eorum consurgens, inquit: *Oportebat vos meis verbis credere, & Creta non solvere, sed bono animo estote; navis quidem, sed nemo nostrum interibit. Hac nocte Angelus Domini, sub cujus tutela sum, & cui servio, apparens mihi, dixit: Ne timeas Paule! certissime Imperatori sisteris. Deus tibi omnes, qui tecum sunt, donavit. Confido in Deum, ita futurum esse. Sed in insulam quamdam pervenire necesse est.*

Decimam quartam noctem numerabant, in mari Adriatico jactati, cum nautis haud procul abesse littus videretur. Demisso igitur perpendiculo maris altitudinem explorant, eamque ulnarum viginti, & paululum provecti, tantum quindecim esse deprehendunt. Ne igitur scopulis alliderentur, nautæ jactis ex puppe quatuor anchoris, diluculum ex-

Sæculum I. A. C. 54.

ſpectabant; ſcapham deinde in mare demittunt, quaſi etiam a prora anchoras jacere pararent, revera autem fugam meditabantur; ſed non fefellerunt ſagacitatem Pauli, qui ad Centurionem, & milites: *Si fuga iſtorum deſerimur, non poteritis ſalvari.* Illico milites, præciſis, quibus navi hærebat, funibus, ſcapham fluctibus permittunt. Cum illuceſceret, S. Paulus omnes orabat, ut cibum ſumerent, quartum enim, & decimum diem eſſe, ex quo nihil cepiſſent; cæterum certi eſſent, nullius capillum interiturum. Tum aſſumptum panem, gratiis Deo actis, coram omnibus frangens, & manducans, animos revocavit, & omnes comederunt. Satiati, ut magis adhuc levaretur navis, reliquum annonæ in mare projiciunt. Erant autem in navi ducentæ ſeptuaginta ſex animæ. Cum lux diei rebus omnibus colorem reddidiſſet, apparuit ora vicina, ſed nemini eorum cognita. Nautæ vero poſtquam omni conatu in vadoſum maris ſinum contenderunt, relicta ventis nave, ſortis arbitrium operiebantur, donec brevibus prora ita impacta eſt, ut ea quidem hæreret immobilis, dum interea fluctuum vi ſoluta puppis, aufferebatur in altum. Tunc militibus viſum, captivos interficiendos, ne quis eorum natando auffugeret; ſed Centurio,

rio, servare Paulum volens, eos cohibuit, jussitque, ut qui natandi essent periti, in undas primi insilirent, aliis asseres, & collisæ navis fragmenta pro cymba fuere. Omnes tandem emmersere in littus. Sæculum I. A. C. 54.

§. LX.

S. Paulus Melitæ, & Romæ.

Terra, quam attigerant, erat Melita insula, ubi eos Barbari, id est, nativi incolæ, humaniter exceptos, siccandis vestibus, & caletaciendis corporibus excitato igne, foverunt. S. Paulus sarmenta collegit in ignis alimentum, & ecce! calore excita vipera manum ejus invasit, quod ubi Barbari viderunt, illud animal nempe in Pauli dextera pendens, ajebant ad invicem: *Certe hominem hunc homicidam esse necesse est, quem naufragio ereptum, Deorum vindicta vivere non sinit.* Paulus vero manu serpentem excussit, ita ut, nullo ei illato malo, in ignem recideret. Barbari eum diu observabant, non dubitantes, fore, ut manus icta repente intumesceret, & ipse moriens corrueret, cum autem vidissent, ei nihil mali accidere, mutata mente, *Act.* 28.

Sæculum I. A. C. 54.

Deum dixerunt. Romanus quidam Publius insulæ Princeps S. Paulo, & sociis ejus in prædio suo exceptis, per dies tres omnia hospitalitatis officia exhibuit; hunc S. Paulus febricitantem, & dysentericum sanavit; qua re in insulam divulgata, omnes infirmi ad eum venere, & ipse curabat omnium morbos; inde sibi hujus populi magnam venerationem conciliavit. Ex insula deinde soluturis ultro necessariam navigantibus annonam comportarunt.

Act. 28. 11. Post tres menses Melitæ exactos, S. Paulum cum suo comitatu navis Alexandrina, Castoris & Pollucis nomine dicta, quæ ibi hiemaverat, vehendum excepit. Anchoris primum ad Syracusas jactis, tres dies ibi manserunt. Inde Siciliæ littora legentes, Regium appellunt; consumpto ibi die uno, altero secundis ventis Puteolis exponuntur. In hac civitate cum Christianos inveniissent, eorum hospitio septem diebus usi sunt. Inde digressi terrestri itinere Romam pergebant; sed cum fama prævolans eorum adventum Romanis Fidelibus diu ante nuntiasset, multi Christiani usque ad forum Appii quinquaginta milliaribus, alii ad tres tabernas, hodie cisternam, dictas, triginta tribus ab urbe dissitas, obviam processerunt. S. Paulus videns hos Christia-

Christianos, egit Deo gratias, & animo confortatus est. Urbem ingressus est S. Luca, & Aristarco comitantibus; ibique in domo privata cum milite suo custode habitare licuit, qui eum semper longa catena vinctum comitabatur. Is enim Romanis custodiendi captivos, mos erat, qui carcere non erant inclusi. Sæculum I. A. C. 54. *Jos. XVIII ant. p. 634.* *Seneca ep. 5. v. Grot. hic.*

Tertia post S. Pauli adventum die, convocatis Judæorum Principibus declarat; se non venisse, ut Nationem suam accusaret, sed ad Imperatorem appellasse, ut Judæorum Jerosolymitarum crudelitatem effugeret. Et propter spem Israel, inquit: hac catena oneror. Judæi responderunt; nihil sibi contra eum ex Judæa perscriptum. Orabant vero in hunc modum: *Fidei tuæ rationem nobis explica. Hæc enim Secta ubique invidiæ patet.* Constituto die magno numero in ejus domum convenerunt, & Paulus a mane usque ad vesperum locutus est, eis Evangelium exponens, & ex Moyse, & Prophetis veritatem Mysterii JEsu Christi demonstrans. Pars eorum credidit; alii autem opinionibus divisi, cum domum redirent, multis disputationibus exardebant. Non credentibus S. Paulus duritiem cordis eorum verbis Isaiæ Prophetæ exprobravit; Gentiles, ipsis rejicientibus, gratiam Dei recepturos. 17. 23. *Is. 6. 9.*

Sæculum I. A. C. 54.

Duobus integris annis Romæ manſit, in domo, quam conduxerat, ubi omnes, qui ad eum accedebant, recipiens JEſu Chriſti Doctrinam, libere, & nemine obſtante docebat. Hic Hiſtoria Actuum Apoſtolorum a S. Luca S. Pauli Diſcipulo, & itinerum ſocio conſcripta terminatur. S. Lucas in Dalmatia, Gallia, Italia, Macedonia verbum Dei prædicavit. Cœlebs vixit ad annum ætatis octuageſimum quartum, Patræ in Achaja fatis defunctus.

Hier. Script. Epiph. hær. 51. n. 11. haud. de Dedic. Serm. 17

HISTORIA ECCLESIASTICA.

LIBER II.

S. PETRUS, CHRISTI VICARIUS.
NERO IMPERATOR.

§. I.

Epistola ad Philippenses.

Sæculum I. A. C. 54.

Cum Paulus Romæ ageret, Onesiphorus Ephesius sollicite quæsitum, invenit, nec vincula ejus erubuit, sed solatio, & auxilio fuit. Epaphroditus commissa sibi subsidia, & pecuniam Christianorum Philippensium in Macedonia, quorum erat Apostolus, sicut eum S. Paulus nominat, id est, Episcopus, attulit. Is in morbum incidit, ita ut vita periclitaretur, quod in Macedoniam nuntiatum; ideo, quamprimum convaluit, eum S. Paulus,

2. *Tim.* 1. 17.

Phil. 2. 25. 4. 10. 18.

Theod. in Phil. 11. 25.

Sæculum I. A. C. 54.

lus, in ſolatium Fidelium, remittere feſtinavit. Eidem tradidit epiſtolam, nomen ſuum, & Timothei fronte gerentem, ex quo Timotheum tunc Romæ fuiſſe colligitur; ad Fideles Philippenſes, eorumque Epiſcopos, & Diaconos directa fuit; an vero S. Paulus ſub Epiſcoporum nomine illos indigitet, quos nos Presbyteros dicimus, ſicut ſub Apoſtoli vocabulo Epiſcopum intelligi vult, vel vicinarum urbium Epiſcopos, ſatis perſpicuum non eſt. Initio hujus Epiſtolæ memorat; ſuam Romæ præſentiam multum Evangelii dilatationi proficere. Vincula ſua, eorumque cauſam in Regia, & ubivis locorum eſſe cognitam; & profecto ex eadem Epiſtola non nullos de Imperatoris genere fuiſſe Chriſtianos haud obſcure conjicitur. Addit; ſuæ captivitatis occaſione quosdam ex fratribus præfidentius verbum Dei prædicare, quosdam quidem charitate ſincera id facere, cum eum ſciant in defenſionem Evangelii a Deo miſſum; alios autem ex invidia, & pruritu contradicendi, ut graviora redderentur ejus vincula. Nihil vero intereſſe, quomodo fides in JEſum Chriſtum dilatetur, occaſione, an bono zelo. Addit; quantumcunque cupiat JEſu Chriſto conjungi, ſcire tamen ſe ad eorum utilitatem adhuc victurum, & ad unionem, & humilitatem JEſu Chriſti exemplo hortatur.

Phil. 1. 1.

Theod. ibid.

Phil. 1. 12. 13

Phil. 4. 22.

c. 1. 14.

v. 25.

c. 2. 5.

c. 2. 19.

Pergit

Sæculum I. A.C. 54.

Pergit deinde similibus verbis: *Spero brevi ad vos mittere Timotheum, ut de vestris rebus pro mea consolatione resciam. Neminem enim habeo, cujus sensus meis ita conformes sint, aut cui in vos tam sincerus affectus; (omnes autem proprium commodum quærunt, & non JEsu Christi) cujus rei argumentum est, quod in Ministerio Evangelii mihi servierit, sicut filius Patri; spero igitur eum mittere, quamprimum videro, quis exitus captivitatem meam maneat. Immo in Domino confido, meipsum brevi ad vos venturum. Interim mittere ad vos Epaphroditum pro sua, & vestra consolatione necessarium duxi; recipite eum cum omni possibili gaudio, & honorate, qui ei similes sunt; quippe propter opus Dei fuit morti proximus, & ut mihi obsequium faceret, quod vos facere non poteratis, vitam periculo exposuit.*

Tum de Pseudo-Apostolis agens: inquit: *Cavete a canibus, a malis operariis, & falsis circumcisis; nos enim vera circumcisio sumus.* Et paulo post: *Multi dantur, sicut jam sæpe vobis dixi, & cum dolore iterum dico, crucis JEsu Christi inimici, quorum Deus venter, & finis perditio est, qui in confusione sua gloriantur, & terrenis tantum cogitationibus occupantur.* Loquitur hic de Judæis, & hæreticis, quos inter Si-

Phil. 3. 2.

Phil. 3. 19.

Iren. l. 1. *c.* 2. *in fin. c.* 25.

Sæculum I. A. C. 54.

mon Magus, & Cerinthus erant, qui JEſum Chriſtum non niſi ſolum apparenter fuiſſe crucifixum dicebant; JEſum enim a Chriſto diſtinguebant, & JEſum quidem fuiſſe crucifixum, Chriſtum vero impaſſibilem eſſe aſſerebant. Ideo Apoſtolus in hac Epiſtola adeo Crucis Myſterium extollit.

Epiph. hær. 28. *n.* 1.

Phil. 2. 13.

3. 17. Tum pergit: *Mei imitatores eſtote, & notate eos, qui exemplum, quod dedimus vobis, ſequuntur.* Nam Apoſtoli, qualem Chriſtianorum vitam eſſe deceret, exemplo magis, quam verbo monſtrabant.

Deinde ad privatas quasdam Perſonas converſus, inquit: 4. 2. 3. *Rogo Evodiam, & Syntichum deprecor, ut ejusdem ſententiæ ſint in Domino. Etiam te rogo, fidelem laborum meorum ſocium; illas adjuva, cum Clemente, & aliis, qui mecum in Prædicatione laborarunt, & quorum nomina liber vitæ continet.* De S. Clemente hic ſermo eſt, qui deinde Eccleſiam Romanam gubernavit. S. Paulus Epiſtolam 4. 10. claudit, Philippenſibus gratias agens ob miſſa ſibi per manus Epaphroditi ſubſidia; plus vero lætitiæ capit ex profectu ſpirituali, ipſis exinde proveniente, quam ſua temporali utilitate. Denique adjungit: *Scitis, quod a primordio meæ Prædicationis in Macedonia, nulla Eccleſia præter vos, ad meam ſuſtentationem quidquam contulerit, vos enim mihi bis Theſſalonicam ſubſidia miſiſtis.*

§. II.

Sæculum I.
A. C. 54.

§. II.

Epiſtola ad Philemonem.

Servus quidam Oneſimus Romam ad S. Paulum venit. Phryx erat, & Philemonis civis Coloſſenſis mancipium; tunc autem Coloſſa in ripa Lyci fluvii, non procul a loco, ubi Mæandri aquis commiſcetur, ſita erat, Hierapoli, & Laodiceæ vicina. Philemon S. Pauli Diſcipulus fuerat, charitate, & liberalitate magni inter Chriſtianos nominis; in ejus Domo Eccleſia conveniebat. Servus ejus Oneſimus res familiares furatus auffugerat. Romæ igitur S. Paulum, quem Domini ſui inter paucos amicum noverat, accedens, ab eo non ſolum ad facti pœnitentiam, ſed etiam ad ſuſcipiendam Chriſti fidem perductus eſt. Cumque S. Paulus ejusdem ingenium, & induſtriam cognoviſſet, aliquamdiu, ut ſibi in cuſtodia ſerviret, retinuit. Poſtmodum eum cum Tychico, cui duas epiſtolas, ad Eccleſiam Coloſſenſium unam, ad Philemonem privatim alteram ferendas concredidit, remiſit ad ſuum Dominum. Itaque hæ duæ Epiſtolæ circa idem tempus Romæ ſcriptæ ſunt.

Strabo. l. 12. p. 576.
Plin. l. 5. c. ult.

Coloſſ. 4. 7. 9.

Epiſtolæ ad Philemonem brevitas, & concinnitas admittit, ut integra inſeratur; eſt igitur hujuscemodi: *Paulus JEſu Chriſti captivus, & frater Timothei*

Sæculum I. A. C. 54.

(*) In Vulgata legitur: *Timotheus frater.*

thei; (*) Charo noſtro Philemoni, qui nobiscum in opere Dei laborat; Charæ noſtræ Appiæ, & Archippo certaminum noſtrorum conſorti; & Eccleſiæ, quæ in domo tua eſt. Pax, & Gratia vobis ſint, a Deo Patre noſtro, & Domino noſtro JEſu Chriſto. Memoria tui mihi eſt in omnibus precibus meis; & gratias ago Deo meo, quod comperiam, quanta ſit fides tua, & charitas erga JEſum Chriſtum, & omnes Sanctos; & quomodo liberalitas, quam tibi fides ſuggerit, in omnibus tuis bonis operibus pro JEſu Chriſto patefiat. Tua enim charitas, chariſſime frater! magnum nobis gaudium, & conſolationem peperit, quod tua ope Sancti ſolamen cordis ſenſerint. Hinc quamquam mihi in JEſu Chriſto libera poteſtas ſit, rem tibi ſanæ rationi congruam imperandi; charitas tamen in cauſa eſt, ut ego Paulus ſenex, & usque huc JEſu Chriſti captivus, magis utar precibus. Rogo vero pro Oneſimo filio meo, quem in vinculis genui, tibi aliquando noxio, hodie autem & tibi, & mihi utiliſſimo. Hunc remitto ad te, & rogo, ut ſicut me-ipſum recipias. Cupiebam eum apud me retinere, ut mihi tui loco in vinculis, quibus pro Evangelio premor, inſerviret; quod ſine tuo conſenſu nolui, ne tua miſericordia videatur eſſe neceſſaria; ſed ut ſit voluntaria. Forte

Sæculum I. A. C. 54.

te enim ideo a te alienatus est ad tempus, ut recipias pro æternitate, non amplius sicut mancipium, sed loco mancipii in fratrem, mihi quidem dilectissimum, quantum vero magis tibi; utpote qui tam secundum Mundum, quam secundum Dominum tuus est. Si ergo me fratrem tuum amas, recipe eum sicut mea viscera. Si damno fuit, & debitor tuus est, ego pro eo satisfaciam; ego Paulus hæc manu mea scribo, ego tibi restituam; ne dicam, quod te ipsum mihi debeas. Ita charissime frater! da mihi hanc lætitiam in Domino; da cordi meo hoc solamen in Domino. Hæc scribo, de tua obedientia non dubitans, sed sciens, te precibus majora facturum. Fac etiam, habitaculum mihi parari, nam per preces vestras vobis a Deo donari spero. Epaphras, vinculorum meorum pro JEsu Christo particeps, salutat vos; Marcus quoque, Aristarcus, Demas, & Lucas, qui laborem mecum partiuntur. Gratia Domini nostri JEsu Christi cum spiritu tuo sit. Amen.

Appia, de qua principio mentio facta, Philemonis uxor fuisse videtur, Archippus vero Colossensium Episcopus. S. Paulus senem se dicit, ex quo eum conversionis suæ tempore non adeo juvenem fuisse colligere est, sicut quidam crediderunt, ab eo enim necdum triginta anni effluxerant. Paucis; eloquentia potius

Sæculum I. A. C. 54.

potius cordis, quam oris in hac Epistola tantum, aut magis, quam in quacunque alia elucet. Tanta charitas frustrari nec debuit, nec potuit; Philemon Onesimo ignovit, & libertate donavit; Onesimi vero tanti in virtute progressus fuere, ut dignus inventus sit, qui Timotheo Ephesi in Episcopatu succederet.

Ignat. epist. ad Ephes.

§. III.

Epistola ad Colossenses.

Colossenses per prædicationem JEsu Christo genuerat Epaphras, quem primum eorum Episcopum ponunt; eundem Laodicena, & Hierapolitana vicinæ Ecclesiæ Patrem venerabantur. S. Pauli vultum nunquam viderant. Epaphras tunc temporis erat Romæ Pauli concaptivus, & Archippus Colossensium Episcopus. Sed sicut alias Ecclesias, ita & hanc serpens malum inficiebat, nempe Pseudo-Apostoli, qui vanis Philosophiæ humanæ discursibus, & confictarum revelationum prætextu Fideles ad cultum Angelorum inducebant. Judæi enim docebant Angelos astrorum motores esse; & militiam cœli spiritualem, a militia visibili, scilicet more loquendi in veteri Testamento frequenti, ipsis astris, non distinguebant. Astrorum cursum præsertim Lunæ curiose observabant; hujus apparitionem visibilem pro mensium suorum,

Col. 1. 17.

Martyr. 19. *Jul.*.

Col 4. 13.

Col. 2. 1.

Ambr. in Col.

Luc. 11. 13.

Deut. 17. 3.

Hier. ep. 151. *ad Algas. q.* 10.

Sæculum I. A. C. 54.

rum; & omnium festorum regulam habebant; sicque insensibiliter in Patrum suorum Idololatriam relabebantur.

Cæterum Cerinthus Angelos, qui ipsi naturæ auctores erant, ultra modum extollebat, quorum numero Judæorum Deus esset accensendus. Hos JEsu Christo, utpote puræ creaturæ, longe anteponebat, & hanc doctrinam falsis revelationibus firmare nitebatur. Præterea Christianos ad circumcisionem, & Legis cæremonias damnabat; sic Pseudo-Apostoli Fideles timore servili deprimebant, ad distinctionem escarum, rerumque mundarum vel immundarum cogebant, præcipientes: hoc ne comedas, istud ne tangas; quæ tamen omnia in affectatione solum externa sine mortificatione interna consistebant. Ex his erroribus Montanistarum hæresis, quæ potissimum in Phrygia grassata est, unde & nomen traxit, conflata fuisse videtur. Cum hæc de Colossensium Ecclesia S. Paulo fuissent relata, ut eos contra hæc pericula præmuniret, scripsit epistolam.

Tertull. Præscr. c. 48. Theodor. 2. har. fab. c. 4.

Epiph. hær. 18. n. 1. 2.

Col. 2. 21.

In hujus Epistolæ fronte nomen Timothei legitur, sicut ad Philemonem, & in fine easdem, quæ secum Romæ erant, Personas commendat. Præcipue de JEsu Christi Persona differit; Hunc esse invisibilis Dei imaginem; natum ante omnem creaturam, per quem omnia facta fuissent,

Col. 1. 15. 16.

cæle-

Sæculum I. A.C. 54.

cœlestia, terrestria, visibilia, & invisibilia, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates; ipsum esse primo genitum mortuorum, & denique, in eo realiter plenitudinem Divinitatis habitare. Prohibet deinde ne quis in distinctione escarum, nec festorum, novilunii, Sabbati
2. 9.
2. 16. observatione judicetur, has enim cæremonias rerum futurarum umbras fuisse, quarum corpus JEsus Christus sit. Addit in novo homine, a JEsu Christo reparato, non amplius esse distinctionem Gentilis, & Judæi, circumcisi, & incircumcisi, Barbari, Scythæ, servi, aut liberi, sed omnia in omnibus esse JEsum Christum.
3. 11.
3. 16. Hortatur ut ex Psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus verbum Dei discant. Omnia verba, & actiones suas ad JEsum Christum dirigant.

Coloss. 4. 7. In fine Epistolæ, inquit: *quæ me contingunt, omnia discetis ex Tychico charissimo fratre nostro, fideli Domini Ministro, qui mecum servit. Ad vos eum misi, ut quo in statu sitis resciat, & consoletur vos cum charo, & fideli fratre Onesimo Provinciali vestro. Ex iisdem omnia, quæ hic fiunt intelligetis. Aristarcus concaptivus meus salutat vos, & Marcus Barnabæ cognatus, qui vobis commendatus est; si veniat ad vos, recipite eum. JEsus cognominatus Justus, etiam vos salutat. Hi tres ex circumcisione soli sunt, qui*

Sæculum I. A. C. 54.

qui me in Ministerio adjuvant, & onus meum mihi multo levius effecerunt. Etiam Epaphras concivis vester vobis salutem dicit, est enim is servus JEsu Christi, qui semper fervidas pro vobis preces ad Deum fudit, ut constantiam det vobis Deus & progressum in virtutibus, & resignationem in Dei voluntatem; testis ego sum sollicitudinis, quam pro vobis, Laodicensibus, & Hierapolitanis gerit. Vobis Lucas Medicus charissimus, & Demas salutem dicunt. Fratres Laodiceæ salutate mihi, & Nimpham, & Ecclesiam, quæ in ejus domo est. Postquam hæc Epistola apud vos lecta fuerit, prælegatur etiam Ecclesiæ Laodiceæ; quæ vero ad Laodicenses directa est, etiam coram vobis legatur. Archippo meo nomine dicetis; ut Ministerio, quod a Domino accepit, invigilet, & perficiat. Hæc verba conjiciendi ansam præbent, Archippum Colossensium Episcopum, aut saltem ex præcipuis ejus Ecclesiæ Clericis fuisse. Denique sic finit Apostolus: *Salutatio hæc mea manu scripta est. Mementote vinculorum meorum. Gratia sit vobis. Amen.* Talis est Epistola ad Colossenses.

Chrysost. in Epistol. ad Phil. init.

§. IV.

Epistola ad Ephesios.

Si aliquando S. Paulus ad Laodicenses scripsit, illa epistola desideratur. Im-

Sæculum I. A. C. 54.

mo quædam epistola, quæ hunc titulum præferebat, ab antiquis pro apocrypha habita est, & rejecta. Aliis, hanc epistolam ab Ecclesia Laodicensi ad S. Paulum datam fuisse, opinio insedit. Non nulli titulum Epistolæ ad Laodicenses illi attribuerunt, quæ hodie ad Ephesios nuncupatur. Quomodocunque autem res se habeat, Epistola ad Ephesios circa idem tempus scripta est, Romæ, cum S. Paulus esset in vinculis, & Tychico credita, eidem, qui Epistolam ad Colossenses tulit. Apostolus in hac Epistola sicut in priori JEsu Christi præcellentiam super omnia sublimat; quem super omnem Principatum, Potestatem, Virtutem, Dominationem esse affirmat. Præcipue de gratia vocationis pure gratuita, qua Gentiles ad fidem invitantur, disputat; videtur enim Apostolus hanc Epistolam maxime in Gentilium gratiam scripsisse, in qua vocationis Mysterium dilucidat. Gratiarum differentiam, quas Christus JEsus in suam Ecclesiam diffundit, designat; dum dicit, quosdam posuisse Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores, & Doctores. Priora gratiarum dona, nempe Apostolis, Prophetis, & Evangelistis concessa, Ecclesiæ Catholicæ fundandæ data sunt; Pastores vero, & Doctores in Ecclesia, id est, Episcopi, & Presbyteri, ideo sunt vocati, ut Ecclesiam usque in finem sæculorum regant. Tum

Hieron. de script. in Paul. Chrys. hom. 12. in Col. 4. 16. Theod. in Col. init.

Eph. 1. 21.

4. 2.

Tum Apostolus de Matrimonio differens, inquit: *Magnum hoc est Sacramentum, dico vobis in JEsu Christo, & Ecclesia.* Quia unio viri, & fœminæ ex institutione divina amorem JEsu Christi erga suam Ecclesiam adumbrat. Sæpe de suis vinculis loquitur. De Tychico ferme eadem repetit, quæ in epistola ad Colossenses; *ut sciatis*, inquit: *quomodo valeam, & quid agam, mitto ad vos Tychicum dilectum fratrem nostrum, & fidelem Domini Ministrum.* Tychicus igitur utriusque Epistolæ bajulus fuit; & commodum accidit, quod præter Ephesum via Colossam, & Laodicæam duceret.

Sæculum I. A. C. 54.

5. 32.

3. 1. 4. 1. 6. 20. *Eph.* 6. 21. *Col.* 4. 7.

§. V.

S. Marcus. Ecclesia Alexandrina.

S. Marcus interea Ecclesiam Alexandrinam regebat. Erat hæc civitas, si Dominationem spectes, toto terrarum orbe soli Romæ secunda, si vero commerciorum amplitudinem, & portus ad Nili ostia siti commoditatem, facile omnium prima. Indiarum opes per mare rubrum affluebant, inde in omnes terras, quas mediterraneum alluit, dividendæ. Hinc opulentia, magnificentia, & populorum frequentia eminebat. Præter Græcos ex

Herodian l. 7.

Sæculum I. A. C. 54.

primis Macedoniæ ſtirpibus ortos, a Ptolomæis illuc translatos, magna Ægyptiorum multitudine habitabatur, ſuperſtitione in antiquos ritus tam obſtinata; ut in ſuis corporibus graviſſima tormenta tolerare, ſatius haberent, quam pati, ut quidquam mali Ibidi, Aſpidi, Feli, vel Crocodilo, quæ animalia apud ipſos ſacra erant, inferretur. Judæorum quoque, & exterorum ex omni Regione ingens numerus Alexandriæ domicilium fixerant, quos non ſolum ex Syria, Lybia, Cilicia, Æthiopia, Arabia, ſed etiam ex Bactria, Scythia, Perſia, & Indiis lucelli ſpes attraxerat. S. Marcus ibi numeroſiſſimam Eccleſiam congregavit, cujus potiorem partem ex Judæis conſtitiſſe, præſertim Therapeutis credibile eſt.

Strabo l. 7. p. 791.

Cic. 5. Tuſc.

§. VI.

Therapeutæ. Philo de vita contemplativa.

Therapeutæ Græce vocabantur, qui vitæ contemplativæ dediti erant; ſeu quod animarum ſuarum curam gererent; ſeu quod ſervirent Deo; vox enim *Therapevin* utrumque ſignificat. Hoc vitæ genus non conſuetudine, aut aliorum perſuaſione, ſed libera electione ſuſcipiebant; bonis ſuis parentum, vel amicorum

Sæculum I.
A. C.

rum usui relictis, solum etiam vertebant; in diversas orbis partes divisi, plurimi tamen in Ægypto, & Alexandriæ vicinis degebant; unde, alios fuisse ab Essenis, dignoscitur, quibus in sola Palæstina degentibus, vita erat magis activa. Præcipuum Therapeutarum habitaculum erat *ibid.* 892. in loco commodo, & sanitati corporum conducente prope lacum Meris dictum, quo ex omni Regione mittebantur. Ruri in remotis hortis manentes, urbium fugiebant frequentiam; domos struxerant separatas, sed non multum dissitas, ut silentio simul & suæ securitati consulerent, sicque fures arcerent, & in societate viverent, tanta quidem paupertate, ut in eorum domibus, præter tectum, quod a cœli injuriis protegeret, nihil inveniretur. Singulis erat oratorium, *semneion*, aut *Monasterion* dictum, meditationi, cantui, piis exercitiis destinatum.

Temperantiam virtutum reliquarum *pag.* 894. fundamentum æstimabant, non ante solis occasum cibum, aut potum sumere soliti. Diem integram studio lectionis, noctem solum curæ corporis dabant. Erant qui semel post tres, alii post sex dies reficiebantur. Victus quotidianus solus panis, quem delicatiores sale, & hyssopo condiebant. Aqua sitim levabat. Vestitus simplex, hieme pallium grossius, *pag.* 900. æstate tunica levior, aut linteum. Su-

Sæculum I. A. C. 54.

per omnia jactantiam fugiebant, mendacii filiam.

pag. 893.

Bis de die orabant, mane scilicet, & vespere; reliquo intervallo lectioni, & meditationi vacabant. Perlectis Sectæ suæ auctorum scriptis eorum vestigiis inhærentes in libris sacris incessanter allegorias investigabant. Compositione canticorum, & hymnorum diversi metri, & cantus occupabantur. Cum nihil nisi Deum cogitarent, etiam dormientibus pia somnia occurrebant. Diebus Sabbati congregabantur in communi oratorio, quod murus duorum vel trium cubitorum altitudine dividebat, ut mulieres extra virorum conspectum instructionem audirent. Omnes sedebant ordine ætatis, occultatas manus, dexteram quidem pectori, & lævam paulo inferius appositas tenentes. Senior in conventu, & doctior, in medium progressus, perorabat. Aspectus ejus lenis, vox modesta, discursus inornatus quidem, sed solidus. Magno silentio auscultabant cœteri, aut si quod assensus signum darent, id oculorum, aut capitis annutu fiebat.

pag. 899.

Festum præcipuum die quinquagesimo post septem septimanas, id est, Die Pentecostes celebrabant; indicio ab eo, cui id muneris incumbebat, facto, vestes albas induti conveniebant, jugiter in lætitia oraturi, & manducaturi. Stantes modeste

Sæculum I. A. C. 54.

deſte in ordine ſuo, levatis oculis, manibusque in cœlum, Deum rogabant, ut ſolemnitatem acceptam haberet. Fæminæ quoque admittebantur, ſed non niſi Virgines, & pleræque provectæ ætatis; hæ ad ſiniſtram, viri ad dextram collocabantur. Poſt orationem mattis junceis accumbebant, cubito innixi. Nec ibi ordo ætatis, ſed receptionis attendebatur. Tantum vero ſilentium, ut nemo fortius ſpiritum trahere auderet. Interim eorum aliquis propoſitam ex S. Scriptura quæſtionem explicabat, methodo plana, ut facilius doctrina inculcaretur. Auditores loquenti intendebant, & ſigno capitis, vel oculorum, vel geſtu, num percepiſſent, aut dubitarent, indicabant. Explicatio autem erat allegorica, nam ſenſum allegoricum Scripturæ animam, litteram vero corpus eſſe æſtimabant.

Facto dicendi fine omnes applaudebant. Tum, qui dixerat, ſurgens, canticum quoddam vetus, vel ſi quod compoſuiſſet, novum cantabat, pacate auſcultantibus omnibus, & in fine viris, fæminisque reſpondentibus. Finito cantico famuli inferebant menſas, nempe adoleſcentes ſelecti, non ut in prophanis conviviis ſuccincti, ſed dependentibus tunicis. Nihil præter victum ordinarium ponebatur, ſcilicet panem fermentatum, ſal, & hyſſopum. Nullus præter frigidam

Sæculum I. A. C. 54.

potus, & solum seniorum infirmissimis tepida ferebatur. Sublatis mensis triclinii medio in choros divisi, virorum unum, fœminarum alterum, quos ille vel illa inter eos honoratior, & cantus peritior ducebat, nunc simul omnes, nunc alternatim quasi in extasin rapti varia cantica in Laudes Dei cantabant, gestu, & saltu affectum materiæ congruum sequente. Tum in unum commixti exultationem Judæorum post transitum maris rubri imitabantur. Vocis virilis gravitas muliebris acumini juncta, non ingratam auribus symphoniam formabat.

Therapeutæ.

Ex. 15. 20.

Hoc modo tota nocte, quæ festum præcedebat, exacta, mane magis excitati videbantur, quam cum convenissent. Versa ad orientem facie, cum auroram conspexissent, elevatis in cœlum manibus felicem a Deo diem rogabant, eosque veritatem doceret, daretque spiritum capiendæ veritatis capacem. His unusquisque domum redibat, diurna exercitia repetiturus. Tales erant Judæi, Therapeutæ dicti, juxta Philonem, qui Alexandriæ paucis annis, priusquam S. Marcus ibi fundaret Christianorum Ecclesiam, vixit.

Cass. II. Inst. c. 5. coll. XVIII. c. 5.

Sive vero Therapeutæ fidem JEsu Christi susceperint, vel secus, indubitatum tamen est, S. Marci tempore plures Christianorum vitæ perfectioris studio vici-

vicina Alexandriæ rura petiisse, ibique suis inclusos habitaculis de die orationi, Scripturarum meditationi, & operi manuum intentos, tandem post solis occasum cibum sumpsisse. S. Marcus hujus Ecclesiæ, aliarumque in Ægypto, & vicinis Regionibus fundator, & Rector obiit anno Neronis octavo, JEsu Christi sexagesimo secundo. In Episcopatu successit Anianus vir pius, & in cunctis admirabilis, qui hanc Ecclesiam viginti duobus annis rexit.

Sæculum I. A. C. 54.

Eus. 11. *hist.* c. 24. *Hier.* de *script.*

A. C. 62.

Eus. chron. an. 63.

§. VII.

Epistola ad Hebræos.

Circa id temporis S. Paulus Roma ad Hebræos scripsisse creditur. Ecclesiæ traditione habemus, ipsius hanc esse epistolam. Sensus quidem, & doctrinæ summa cum aliis concordat, stilus vero, ab ejus sublimitate, & vigore remittens, nobis, sicut & antiquorum quibusdam, causam suspicandi præbet, singula verba a S. Paulo non dictata, sed ejusdem jussu a quodam Discipulorum, puta SS. Luca, Clemente, aut Barnaba scriptam, & a Paulo lectam, fuisse consignatam; vel certe Syriace a S. Paulo conceptam, a quodam Discipulorum in Græcum transpositam. Magna dictionis conformitas in Actis Apostolorum, a S. Luca conscriptis,

Conc. Carth. III. c. 47.

Orig. apud Eus. VI. *hist.* c. 25.

Hier. ep. 129. *ad Dard.*

Eus. III. *hist.* c. 3.

Id. VI. *hist.* cap. 14. *ex Clem. Alex.*

Sæculum I. A. C. 54.

& hac Epistola observabatur. S. Paulus nomen suum non præposuit, ne, quoniam Judæis erat invidiosum, animos a prima lectione averteret. Præterea JEsu Christo honorem dabat, tanquam Hebræorum Apostolo, ipse titulo Gentium Apostoli contentus.

Hebr. 1. 2. 3. 4. 8. 9. 3. 1. 4. 14. 5. 6. 28. 7. 8. 7. 12. 10. 1. 9. 26. 10. 12. 11.

S. Paulus in hac Epistola JEsu Christi Dignitatem supra omnium Prophetarum, & ipsorum Angelorum ex Scripturarum testimonio ponit, eumque tantum supra Moysen fuisse demonstrat, quantum filius est supra servum. Aliud Sabbatum, aliam requiem sperandam, præter illam, qua Judæi in possessione terræ promissæ potiti essent. JEsum Christum verum esse SS. Pontificem a Deo electum, secundum promissionem, & ordinem Melchisedech; non solum antiquiorem, sed etiam excellentiorem ipso SS. Pontifice Aaron. Tabernaculum, cæremonias, Legem veterem, & ipsa Sacrificia, imperfectas veritatis umbras fuisse. JESUM Christum autem veram, & unicam fuisse victimam, quæ peccata abstulisset in sempiternum. Mortem ejus, unicum Sacrificium, renovari non debere, cum reconciliando homini cum Deo sit sufficientissimum. Necessitatem fidei deinde inculcat, exemplo omnium veteris Testamenti Sanctorum, quos fides sanctificavit.

vit. Hæc Apoſtoli ad Hebræos Doctri- Sæculum I.
næ ſumma. A. C. 54.

In fine defunctorum Paſtorum commendat memoriam; eorum fidem imitarentur, & beatam mortem appeterent. 12. 7.
Se a Doctrinis alienis abſtrahi non ſinerent. In Dei gratiam, non vero in eſcarum diſtinctionem, quæ nihil prodeſſet, fiduciam ponerent. *Habemus*, inquit: 13. 10.
altare, de quo, qui Tabernaculo ſerviunt, comedere non poſſunt. Nemini enim de victimis, quarum ſanguis in Sanctuarium *Lev.* 16. 27.
illatum fuiſſet, quidquam edere licebat. *Hebr.* 13.
Ergo jam tunc Chriſtianis Sacrificium 16. 17.
erat, ſibi proprium, cujus victima alia eſſe non poterat, quam JEſu Chriſti corpus, illud enim manducamus, quamquam pro peccato oblatum ſit. Poſtea ad eleemoſinam, & obedientiam erga Paſtores exhortatur. Ad hujus Epiſtolæ calcem ſunt hæc verba: quæ manu propria addidiſſe videtur; *Rogo vos! fratres mei!* 13. 22.
hæc verba conſolationis recipite. Nam paucis vobis ſcripſi. Scitote fratrem noſtrum Timotheum eſſe liberum; ſi cito veniat, cum ipſo vos videbo. Meo nomine Paſtores veſtros, & omnes Sanctos ſalutate. Fratres, qui ſunt in Italia, vos ſalutant. Gratia vobiſcum ſit. Amen. Hæc præcipue verba, Epiſtolam S. Pauli eſſe indicant. Modo ſibi ſolito ſubſcribit. Timotheum, itinerum ſuorum,

Sæculum I. A. C. 54.

rum, & laborum ſocium, qui tunc Romæ erat, nominat. Oſtendit, quantum ſibi gaudium ex chariſſimi Diſcipuli libertate ſibi proveniat. Cæterum antiquorum eſt animadverſio, quod, cum Judæi in Epiſtolis ſuis pacem precari ſolerent, S. Paulus ſemper Fidelibus precetur gratiam, adjecto non nunquam pacis voto. Hæc de primo S. Pauli Romano itinere, iisque, quæ ibidem circa eum acta, nobis comperta ſunt. Venit ſubinde in Hiſpaniam, ut promiſerat, ibique fidem prædicavit. Etiam per Gallias tranſiiſſe ferunt, relictis ibi quibusdam ex ſuis Diſcipulis Epiſcopis, quos inter Creſcentium Viennæ, Paulum Narbonæ, Trophimum Arelate numerant. Hinc fidei ſemina per omnes Gallias diſperſa. Peragrato Occidente Apoſtolus in Orientem, & in Aſiam reverſus eſt.

Tertull. contr. Marc. l. 5. c. 5.

Clem. ad Cor. Chryſ. Orat. 7. in Paul. Cyr. Catech. 17. Ado. Vien. Martyr. 22. Mart. 29. Dec. 27. Jun.

§. VIII.

Martyrium S. Jacobi Epiſcopi Jeroſolymitani.

Euſ. Chr. Ann. 57.

Feſto Judææ Prætore fatis functo, Nero Albinum in ejus locum miſit. Antequam vero adveniret, Rex Agrippa ſummo Sacerdoti Joſepho Cabi Pontificatu detruſo Annam ſeu Ananum, ſenioris Anani ſeu Annæ (qui patrem habuit Joſephum) &

Joſ. XX. ant. c. 8.

Sæculum I. A. C. 54.

& in Evangelio celeberrimi, filium successorem dedit. Hic Annas senior hominum longe felicissimus a Judæis æstimabatur, eoquod sibi, postquam multo tempore Pontificatum gessisset, quinque filii, & Caiphas Gener, quod nunquam alias factum, in eadem dignitate successissent. Iste Ananus Senior, seu Annas pro antecessore suo Joazar a Quirino Syriæ Præside Pontificatum obtinuerat; eidem deinde a Valerio Grato Tiberii anno primo post quindecim annorum Regimen depositio, filius primogenitus Eleazar successit. Secundogenitus Jonathas Caiphæ subrogatus est. Tertius nomine Theophilus, & quartus Mathias ad ejusdem dignitatis apicem pervenerunt, & quintus denique nomine Patrem referens, audacis, & ferocis ingenii homo de Secta Saducæorum, quorum judicium omnium maxime erat severum.

Joſ. XVIII ant. c. 3.

Ibid. c. 6.

c. 7.

XIX. ant. c. 6.

Albino in itinere constituto, occasione usurus Annas, ad impediendam Evangelii propagationem mentem adjecit. Convocat itaque Concilium *Sanhedrin*, S. Jacobum fratrem Domini, Jerosolymæ Episcopum adduci jubet; quippe S. Paulo eorum manibus elapso, & Romam perducto, omnis Judæorum furor in Jacobum versus. Quia vero S. Jacobus propter suam virtutem Justus cognominatus, & hebraice *Oblia*, quod est sulcrum populi,

Euſ. II. hiſt. c. 23. Hier. Script. Joſ. XX. ant. c. 8. Hegeſ. ap. Euſ. II. hiſt. 23.

Sæculum I. A. C. 54.

puli, aut magis *Ophlia*, Dei propugnaculum dictus, omni populo in summa veneratione erat, dolo opus habebant, ideo quasi eum consulturi, interrogabant; quænam esset JEsu Christi porta, seu ad ejus Doctrinam introductio; respondit S. Jacobus; JEsum esse Salvatorem, & aliqui ejus testimonio crediderunt. Tempus erat Paschale, & ingens Jerosolymæ populorum confluxus. Dixerunt igitur Judæi ad Jacobum: *Oportet, ut populum hunc, qui JEsum sequitur, errorem dedoceas; omnes enim noverunt te virum justum, nec ad Personas respicere; omnes testimonio tuo credent. Conscende ergo Templi aggerem, ut a populo audiaris.*

Cumque ascendisset, Scribæ, & Pharisæi clamabant: *O vir juste! cui omnes debemus credere, quia populus sequendo JEsum crucifixum aberrat, ostende nobis, qualis sit porta JEsu!* quibus S. Jacobus vocem suam exaltans: *Quare me interrogatis de JEsu filio hominis? sedet ille in cælo ad dexteram virtutis Dei, inde veniet in nubibus cæli.* Tum multi credentes, laudabant Deum, & dicebant: *Hosanna!* Filio David! Scribæ autem, & Pharisæi dicebant ad invicem: *Male egimus, quod huic testimonio de JEsu occasionem dedimus; in præcipitium agatur homo iste;* & ascendentes clama-

clamabant: Ipse Justus aberravit; eumque ex altitudine dejiciunt. Rabie vero necdum expleta ajunt: Lapidemus eum. Ipse nondum occisus, flexis genibus orabat: *Domine Deus! Pater noster! ignosce illis, quia nesciunt, quid faciant.* Tum lapides conjicientibus, Presbyter quidam ex familia Recabitarum acclamat: *Quid facitis! Justus pro vobis orat!* simul adstans quidam fulo malleo eum ferit in capite. Sic S. Jacobus martyrium consummavit, postquam Ecclesiam Jerosolymitanam viginti novem annis gubernasset. Ibidem prope Templum sepultus est, & parva columna erecta. (*) Sæculum I. A. C. 54. *Hier. ibid.*

In plures alios cum S. Jacobo Annæ Pontificis instinctu mortis sententia in *Sanhedrin* lata est, quos Christianos fuisse verosimile. Hi tanquam Legis transgressores lapidati sunt. Tanta sævitia probis *Jos. XX. ant. c. 8.*

(*) Fleurius Martyrium S. Jacobi hic narrat nixus Hegesippi testimonio, quod Eusebius affert, & Arnaldus apud Tillemontium in suis ad Historiam Ecclesiasticam annotationibus infirmare conatur. At omnia ejus argumenta ex hoc solo principio Tillemontius solvit; si semel factum historicum irrefragabili viri alicujus testimonio nitatur, non multum ad objectiones attendendum esse, easque responsione verosimili elidi.

Sæculum I. A. C. 54.

probis omnibus indignationem movit, dolentibus maxime S. Jacobi necem, a ſuis occiſi, cujus virtutem Pagani quoque ſummo cultu reveriti fuerant. Non nulli, re ad Regem Aprippam ſecreto delata, rogabant; Pontificis ferociam coerceret. Alii Albino Præſidi Alexandria venienti, obviam progreſſi, inſinuabant; poteſtatis ſuæ limites tranſgreſſum Pontificem, quod ejus conſenſu non exſpectato *Sanhedrin* convocaſſet. Scripſit ille Pontifici litteras indignatione, & minis plenas. Sed Rex Agrippa poſt trium menſium lapſum Pontificatus honores eidem ob Jacobi cædem ademptos, in JEſum Dannei Filium contulit. Chriſtiani Jeroſolymitæ Simeonem, eoquod eſſet JEſu Chriſti cognatus, Cleophæ ejusdem Avunculi filius, poſtpoſitis omnibus aliis, in Epiſcopum elegerunt; hinc quidam nomine Thebutis ſpe ſua fruſtratus, diſſeminatis erroribus Eccleſiæ hujus Doctrinam cœpit corrumpere, quæ hactenus Virginis nomine, ob conſervatam Doctrinæ puritatem, fuerat decorata.

Hegeſ. ap. Euſ. IV. hiſt. c. 22.

§. IX.

Epiſtola S. Jacobi.

Euſ. II. hiſt. c. 22. Hier. Script.

Exſtat una Epiſtola S. Jacobi, inter Catholicas, ſeu univerſales prima, quia non

non ad unam Ecclesiam particularem, sed ad duodecim tribus dispersas, id est, ad omnes Judæos Fideles inter Gentiles habitantes directa est. Præprimis in hac Epistola Apostolus bona opera commendat, sine quibus vanam esse fidem, ostendit; ut errorem impugnaret, qui propter verba male intellecta S. Pauli, quasi opera deprimentis, jam tunc excreverat. Sub finem Epistolæ hæc habet: *Si quis vestrum infirmatur, accersat Presbyteros Ecclesiæ, ut orent pro eo, & oleo ungant in nomine Domini; oratio fidei salvabit infirmum, allevabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Quod de instituto Sacramento, ægrotis Fidelibus administrando, antiquitas intellexit. Non desunt exempla unctionis alterius generis infirmis applicari solitæ, sed hanc indiscriminatim Fidelibus, & Infidelibus ægrotis, Laici æque ac Presbyteri, quibus donum miraculorum datum erat, adhibebant.

Sæculum I. A. C. 54.

Jac. 2. 14. 24

Aug. de Fide & Oper. c. 14. *n.* 21.

Jac. 5. 5. 14.

Innoc. epist. 1. *c.* 8.

Marc. 6. 13.

Ruff. II. hist. c. 4.

Sozom. VI. c. 19. 29.

§. X.

Lamentatio Jesu filii Anani.

Judæi S. Jacobi necem, malorum omnium fontem, quæ ultimum universæ civitatis excidium præcessere, fuisse crediderunt. Jamque tunc, id est, quatuor annis ante belli initium, terribile mali

Orig. 1. *cont. Cels. p.* 35.

Jos. VII. bell. c. 12.

Sæculum I. A. C. 54.

appropinquantis præsagium oculos earum, auresque cruciabat. Quidam nomine Jesus, Anani filius, homo de plebe, & agrestis ad festum Tabernaculorum venit Jerosolymam, cum civitas tranquilla pace, & ingenti opulentia frueretur; & Templum ingressus, clamare cœpit: *Vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox a quatuor ventis; vox contra Jerusalem, & contra Templum; vox contra sponsos, & contra sponsas; vox contra omnem hunc populum.* Sic die, nocteque per omnes urbis plateas clamabat.

Primores civitatis malum omen detestati, prehensum, verberibus affligunt. Ipse nihil nec pro se, nec contra cædentes locutus, a solito tamen clamore non destitit. Magistratus rati, urgente Numine eum taliter plangere, Albino, qui pro Romanis Provinciæ præerat, sistunt; is hominem flagris tamdiu concidi jussit, usque dum ossa nuda apparerent. Sed ne hæc quidem tormenta vel preces, vel lacrymam expresserunt patienti; solummodo ad ictum quemlibet voce debili lamentum repetebat: Væ! Væ! Jerusalem! Albino percontanti, quis & unde esset, & quæ lamentorum causa? nihil reposuit, nisi novos super mala civitati imminentia planctus. Tandem Albinus, amotam homini mentem, nil dubitans, dimisit.

Septem

Sæculum I. A. C. 64.

Septem annos, & menſes quinque lamentatio tenuit; toto hoc tempore nemini loqui viſus eſt, nec quotidie injuriantibus injurias, nec eſcam præbentibus gratias referre. Unicum omnibus reſponſum, triſtis lamentatio erat. Diebus feſtivis clamabat intenſius, nec clamando fatigabatur, nec vocis raucedinem contraxit. Cum Romani civitatem obſidione cinxiſſent, circum urbis muros ambulans, vociferabatur: *Væ civitati, væ Templo! væ populo!* Denique adjunxit: *Væ etiam & mihi*, hæc locutum lapidis excuſſi ictus ſtravit. Hoc vero ei poſt quatuor demum annos contigit.

§. XI.

Romæ incendium, & primi Martyres.

An. 64. *Tac. XV. Ann. Suet. Ner. c. 38. Xiphil. ex Dio p. 178.*

Anno Neronis decimo, JEſu Chriſti ſexageſimo quarto, decima nona Julii incendium Romæ in majoris circi tabernis exortum, ſex dierum ſpatio in totam urbem graſſatum eſt. Ex quatuordecim urbis Regionibus ſolum quatuor illæſæ perſtiterunt. Tres funditus conſumptæ. In aliis ſeptem quædam domorum reliquiæ flammis ſopitis ſuperſtites videbantur. Erat tunc quidem Nero Antii; conſtans autem fama ipſum incendii auctorem

Sæculum I. A. C. 64.

rem ferebat, tantumque facinus eum in finem ausum, ut, postquam flammarum, culmina domorum, turriumque superantium, spectaculo oculos oblectasset, deinde urbem longe magnificentius extruendi, eidemque, deleta Romuli memoria, suum nomen imponendi opportunitatem nanciscceretur. Tunc vero, cum flammæ maxime furerent, ipse scenica veste assumpta, in editam turrim conscendens, unde in flammarum turbines prospectus patebat, hilari cantu delectabatur, cujus materiam selegerat illam, de qua Poeta versiculum canit: *Hæc facies Trojæ, cum caperetur, erat.*

Plebi tamen Nero ob miserabilem casum afflictæ, nullum solatii genus ferre ommisit; profugis receptacula aperuit, tuguria exstruxit, necessaria submini-stravit, frumenta vilissimo pretio vendidit. Præterea libros Sybillinos consuli, Sacrificia, multas cæremonias placandæ Deum iræ imperavit. His vero omnibus atrocem suspicionem populorum animis eximere non valuit; ut igitur aliam odio publico victimam objiceret, Christianos incendii accusat, populis ob novam superstitionem aliunde invisos, utpote quam sine conjunctis maleficiis coli non posse credebant. Multa enim crimina Christianis accusatione confusa imputabantur, sed nemini, diligenti exami-

Suet. Ner. cap. 16.

1. *Petr.* 2. 12.

ne

Sæculum I. A. C. 64.

ne in rei veritatem inquirere, curæ erat. Primum non nulli, qui se Christianos confitebantur, comprehensi; deinde autem ingenti numero ad mortem damnati sunt, non quidem ut incendiarii, sed totius generis humani abominatio. At prius crudeliter illusi, non simplici morte tollebantur; alii bestiarum exuviis contecti, rabidis canum dentibus lacerati sunt. Alii cruci, vel acuto palo per guttur trajecto affixi, ut erecto starent capite. Alii tunicas induere coacti, pice, aut alia ignem facillime concipiente materia illitas, ut ambulantibus de nocte Romanis lucem præberent. Imperator in suo horto dignum Nerone spectaculum populo dedit, dum conscensis vehiculis, ad humanorum funalium splendorem funestum, aurigarum labore dexterrime functus, equos rexit. Miserorum sors Romanis misericordiam movit, non quod Christianorum quemquam innocentem crederent, aut ultima pati non meritum, sed quod unius hominis sævitiæ potius, quam utilitati publicæ immolarentur. Hæc fuit prima Imperatorum persecutio in Christianos, gloriæ sibi ducentes, se primum a Nerone, bonorum omnium hoste, damnatos.

Juv. Sat. 1. *Sat.* 8. *Senec. Epist.* 14.

Prima Persecutio.

Sæculum I. A. C. 64.

§. XII.

Judææ Status. Albinus. Florus.

Joſ. XX. ant. c. 8. p. 699.

Circa idem tempus Rex Agrippa, Jeſu filio Dannei Pontificatu dejecto, Jeſum filium Gamalielis ſubſtituit, quod acerbæ inter eos æmulationis origo fuit; temerariis quibusque in ſuas partes pertractis, mutuo ſe primum verbis, deinde lapidibus inceſſebant. Sed etiam aliæ erant factiones, quarum Duces Ananias divitiis pollens, Caſtobar, & Saul, ambo ad ſtirpem Regiam originem referentes, Agrippæ ſanguine juncti. Abhinc pulſa Jeroſolyma quies nunquam poſtliminio rediit. Sed res Judæorum publica ſemper ruere in deterius cœpit.

Inter hæc Albinus, Succeſſorem ſibi datum, comperto, Geſſium Florum, jamque in itinere conſtitutum, ut in fine Jeroſolymitarum gratiam iniret, carceres aperiri jubet, vinctosque omnes produci; manifeſte morte dignos ſupplicio addicit, cœteros, de quorum delictis non ita conſtabat, pecunia accepta, libertati reſtituit; ſic carceres quidem evacuati, Provincia vero graſſatoribus impleta eſt. Florus Glazomena ortus, uxoris ſuæ Cleopatræ favore, quæ Imperatricis Popææ amicitia fruebatur, Prætoram obtinuit.

Joſ. XX. ant. c. 9. 11. Bell. c. 24. pag. 798.

Is

Is tam dire Judæos habuit, ut Albini desiderium moveret, quamquam eos gravibus malis affeciſſet; nam Albino ſatis fuerat, in occulto eſſe malum; contra Florus in ſcelere gloriari videbatur. Erant ei præcordia erga miſeros ferrea, avaritia inſatiabilis, usque adeo, ut cum latrónibus ſpolia partiri non puderet, quorum deprædationibus ut ſe eriperent, multi Judæorum, relicta patria, in exteras Provincias receſſerunt. Sæculum I. A. C. 64.

Rex Agrippa auctoritatem in Templum, & Templi miniſtros ſalvam ſibi ſemper vindicavit; ei Levitæ, quorum officium erat canere, ſuggeſſerunt conſilium, ut convocato *Sanhedrin*, ipſis lineis veſtibus in miniſterio utendi jus competere, decerneretur; quod impetrarunt. Alii Levitæ inferioris ordinis, ad Templi ſervitium deputati, obtinuerunt, ut ſacra cantica diſcere liceret. Talia autem Lege vetita erant. Templi ſtructura circa id temporis conſummata eſt; hinc decies, & octies mille operarii, quos hic labor aluerat, vacantes, pane indigebant. Populi quidem deſiderium erat, ut Porticus Orientalis, Salomonis quondam opus, reſtitueretur; noluit vero Rex, ſed ſolum permiſit, ut civitatis pavimentum albo lapide ſterneretur; rurſusque depoſito JEſu Gamalielis filio, ad ſummum Sacerdotium Mathiam Theophili filium promovit, *Joſ. XX. ant. c. 8. p. 699.*

Sæculum I. A. C. 64.

movit, sub quo bellum Judaicum duodecimo Neronis anno initium duxit.

§. XIII.

Epistola I. ad Timotheum.

1. *Tim.* 4. 14. *Euſ. III. hiſt. c.* 4. 1. *Tim.* 1. 3. 4. *Tit.* 1. 5. *Phil.* 1. 25. 26. 11. 24. 1. *Tim.* 1. 6. 7. 6. 4. 5. 20. 4. 7.

S. Paulus eo tempore in Oriente versatus ad annum JEsu Christi sexagesimum quintum, aliquo tempore Ephesi mansit, ibique Timotheo relicto, ipse in Macedoniam profectus est. Timotheum in Episcopum ordinaverat, communicata ei per impositionem manuum Presbyterorum gratia, quamquam tantum quasi annorum triginta esset. Timotheus igitur primus Ephesiorum Episcopus fuit, rogatus a S. Paulo, ut ibi maneret, & perversos Doctores comprimeret. Titum Discipulorum alium chariſſimum apud Cretenses reliquit, ubi ipse prædicaverat, eidemque, Episcopo constituto, ea, quæ deficerent, emendandi curam dedit, & per civitates, ubi expediret, Episcopos ordinaret. Ipse in Macedoniam perveniens, apud Philippenses, sicut promiserat, divertit. Inde primam ad Timotheum dedisse circa annum Christi sexagesimum sextum, creditur.

Hæc Epistola præcipua Episcoporum munera complectitur. Episcopus ante omnia Pseudo-Doctores reprimat, qui a fide aberrantes, & puritate conscientiæ vanis disputationibus, verborum litigiis, novel-

Sæculum I. A. C. 64.

novellis phrasibus, vetularum fabulis occupabantur, asserentes, quæ non intelligunt, ignorantes, superbi, avari, ex Religione quæstum facientes. Inter Pseudo-Doctorum fabulas, S. Paulus Genealogias infinitas recenset. Ecce! principium Doctrinæ Gnosticorum, qui attributa divina Sapientiam, Scientiam, Omnipotentiam, Bonitatem, tanquam tot Personas reputabant, quarum una procederet ex altera. Sed nunquam in numero, vel ordine consentire poterant. His Pseudo-Doctoribus Apostolus Hymeneum, & Alexandrum accenset, quos Satanæ tradiderat in pœnam blasphemiæ. Hymeneus dicebat; Resurrectionem mortuorum jam contigisse, quia negata corporum resurrectione, solam spiritualem resurrectionem a peccato ad gratiam agnoscebat. Alexander erat faber cuprarius, qui docenti S. Paulo fortiter obsistens multum nocuerat; verosimiliter idem fuit, qui Epheſi in tumultuario Demetrii concursu, nisi fuisset impeditus, dicturus erat ad populum.

1. 20. 2. *Tim.* 11. 18 *Ibid.* 4. 14. *Act.* 19. 33. *sup. n.* 48.

Tum Apostolus ad Timotheum requisitas illorum dotes denotat, quos ad sacrum Ministerium eligat. Episcopus sit irreprehensibilis, & unigamus. Tunc enim temporis triginta circiter annos post Evangelii Prædicationem non adeo facile erat invenire viros, qui in cœlibatu vi-

3. 2.

Sæculum I. A.C. 66.

xissent ad annum quadragesimum, vel quinquagesimum, qua ætate Episcopi, vel Presbyteri ordinari solebant. Igitur optimi Patres-Familias assumebantur, & sufficiebat, si unam tantum habuissent uxorem; cum apud Judæos, & Gentiles in Oriente Poligamia esset tolerata, & ubique divortii usus Græcis, Romanisque ad iteratas nuptias transeundi libertatem
3. 3. 4. faceret. Ideo monet Apostolus; ut attendat, an ille, qui ordinandus est in Episcopum, familiam suam prudenter gubernaverit, an casti sint, & obedientes filii; adjungit; Episcopum oportere, esse sobrium, non vino deditum, boni ordinis amantem, modestum, non litigiosum, non pronum ad percutiendum, non avarum, sed hospitalem, prudentem, in docendo assiduum. Non debere esse Neophitum, id est, recens ad fidem conversum; sed tandem optimæ, etiam apud Paganos, famæ.

3. 8. 9. Eadem prope dona requirit Apostolus in Diaconis; unius uxoris mariti sint, filios suos, & familiam sollicite regant, irreprehensibiles sint, & antequam vocentur, subjiciantur examini. Nec corde, nec verbo sint duplices, aut sordida avaritia. Qui bene ministraverint, inquit:
3. 11. *Viam sibi ad altiorem Ministerii gradum*
5. 8. *pandent.* Cum de Diaconissis loquitur, vult, ut sint castæ, sobriæ, in omnibus fide-

Sæculum I. A. C. 66.

fideles, non obtrectatrices. Viduæ ad hoc opus delectæ, sexagenariis non sint minores, optimæ famæ, & tales, quæ filios pie educaverint, peregrinos hospitio susceperint, Fidelium pedes laverint, & afflictos juverint. Monet iterum Apostolus discipulum suum, ne inconsiderate manus cuiquam imponat, sicque de peccatis alienis participet. Ne accusationem contra Presbyterum accipiat, nisi duo vel tres testes sint. Presbyteris officium suum implentibus, & in prædicationis opere sedulis largiter retribuat. Hæc Epistolæ hujus sunt mandata, quæ ad Disciplinam Ecclesiasticam spectant. 5. 22. 5. 19. 5. 17.

Tum S. Paulus omnes Christianos justitiam docet, omnes pro omnibus orent, præprimis vero pro Regibus, & Magnatibus; nam Græce Reges dicebantur etiam Imperatores Romani; ut sub eorum Protectione vitam tranquillam ducamus. *Volo igitur*, ait: *ut in omni loco oretis, levantes ad cælum manus puras, sine iracundia, & discordia. Similiter mulieres orent, quarum ornamenta sint modestia, pudor, & sobrietas, non vero cincinni, aurum, uniones, aut vestium splendor. Mulierem docere non permitto, nec marito leges dare; sed subdita sit, & in silentio discat. Salvabitur, si liberos genuerit, & in fide, charitate, & sanctitate permanserit.* 2. 1. 2. 2. 8. 2. 9. 10. 2. 15.

Viduæ,

Sæculum I. A. C. 66.

Viduæ, quæ liberos habent, ante omnia familiæ ſuæ curam gerant, aut juvent Parentes ſuos, *qui enim de domeſticis ſollicitus non eſt, eſt infideli deterior.* 5. 4. 8.

Viduæ juniores nubant, ut evitent otium, vanas converſationes, viſitationes inutiles, curioſitatem, luxum, aliasque tentationes. Veris viduis, quibus nec auxilium liberorum eſt, nec parentum, Eccleſia provideat, ut poſſint ſubſiſtere. Ipſæ vero diu, noctuque orent. 5. 13. 14. 5. 5. 16. 6. 17.

Divites non inflentur, nec ſpem ſuam ponant in divitiis corruptibilibus, ſed in Bonitate Dei, qui omnia dat abundanter. Bonis operibus, liberalitate, eleemoſinis divites ſint. Servi dominis infidelibus perfecte ſubditi ſint, ne Religionem contemptui exponant; qui vero fidelibus ſerviunt, ne eos ſpernant, eo quod fratres ſint. 6. 1. 2.

Tum Apoſtolus juxta revelationem S. Spiritus Timotheo prædicit; ultimis ſæculis aliquos fidem deſerturos, & Dæmonum Doctrinam amplexuros, matrinium damnaturos, & abſtinentiam a certis carnibus præcepturos, quaſi non eſſent omnes Dei creaturæ æqualiter bonæ. Hæc ad litteram impleta, dum ſequentibus duobus ſæculis Encratitarum, Marcionitarum, & Manichæorum hæreſes exortæ ſunt. Nam tempus ultimum Apoſtoli dicere ſolebant, omne id, quod a Prædicatione Evangelii labitur. 4. *Chryſ. hom.* 12. *init. in* 1. *Tim.* 1. *Joann.* 2. 19.

Deni-

Sæculum I. A. C. 66.

Denique S. Paulus exhortationes, quæ ipsum Timotheum tangunt, adjungit; erga omnes, præsertim senes, mansuetus sit. Ne se ob ætatem minorem sperni patiatur. Eos, qui peccaverint, publice corripiat, ut cœteri timeant. Ipse se Fidelibus sermone, & modo vivendi, charitatis, & puritatis exemplum exhibeat. Culpat vero, quod nil nisi aquam bibat, jubetque, ut propter debilitatem stomachi, & frequentes infirmitates modico vino utatur. Ante omnia lectioni, & instructioni vacet. Præcipit coram Deo, ut S. Doctrinæ depositum in puritate conservet. *Scribo tibi*, inquit: *sperans brevi ire ad te, ut si retarder, scias, quomodo regere oporteat Ecclesiam Dei, quæ est veritatis columna, & fulcrum.* Hæc prima S. Pauli ad Timotheum continet.

5. 1. 2.
4. 12.
5. 20.
4. 12.
5. 23.
4. 13. 15.
6. 13. 20.
3. 14.

§. XIV.

Epistola ad Titum.

Eo ferme tempore ex Macedonia S. Paulus ad Titum scripsit epistolam, prope eadem præcepta continentem. Erat singularis ratio, quod in Creta insula, ubi Titus erat Episcopus, uxorati ad Sacerdotium promoverentur, & summopere caveretur, ne liberos haberent dissolutis moribus, in Creta enim antiquæ leges vigebant, quibus tenebantur adolescentes matu-

Strab. l. 10. *p.* 483.

Sæculum I. A. C. 66.

mature inire matrimonium, & ibi amores, etiam nefandi, non ſolum Legum auctoritate impunes, ſed & in honore erant. In hac epiſtola S. Paulus Doctrinas tradit, quibus Titus omnem ætatem, & ſexum imbuat, Senes, & Anus, quæ inſtruant juniores, juvenes, & ſervos. Monet, ut Pſeudo-Doctoribus, præſertim circumciſis, reſiſtat, ſevere corripiat, & hæreticum poſt primam, & ſecundam admonitionem devitet. Sub finem, inquit: *quando Artemam, vel Tychicum ad te miſero, ne tardes venire ad me Nicopolim, ibi enim hiemem tranſigere ſtatui. Cura diligenter Zenæ, Doctoris legis, & Apollo profectionem, ut nihil eis deſit.*

Tit. 2.

1. 10.

3. 10.

3, 12. 13.

§. XV.

SS. Petrus, & Paulus Romæ.

Hieme transacta, S. Paulus Epheſum rediit ad Timotheum, & inde Troadem. Trophimum ægrotantem Epheſi reliquit. Eraſtus manſit Corinthi, ibi enim civitatis ærarium ipſi erat concreditum. S. Paulus Romam ſecundo venit; ubi ad Neronem delatus, ab omnibus deſertus eſt; ita ut nemo eum coram hoc tribunali comitaretur. Nihilominus opitulante Deo ab hoc periculo liberatus eſt. Per unum annum adhuc Romæ moratus, Gentilibus, undequaque

2. *Tim.* 4. 13. 20.

ibid. 16. 17.

que convenientibus, Evangelium prædicabat. S. Petrus ea tempestate Romæ erat cum S. Paulo, eosque Deus instantis suæ mortis præscios fecerat. Non solum fidem Christi, sed & futura annuntiabant, quæ a JEsu Christo acceperant; Judæorum Gentem jam jam perfidiæ pœnas daturam, brevi a Deo Regem mittendum, qui Judæos bello subigeret, civitates eorum everteret, & ad tantam famem redigeret, ut concivium suorum corpora devorantes, mortem quidem differrent, sed effugere non possent. Superstites inimicis suis servituros. Uxores, filiasque in conspectu Patrum, & virorum violandas; parvulos ad parietem allidendos, Patriam ferro, & igne devastandam. Miserandis captivorum reliquiis usque in finem sæculorum in tristi exilio moriendum. Hæc omnia, a SS. Petro, & Paulo Romæ prædicta, litteris mandata sunt.

Sæculum I. A. C. 66.

2. *Pet.* 1. 14. 2. *Tim.* 4. 6.

Lact. l. IV. c. 21.

§. XVI.

Portenta, & Belli initium.

Inter hæc Jerosolymæ multa prodigia contigere, quæ in pessimum rerum futurarum omen trahebantur. Anno Neronis undecimo, JEsu Christi sexagesimo quinto, octavo mensis *Xantici* juxta

S. Petrus. Nero. A. J. C. 65.

Jos. VII. Bell. c. 12. *p.* 960.

Sæculum I. A. C. 66.

ta Macedones, id est, Aprilis, in quam inciderat festum Azymorum, hora noctis nona per horæ dimidium tanta lux circa Templum, & Altare refulsit, ut solis splendorem superaret. In ipso festo vacca, ducta, ut immolaretur, in medio Templi agnum peperit. Porta Templi ad Orientem, tanto æris pondere, ut ei aperiendæ, vel claudendæ viginti virorum opera vix sufficeret, repagulis ferratis, vectibusque limini de una petra excisо profunde infixis, munita, ad horam noctis sextam, nemine movente, inventa est aperta; Templi custodes rem insolitam festinato ad Centurionem deferunt, qui accurrens, portam claudi jubet, quod non sine gravi labore factum. Paucis post festum diebus vigesima prima *Artemisii*, id est Maji, ante solis occasum ab omnibus Judææ habitatoribus currus, exercitusque armatorum in aere supra urbis plateas, & ejus circuitum discurrere visi. In Die Pentecostes Sacrificatores, pro munere suo Templum ingressi, primum Templi commotionem, & strepitum senserunt, deinde vocem audierunt, dicentem; Migremus hinc. Migremus hinc.

An. 66. *Joſ. XVII, Bell. p. 968.*

Anno sequenti sexagesimo sexto, eodem festo Azymorum Cestius Gallus Syriæ Rector Antiochia Jerosolymam veniens, populi totius numerum iniri jussit, missurus ad Cæsarem, quo ostenderet, Judæorum vires

Sæculum I. A. C. 66.

vires, ut ipse putabat, tales non esse, quæ contemni deberent. In hunc finem Sacrificatores victimas, quæ in Die Paschatis ab hora tertia vespertina usque ad quintam immolari solebant, sollicite numerarunt, & inventæ sunt supra ducenta quinquaginta quinque millia sexcentæ. Agni erant paschales, quibus singulatim comedendis deni ad minimum, non nunquam viceni conveniebant, supposito autem, hoc anno non plures quam decem ad singularum victimarum commestionem homines convenisse, nihilo-minus vicies quinquies centum, & quinquagies sexies mille virorum numerum soli purificati, explebant. Cestio Jerosolymam tendenti in via Judæi obvios se obtulerant tricies centies mille viri, uno ore supplices; ut eorum misertus, a Flori crudelitate Judæam liberaret. Sed surdo canebant fabulam. Cumque Florus in dies vexationes cumularet, jugum Romanorum palam excutere cogitant, &, abjecta omni alia spe, ad arma proruunt. Bellum igitur auspicati sunt mense Majo, Neronis duodecimo, JEsu Christi sexagesimo sexto, Agrippæ decimo septimo, ex quo Florus in Judæa fureret, secundo.

Joſ. XX. Bell. c. 24.

An. 66.

Rex Agrippa nihil eorum omisit, quæ Judæos sanæ rationi reddere poterant; Romanorum immensam potentiam, & funestum belli exitum non obscure præviden-

Sæculum I. A. C. 66.

videndum, ob oculos posuit; sed in vanum omnia; ipse potius, cum tuto in urbe esse diutius non liceret, Jerosolyma excessit. Seditiosorum Duces in Masadam munitum oppidum improviso irruentes, Romanos ad unum omnes trucidant. Jerosolymæ Eleazar Pontificis Ananiæ filius, non vulgaris audaciæ juvenis, tumque Templo Præfectus, Sacrificatoribus persuasit, ne a quoquam, nisi a Judæis, victimas acciperent, & ne pro Cæsaris incolumitate, aut aliorum Romanorum, ut solitum, ultra sacrificaretur. Civitatis Primates, quietis amantes, & quanta mala hoc juvenis ausum in Rempublicam esset invecturum, facile perspicientes, nuntios Cæsaream mittunt ad Florum, ut, quæ agerentur, resciret; alios celeriter ad Regem Agrippam expediunt, ut prompte armatæ manus mitterentur, quæ seditionis auctores in ipso ortu opprimerent; Florus, qui nihil magis, quam publicas turbas optabat, ut justissimas accusationes, quæ rebus pacatis timendæ erant, eluderet, omnia dissimulavit. Rex Agrippa, qui jam rationibus populi mentem ab armorum consilio abstrahere fuerat conatus, tria equorum millia submisit. Quibus cum Pontifices, civium Primores, omnesque, quibus pax cordi erat, se junxissent, superiorem urbis Regionem suæ potestatis fecerunt; seditiosi Tem-

Templum, & partem inferiorem urbis tenuerunt, postquam per septiduum conflictum fuit. Eo die, quo ligna in Templum comportabantur, Sicarii inter alios viam per Templum nacti, copias Regias superiore urbe exturbatas, in Palatii Herodiani angustias compellunt, postquam in Asmonæorum Palatium, quod tunc Agrippæ erat, in Domum Pontificis Ananiæ, & civitatis Tabularia ignes injecerant, & in Archiva quidem, eo consilio, ut actis publicis consumptis, quibus privatorum chirographa servabantur, ære alieno pressos, in suam factionem pertraherent. Sæculum I. A. C. 66.

Altera die decima quinta *Loüs*, id est, Augusti arcem Antoniam obsident, & tertio die expugnant; Romanis stipendiariis omnibus interfectis arcem incendunt. Seditiosorum Princeps erat Manahem, Judæ ex Galilæa filius, Pseudo-Doctoris, & sub Quirino rebellium Ducis. Is Masadam conversus, direpta, quæ illuc Herodes contulerat, arma inter suos distribuit. Modico post tempore supremum Palatium aggreditur, & illa parte, quam castra vocabant, occupata, ignes injicit. Hac expeditione victorem, & cultu ac comitatu Regium imitante in Templo orantem Eleazar Præsidii Judaici Dux invadit, captumque post multos cruciatus morti tradit. Præcipui hujus factionis

Sæculum I. A. C. 66.

Duces simul interempti. Non nulli Sicariorum, qui Manahem secuti fuerant, Eleazari Jairi filii agnati ejus ductu, Masadam fugientes, receptaculum invenerunt. Populus Manahem e vivis sublato seditionem exspiraturam sperabat. At Eleazar sibi, non Reipublicæ pugnabat; is Romanos, qui Palatio expugnato in tres turres Hippicam, Phasael, & Mariamnem dictas, ultimum receptaculum confugerant, oppugnat; illi armis depositis deditionem faciunt; at nihilo-minus seditiosi, quamvis esset dies Sabbati, viros inermes, & quod pejus! contra datam fidem omnes obtruncant.

§. XVII.

Judæorum cædes in diversis locis.

Jos. II. Bell. c. 18. Eodem die, & hora Gentiles contra Judæos Cæsareæ in Palæstina, ubi turbari coeptum fuerat, insurrexerunt; Florus, cujus fuisset flammas injecta aqua sopire, ignem alebat, excitabatque Paganos in Judæorum cædes, quorum supra viginti millia necata sunt; & gens tota in ea civitate excisa; nam Florus eos, quibus ferrum pepercit, catenis colligatos, ad portus misit, transtris mancipandos.

Jos. II. Bell. c. 19. p. 813. Tanta popularium suorum cædes Cæsareensis omnem Judæorum gentem in furorem

rorem egit; Regiones partiti, Syrorum oppida, & vicinas urbes devastare cœperunt. Philadelphiæ, Gebonitæ, Gerassæ, Pellæ, Scythopoli non pepercerunt; inde Gadaram, Hippos, & Regionem Gaulanitidem infestarunt. Harum urbium alias cuniculis, alias flammis perdebant. Sed necdum furor stetit, etiam in Cedasum Tyriorum, Ptolemaidem, Gabam, & Cæsaream moverunt. Nec Sebaste, nec Ascalon furentium impetus sustinere valuerunt; sed his duobus combustis, vastationem Anthedon, & Gazæ intulerunt. Sæculum I. A. C. 66.

Ex multis vicis in harum urbium vicinia prædas agebant; immensa captorum, occisorumque erat multitudo. Econtra Syri ad vindictam excitati, Judæorum nulli parcebant. In urbibus quoscunque comprehendere poterant, jugulabant, nam præter inveteratum in hanc gentem odium, necessitas urgebat, ut inimicorum morte, suum interitum averterent. Itaque in qualibet civitate duæ factiones erant in mutuas cædes erectæ, & tota Syria, supra quam concipi potest, atrox perturbatio. Qui natura a cædibus abhorrebant, depradationibus ad easdem concitabantur, nam præcipuus quisque æstimabatur, qui plura in domum suam spolia contulisset. Civitatum plateæ cadaveribus erant impeditæ, senum super parvulorum corpora projecta, mu-

Sæculum I. A C. 66.

lierumque, nulla sexus reverentia jacebant.

Ex quadam urbe, Scythopolis ea fuit, Judæi contra fratres arma sumpserunt; nihilo minus fidem eorum Incolæ suspectam habuere, petieruntque, ut quasi in fidelitatis experimentum se cum suis familiis in modici spatii nemus reciperent, quos illic inclusos ad unum omnes jugulant, supra tredecim animarum millia. Simon vero, filius Saul, quo potissimum auctore arma in populares suos moverant, cruentum rei eventum cernens, sibi ipsi pœnas infelicis concilii dare voluit. Exclamat: *merui, fateor! funestam sortem! sed mea, quam aliena manu, mori præstat.* Tunc errantibus oculis omnes suos pervagatus, Patrem primo albentibus capillis prehensum, gladio transverberat, eundem Patris cruore tepentem, in matris nihil reluctantis viscera mergit, deinde uxorem, & liberos, mori rogantibus, quam horrentibus propiores, uno funere miscet. Tandem levata altius dextra, ut eximium facinus notaretur facilius, proprio pectori capulo tenus ferrum infigit. Eo furoris Judæos adigebat desperatio.

Scythopolitarum facinus aliæ civitates in exemplum traxere. Ascalone duo millia, quingenti, Ptolemaide duo millia Judæorum ferro periere. Tyri multi necati,

Sæculum I. A. C. 66.

necati, plures vero vinculis traditi. Urbes Antiochia, Sidon, & Apamea ſolæ ſanguini pepercerunt. At Alexandriæ ingentem cladem paſſi ſunt. Cives Alexandrini in amphitheatro conventum indixerant, ut de legatione ad Cæſarem mittenda deliberarent; ibi etiam quidam Judæi comparuerunt, quos ut eorum adverſarii conſpexere, ſubito clamorem extollunt; eſſe patriæ hoſtes, & exploratores; ſimul in eos lapides conjiciunt; tres Judæos, reliquis fuga dilapſis, captos, trahunt, ut vivos flammis traderent; tum vero Judæi univerſi in ſociorum auxilium procurrunt, & primum quidem Græcos lapidibus impetebant, mox autem arreptis facibus ad amphitheatrum greſſus urgent, omnem ibi populi multitudinem concrematuri, & profecto feciſſent, niſi Tiberius Alexander urbis Præfectus nefas prohibuiſſet. Is ad eos mittit, qui nuntiarent; ſi vivere vellent, Romani militis iram in ſe ne provocarent; ipſi, ſpretis monitis, etiam Præfectum convitiabantur. Ergo Alexander duas legiones, & quingentos ex Lybia viros, quibus caſu Alexandriæ ſtativa erant, in furentes immittit, cum imperio; Judæos interficerent, bona diriperent, domos incenderent. Milites in Alexandriæ Delta, quod erat habitatio Judæorum, eos invadunt; Judæi contra, oppoſitis,

Sæculum I. A. C. 66.

quotquot habebant, armatis, se suaque tueri aliquamdiu conati, cedere coacti sunt. Tum Romani in plateis, & domibus, quicunque sub manu erant, nulla sexus, vel ætatis habita ratione cædunt, ita ut compita sanguine redundarent, & conjectorum cadaverum cumuli quinquaginta hominum millia occisa, numerantibus exhiberent. Pietate Alexandrum movente, ut reliquos servaret, sistere militem jubet; Romani Disciplinæ militari assueti, illico paruere; sed plebs Alexandrina propter acerbissimum in gentem Judæam odium etiamnum mortuis insultans, vix diu multumque repetitis imperiis a cadaveribus abstrahi potuit.

§. XVIII.

Bellum in Judæa sub Cestio.

Jos. II. Bell. c. 22. p. 817.

Cestius Gallus, qui Syriam administrabat, videns ubique locorum Judæos arma quatere, diutius sibi quieto esse non licere existimavit. Igitur cum Legione duodecima, Regum Antiochi, & Agrippæ auxiliaribus copiis, & quibusdam aliis, Antiochia movet. Ipse Rex Agrippa Cestium comitatus, quia Regionis situs magis gnarus, pro viarum Duce erat. Cestius primum Ptolemaidem, & deinde Cæsaream promovens, inde copiarum partem

Sæculum I. A. C. 66.

partem contra Joppen mittit; capta illa, & flammis consumpta; ferme octo millia, & quadringenti Judæorum perempti. Cæterum alium Gallum, sibi cognominem, cum sufficienti milite dimissum, Galilæam ad obedientiam compellere jubet. Sephoris Provinciæ hujus munitissima patentibus portis Romanos recepit; urbes reliquæ exemplum secutæ; seditiosorum pauci resistere moliebantur, sed plusquam mille eorum concisis, & pacata Galilæa, Gallus Cæsaream ad Cestium copias reducit. Ille Antipatridem, & Lyddam, quæ ultima ignibus consumpta est, progressus, iter Jerosolymam versus instituit, & per Bethoron ascendens, in Gabaon urbe quinquaginta stadia, id est, paulo minus quam tres Leucas, ab Jerosolyma distante, castra metatus est. Tunc Jerosolymam populi ad festum Tabernaculorum convenerant; sumptis itaque armis, turmatim urbe egressi, immani clamore Romanos invadunt, & quamvis ordinis militaris ignari procederent, tanta tamen multitudine, & impetu invecti sunt, ut perruptis peditum ordinibus, omnis Cestii exercitus haud leviter periclitaretur. Romanorum hac die quingenti, & quindecim; Judæorum haud plures viginti duobus desiderati. Inter hæc Agrippa viros duos ad Judæos misit, qui Romanorum

Sæculum I. A. C. 66.

nomine de pace agerent; & meliori quidem Judæorum parti pax in votis erat, cum factioſorum quidam uno legatorum occiſo, & vulnerato altero, compoſitionis ſpem omnem abſcidere. Hinc Ceſtius illorum diſcordiis in ſuum uſurus emolumentum, cum omnibus copiis tria ab urbe ſtadia caſtra ponit, & trigeſima *Hyperbereteæ*, id eſt, Octobris, oppugnationis initium facit. Seditioſi, qui ſoli reſiſtebant, pulcherrimo ordine, quo Romani opus aggrediebantur, exterriti, derelictis exterioribus munimentis, in interiorem urbem, & Templum recedunt. Ceſtius duabus civitatis partibus, quas Bezetha, & urbem novam vocabant, flamma vaſtatis, caſtra ante Regale Palatium locat, civitatem ſuperiorem aggreſſurus.

Si ipſa hora irrumpere voluiſſet, ſuperata civitate, impoſuiſſet finem bello. Verum Tyrannius Priſcus caſtrorum Præfectus, & plerique, qui equitatui præerant, Flori Judææ Gubernatoris auro, quod larga manu ſpargebat, coempti, Ducis mentem ab hoc conſilio averterunt. Immo quorumdam proditionem, qui, ſi accederet, aperire portas in ſe recipiebant, inſidias veritus, neglexit; ſexta demum die aggreſſionem Templi a latere ſeptentrionali imperat; milites junctis ſupra capita ſcutis, quod voce militari

litari teſtitudinem facere nominabant, protecti, jam jam muro ſubruto, portas comburere parabant, ut aditus pateret; ſeditioſi animo concidere, populus animum reſumere cœperat, & Ceſtium liberatorem ambabus ulnis excipere geſtiebat; Ceſtio aliter viſum; nam rebus felicem exitum ſpectantibus, ſibique ſumme honorificum, contra omnem belli rationem obſidionem ſolvit. Hoc conſpecto ſeditioſi animos revocant, & in ultimos ordines recedentium Romanorum invecti, multos cædebant, quod ubi etiam ſequentibus diebus factum, usque dum Antipatridem perveniſſent, Ceſtius non leve totius exercitus perdendi periculum ſubiit. Viros in hac expeditione amiſit ex equitatu nongentos octuaginta, ex peditatu quinque millia, & trecentos. Impedimenta, plauſtra, machinæ, quas obſidendæ urbi advexerat, Judæis ceſſere, iisdem tempore ſequenti urbi defendendæ contra ipſos Romanos opportuniſſima. Hæc contigere octava *Dius*, ſeu Novembris, anno Neronis duodecimo, JEſu Chriſti ſexageſimo ſexto.

Sæculum I. A. C. 66.

II. Bell. c. 25. pag. 821.

Ann. 66.

§. XIX.

Fuga Chriſtianorum Jeroſolyma.

Poſt Ceſtii diſceſſum multi Judæorum Primates Jeroſolyma exceſſerunt, non aliter,

Sæculum I. A. C. 66.

aliter, ac qui ex nave scopulis perforata fugere solent; inter hos fuisse Christianos, verosimile est. Ante oculos erat Prophetiæ JEsu Christi adimpletio, nempe abominatio desolationis stans in loco sancto, id est, Romanorum exercitus in Jerosolymæ circuitu, quandocunque enim Romani ad bellum procederent, militaria Imperii signa præferebantur, quam plurimas Idolorum effigies exhibentia; atqui Idola in Sacra Scriptura abominationis nomine veniunt, & omnis Palæstinæ terra, præsertim circa Jerusalem, sancta habebatur. Christiani igitur ad montana in parvam civitatem Pellam, prope desertum in Syriæ finibus positam, se receperunt.

Matt. 24. 15. *Luc.* 21.

Euf. III. hist. c. 3. *Epiph. hær.* 7. *Nazar. item hær.* 29. *& de pond.* 30.

Cum Damascum nuntiatum esset, Romanos Jerosolyma depulsos, cives, Judæos omnes e vita tollere, decernunt. Timebant autem, ne uxores suæ, utpote ferme omnes Judæorum Religioni addictæ, quid moverent; igitur rem tantam clam mulieribus tenent, tum Judæos Gymnasio inclusos & inermes, quibus præterea inter parietum angustias defensionis locus non erat, omnes truculenter enecant, decies mille viros.

Jos. II. Bell. c. 41. *p.* 822.

Judæi Jerosolymitæ successu inflati, non solum Josephum Gorionis filium, & Ananum Anani filium, qui olim Pontifex, dignitatis Nomen servabat, Belli supremos

mos Duces constituunt, sed & singulis Provinciis Rectores, in qua distributione Josepho Sacrificatori, Mathiæ filio, Galilææ Præfectura obtigit, multum a contribulibus suis seditiosis, hoc munus ei invidentibus, vexatus. Hic est Josephus, qui Belli hujus Historiam litteris concredidit. Jerosolymæ Ananus omnia defendendæ urbi necessaria comparat; murorum ruinas reficit, in omnibus civitatis officinis arma cudit; illis, qui zelatores se ipsos faciebant, meliorem mentem, & communi conservationi salutarem indere in vanum conatus; adversus Simonem Gioræ filium, novam factionem condere molientem & depopulantem agros, armatas manus misit; Simon vero cum seditiosis Massadam fugiens, ibi securitatem, & eruptionibus Judæam, & Idumæam infestandi opportunitatem nactus est.

Sæculum I, A. C. 66.

Jos. II. Bell. c. 44. p. 828.

Cum Cestius pessimum Judææ statum Imperatori nuntiasset, tunc in Achaja degenti; non parum exterritus, in Cestium solum infelicis successus causam rejicere non dubitavit. Ipso itaque remoto militare Syriæ imperium Vespasiano tradit, qui illico Titum filium Alexandriam mittit, acceptas ibi duas legiones, quintam, & decimam in Judæam ducturum; ipse ex Achaja per Syriam terrestri itinere usus, illuc contendit. Hæc ferme in hoc bello

Jos. III. Bell. c. 1.

Sæculum I. A. C. 66.

bello anno J. C. sexagesimo sexto gesta, memoratu digna erant.

§. XXII.

S. Petri secunda.

Hier. epist. 150. *ad Hedib. qu.* 11.

Circa hujus anni finem, aut sequentis initium Apostoli SS. Petrus, & Paulus ultimas dedere Epistolas. Secunda S. Petri stilo a prima aliquantum differt, quia nimirum pro occasione diversis utebatur interpretibus. Ad eosdem directa est, nempe ad Fideles in Asia, Ponto, Cappadocia, & vicinis Provinciis di-

2. *Petr.* 3. 1. sperses, ait enim Apostolus: *Ecce secundam vobis scribo.* Etiam paulo ante mortem ejus scriptam fuisse, noscitur ex ver-

1. 14. 15. bis: *Certus sum, me brevi ex hoc tentorio egressurum*, id est, ex corpore, *sicut Dominus noster JEsus Christus mihi indicavit. Faciam autem, ut post mortem habeatis, meæ Doctrinæ monumentum.*

1. 10. Deinde exhortatur, ut bonis operibus vocationem suam certam reddant, & firmi-

1. 16. 17. ter teneant Doctrinam, quam eos docuit, non ex vanis rumoribus, sed ocularis testis gloriæ JEsu Christi, cum in monte Thabor testimonium æterni Patris ipsi redditum audierit.

3. 2. Doctrinam Prophetarum, & Apostolorum commendat, præsertim S. Pauli, *in*

3. 15. *cujus Epistolis*, inquit: *sunt res quædam intel-*

intellectu difficiles, quibus, sicut & aliis Scripturis ignorantes in suam perditionem abutuntur. Addit; sacram Scripturam sensu privato non esse exponendam, quoniam non voluntati humanæ, sed Spiritus S. inspirationi originem debet; monet, ut a Pseudo-Prophetis caverent, & Pseudo-Doctoribus, qui JEsum Christum Redemptorem negabant, veram Doctrinam, quam ignorabant, blasphemantes; qui fallaci sermone animarum mercaturam faciebant, ut suæ avaritiæ satisfacerent; qui potestatem superiorem contemnebant, in semetipsis complacentes; qui desideriis carnis, & impuris cupiditatibus serviebant; in voluptatibus transitoriis, conviviis, & deliciis felicitatem suam ponentes, noxiis affectibus pleni, & alios obtentu libertatis seducentes. Sic postquam mundum reliquerant, JEsu Christi Doctrinam professi; redibant ad vomitum.

Sæculum I. A. C. 66.

I. 20.

II. I. 12.

II. 3.

II. 10. 13.

II. 19. 19.

§. XXI.

Hæresis Nicolaitarum.

Hæretici, quorum in hac Epistola S. Petrus mentionem facit, quosque cum Balaam discipulis comparat, erant Nicolaitæ, a Nicolao septem Diaconorum Jerosolymitarum uno nomen sumentes. Huic Nicolao erat uxor formosa, cumque

Iren. l. I. c. 27 Clemens Alex. 3. Strom. Eus. III. hist. c. 29

Sæculum I. A. C. 66.

que Apoſtoli poſt Domini Aſcenſionem ei zelotipiam exprobraſſent, uxorem coram fratribus producit, facta facultate, cui vellet, nubendi; ſciebat vero nullum Fidelium eam accepturum. Tota familia ejus continentiæ laudem ſummam merebatur; filium habuit, qui cœlebs vixit; filiasque, quæ usque in provectiſſimam ætatem virginitatem ſervarunt; ipſe præter ſuam nunquam aliam cognovit; unde conficitur, ejus mentem a luxuria fuiſſe alieniſſimam, dumque velle uxorem dimittere ſimulavit, ſolummodo imputati zeli ſuſpicionem a ſe voluiſſe amoliri. In ſermone vocem unam ambiguam protulerat; carne eſſe abutendum, volens dicere, carnem eſſe mortificandam, nec uſui perverſo adhibendam. Simile verbum de S. Apoſtolo Mathia referebant; carne abuti oportere, id eſt, eſſe caſtigandam, & nihil voluptatis indulgendum. Quibus non obſtantibus hoc Diaconi Nicolai verbum, & de qua diximus, actio, non nullis occaſio fuit, Leges matrimonii contemnendi, Nicolai nomine, quem Sectæ auctorem mentiebantur, quaſi pallio tectis.

Iren. l.3.c.2. p. 257. Epiph. hær. 25.

Hi impudicitiis ſordebant, & ſine ſcrupulo Idolothytis veſcebantur. Ajebant; JEſu Chriſti Patrem non eſſe creatorem; aliqui quamdam *Barbelo* venerabantur, quæ ſecundum ipſorum opinionem

nem octavum cælum inhabitabat; ex Patre exierat, eratque mater *Jaldabaoth*, aut juxta alios *Sabaoth*, qui adhibita vi septimum cælum involaverat, dicebatque ad inferiores: *Ego sum primus, & noviſſimus, & non eſt Deus alius præter me.* Alii Deæ, quam honorabant, nomen *Prounicos*, tanquam Principum omnium cæleſtium Matri, dabant; & tam ſub uno, quam altero nomine eidem turpiſſimarum actionum infamiam tribuebant, ut ſuarum pudorem levarent. Alii libros, & confictas revelationes ſub nomine *d' Jaldabaoth* oſtentabant, & Poteſtatibus, Principibusque, quos in diverſos cælos diſtribuebant, barbara imponebant vocabula; uni eorum nomen *Caulaucauch* dederant, textum Iſaiæ male intelligentes, ubi hæc Hebraica leguntur: *Cau-la-cau, Cau-la-cau*, quibus impiorum inſolentia, Prophetæ ſæpius repetitis his verbis illudentium, exprimitur. Ita hi hæretici ignaros fallebant. Modico ſolum tempore Nicolaitarum nomen retinuerunt, ſed in plures Sectas diviſi, plura nomina ſortiti; præprimis vero communi nomine Gnoſticorum innotuere.

Sæculum I. A. C. 66.

Iſai 28. 10.

Euſ. III. hiſt. c. 29.

§. XXII.

Apollonius Romæ.

Eodem anno Neronis duodecimo, JEſu Chriſti ſexageſimo ſexto Apollonius

An. 66.

Sæculum I. A.C. 66.

Thyanæus Romam commigrat. Ab ea adhuc centum viginti ſtadia ſeu ſex leucas remoto, obviam factus quidam nomine Philolaus, ab hac profectione mentem ipſius avertere conabatur, quod tutus ab inimicis Romæ nullatenus futurus eſſet. Et profecto Nero Philoſophos oderat, ratus ſub Philoſophiæ pallio artem divinatoriam latere. Muſonium nemini, niſi ſoli Apollonio ſapientiæ fama inferiorem, in vincula conjecerat. Plerique Apollonii Diſcipuli conterriti, diverſa prætexentes, eum reliquerunt; ex triginta quatuor non plures octo perdurarunt, quos inter Menippus, Dioſcorides Ægyptius, & Damis. Apollonius ipſo periculo accendi videbatur, ut Romam iret, & oſtenderet, ut ipſe jactitabat, veram Philoſophiam nihil timere, & videret cominus, quale animal eſſet, Tyrannus. Ro-

c. 13. mam ingreſſum, Teleſinus ejus anni ſexageſimi ſexti Conſulum alter ad ſe vocat, de veſtitu, profeſſione, & qua ratione Deos veneraretur, percontatur; eumque in rebus, ad Religionem ſpectantibus, doctiſſimum expertus, omnia Templa adeundi facta facultate, Sacrificatoribus omnibus mandat, ut eum reciperent; Conſuli enim in Sacrificulos hæc poteſtas erat. Eidem etiam in Templis

c. 14. habitare juxta morem ſuum licuit. Igitur ex uno in aliud divertebat, inquiens;

æquum

æquum esse, ut nullus Deorum incultus præteriretur; suisque sermonibus omnes ad Deorum venerationem excitabat. Sine delectu hominibus quibuscunque loquebatur, nec Principum affectabat alloquium. Sæculum I. A. C. 66.

Demetrius Cynicus, Apollonii cultor eximius, Romam veniens, ea dicendi libertate in abusus, qui balneorum occasione committebantur, invectus est, ut cum Tigellinus, inter alios Neronis favore potentissimus, propterea urbe ejecerit, & quosdam eduxerit, qui sermones omnes Apollonii, & actiones observarent. Eo tempore sol eclipsin passus est, simulque tonitru auditum. Apollonius levatis in cælum oculis, inquit: *Quidquam magni eveniet, immo non eveniet.* Eo enim modo secure licebat præsagire. Tertia die cum Imperator cibum sumeret, fulmen incidens, poculum, quod bibiturus ori admovebat, excussit. Creditum est, Apollonium prædixisse, post diem tertiam parum abfuturum, ut Nero fulmine tangeretur. Tandem Apollonio quidquam sarcastice dictum excidit, §. 15. qua prensata occasione, Tigellino auctore ob læsum Cæsaris honorem accusatus est. Cum autem Tigellinus libellum accusationis inspecturus aperiret, alba papyrus sine ullo scripturæ vestigio apparuit; quod suspicionem ingessit, id fieri

Sæculum I. A. C. 66.

arte Dæmonis. Vocatum secreto Apollonium interrogat, quid ipse de Dæmonibus, & Phantasmatum apparitionibus sentiret; id ipsum, reponit ille, quod Judices de homicidis sentiunt, & impiis, sic tacite interrogantis crimina exprobrans. Se vero Divinatorem negavit, tanta locutus constantia, ut vehementer admiratus Tigellinus eum dimiserit; Apollonius Magos reputabat illos, qui Phantasmata suscitabant, qui per incantationes, aut unctiones fata mutare tentabant; & qui more Barbarorum sacrificabant. Ipse Cæremonias Græcorum servabat, seque omnia fatis concedere, & per scientiam sibi a Diis ultro communicatam futura prævidere dictitabat. Cum in Indiis esset, & Tripodes, aliamque supellectilem seipsis moveri cerneret, quomodo id fieret investigare noluerat.

Philost. lib. c. 4.

c. 16. Jam vero ad maximum Apollonii miraculum veniamus; cum esset adhuc Romæ, puella ex familia consulari parata ad nuptias, subito mortua videbatur. Supra lectum apertum sublimis ferebatur more Romano, & lamenta ingeminans sponsus sequebatur. Occurrens Apollonius, ait: *In terram demittite lectulum; tollam vestrarum lacrymarum causam.* Tum interrogat, quod nomen puellæ esset, & tangens eam, quædam verba imperce-

perceptibilia mussitabat; illico puella evigilans, cœpit loqui, & rediit in domum patris sui. Parentes ejus Apollonio magnam pecuniæ summam obtulerunt, ipse vero respondit, se eam filiæ in dotem dare. Ex illis ipsis, qui facto præsentes fuerunt, nemo eam fuisse mortuam affirmare ausus; vapor enim ex vultu surgebat, & ros de cœlo cadebat, quo facile factum, ut ex deliquio revocaretur. Hoc modo rem ipsi Apollonii admiratores retulerunt. Nero in Græciam discedens, edicto omnes Philosophos Roma exesse jussit. Apollonius viam in Hispaniam ingressus est. Sæculum I. A. C. 66.

§. XXIII.

Mors Simonis Magi.

Simon Magus eodem tempore Romæ erat, præstigiis omnium admirationem in se convertens. Imperator Nero vehementi non Musicæ magis, quam Magiæ studio tenebatur, hujus enim artis arcana si assequeretur, ipsos Deos in potestate futuros, sperabat. Hanc ut disceret, nec auro, nec labori pepercit; nihilominus omnibus Magorum promissis nihil magis, quam veritatem abesse, semper expertus est; ita ut frustrata Neronis curiositas posteris, nullam, & inanem hanc artem esse, illustre dederit argumentum. *Plin. lib. XXX. c. 2.*

Sæculum I. A. C. 66.

Sed cui liceret cum Nerone litigare? aut saltem, quæ peteret, supra humanas vires esse, innuere? & enimvero cuidam imperaverat, ut avium modo volaret; promisit ille, & hac spe multo tempore in aula nutritus est. In Theatro Icarum volantem sibi exhibere voluit, at in primo conatu miser decidens, & Neronis suggestui, quo spectaturus sedebat, allisus, eundem suo sanguine respersit.

Suet. Ner. 12.

Arnob. l. 2. in Gentil. Cyrill. Cat. 6. p. 54.

Sed etiam Simon promiserat, se in omnium conspectu avolaturum, & in cælum ascensurum, jamque reipsa ope Dæmonum in altum elevabatur; tum vero SS. Petrus, & Paulus in genua procidentes, simul orabant, invocantes Nomen JEsu Christi; illico hujus sanctissimi Nominis terrore fugatis Dæmonibus, Simon cecidit, & confractis cruribus jacebat in terra. Inde alio delatus est, verum doloris, & pudoris impatiens, ex editissimi loci fastigio se præcipitem egit. Ita Simon Magus Apostolorum virtute periit.

Sever. hist. lib. 2.

Aug. hær. 1.

Id factum immodice dolens Imperator eos in carcerem detrudi jubet. Sunt qui etiam privatam causam referunt, cur Nero S. Paulo irasceretur; is inter Cæsaris pellices charissimam non solum ad fidem converterat, sed etiam se turpi commercio subtrahere persuaserat. Uterque Apostolus servandam castitatem docebat, quod tam perversis temporibus

Chrys. in vit up. Mon. Ambr. in aux.

conci-

concitando Ethnicorum lethali odio satis erat. Sæculum I. A. C. 66.

§. XXIV.

Epistola II. ad Timotheum.

In hoc tempus ultimæ captivitatis secunda S. Pauli Epistola ad Timotheum, hucusque Ephesi degentem, commode referri potest; in quibus vinculorum suorum sæpius memorat Apostolus; *Ne erubescas*, inquit: *Domini nostri testimonium, nec me causa ejus vinculis onustum.* 2. *Tim.* 1. 8. Tum: *Omnia hæc propter Evangelii prædicationem sine confusione patior;* & iterum: *usque ad vincula laboro, sicut malefactor, sed verbum Dei non est alligatum.* 1. 12. Discipulum suum ad constantiam animat contra falsorum fratrum, & Doctorum persecutiones, & resistentiam. 2. 9. 1. 6. 7. *Scis*, inquit; *omnes, qui in Asia sunt, a me alienatos, quos inter Phygellus, & Hermogenes;* tunc inter falsos fratres recenset, quorum sermones sicut gangræna serpunt, Hymenæum, & Philetum; qui resurrectionem jam factam docentes, quorumdam fidem perverterant. 1. 15. 2. 17. 18. Ulterius Timotheum cavere jubet a sermonis vanitate, quæstionibus nihil ad rem facientibus, & litigiis, quod auditoribus scandalo sint, & rixas pariant, quæ non decent Dei famulum, hunc enim oportet 2. 14. 16. 23.

Sæculum I. A. C. 66.

esse mansuetum, docilem, patientem, & eos, qui veritati resistunt, modeste reprehendere; cum Deus eos sua gratia con-
2. 24. 25. vertere possit.

Præprimis Apostolus Timotheo com-
1. 13. mendat Doctrinæ Evangelicæ sacrum depositum. *Serva*, inquit: *sanæ Doctrinæ exemplar, quod tibi tradidi in fide,*
1. 14. *& charitate JEsu Christi, serva bonum depositum, per Spiritum S. qui habitat in*
2. 2. *nobis. Quod ex me audisti coram pluribus testibus, id viris fidelibus committe, qui id ipsum alios docere apti sint. Hic optimus modus est, quo Doctrina perpetuitati consecratur, si non tantum litteris mandetur, quæ in omnium manus incidunt, & seipsis satis claræ non sunt, sed ea viris selectis tradatur, quorum fides dignoscitur, ne doctrinam corrumpant, & capacitas, ut possint alios instruere; ita ut in finem sæculorum continua Patrum, & filiorum spiritualium, id est, Doctorum, & Discipulorum successione propagetur.*

Quam stricte Episcopus docere tenea-
4. 1. 2. tur, S. Paulus sequentibus denotat: *Obtestor te coram Deo, & Jesu Christo per ejus adventum, ejus judicium, & Regnum, prædica, insta opportune, & impor-*
4. 5. *tune, corrige, obsecra, reprehende in omni patientia. Vigila, labora ubique, opus Evangelistæ, & Ministerium tuum imple.*

Pergit-

Sæculum I. A. C. 66.

Pergitque: *Veniet tempus, ubi homines sanam Doctrinam sustinere non poterunt, sed relicta veritate fabulis vacabunt. Ubi nova audiendi pruritu Magistros secundum sua desideria quærent. Homines invenire erit amore proprio & omnis generis vitiis plenos, qui pietatis speciem habebunt, revera autem impios. Ex eorum numero sunt*, addit Apostolus: *qui se in domos, & mulierculorum animos insinuant, quæ in peccatis sunt, & variis desideriis agitantur. Sicut autem Jannes, & Mambres Moysi restiterunt, sic viri isti perversi resistunt veritati.* Horum duorum ex Ægypto Magorum nomina nullibi nisi hic in Scriptura occurrunt. 4. 3. 4. 3. 2. 3.

Sub finem epistolæ mortem suam esse propinquam his indicat: *Jam paratur meum sacrificium, & tempus liberationis meæ prope est.* Tum instat, ut Timotheus ante hiemem ad se veniat, additque: *Accipe Marcum, & adduc tecum, utilis enim mihi est in Ministerio. Affer mihi pallium grossum, quod Troade in domo Carpi reliqui, & libros, præsertim vero pergamenas.* Credibile est, has pergamenas juxta morem Judæorum sacram Scripturam continuisse. Hic etiam Apostoli paupertas apparet, qui tantis viarum spatiis Epheso Romam pallium sibi afferri petit. Præsentem suum statum his innuit: *Demas me derelicto, sæculi amore abstractus,* 4. 6. 7. 4. 8. 21. 4. 11. 13. 4. 9. 10. 12. *Theod. hic.*

Sæculum I. A. C. 66.

Theſſalonicam abiit; Creſcens in Galatiam, Titus in Dalmatiam; hi duo non ſuo lubitu, ſed Pauli juſſu in dictas Provincias diſceſſerant. Sub nomine Galatiæ aliis Gallia venit, idem enim apud Græcos vocabulum eſt, huicque opinioni conſonat, quod primus Viennæ Epiſcopus ponatur Creſcens, quem S. Pauli Diſcipulum dicunt. Tum ſubjungit: *Tychicum miſi Epheſum. Trophimum Mileti infirmatum reliqui. Eraſtus Corinthi manſit. Lucas eſt mecum ſolus. In prima mea defenſione ab omnibus derelictus ſum, ſed Dominus adjuvit me, & ex faucibus leonis liberatus ſum;* id eſt, a Neronis crudelitate. De Alexandro cuprifabro Epheſino habet, quod conqueratur. Contra Oneſiphorum dilaudat, quem fuiſſe tunc mortuum, oportet, cum eum in calce non ſalutet, ſed tantum ejus familiam. Deum orat pro eo, aitque: *Deus det ipſi gratiam, & miſericordiam in die illa,* id eſt, in die Judicii. Timotheum nomine omnium fratrum, qui Romæ erant, ſalutat, quos inter nominat Eubulum, Pudentem, Linum, & Claudiam. Iſte Pudens creditur eſſe ille ſenator, Pater Pudentianæ, & Praxedis. Linus vero ille eſt, qui S. Petro in Sede Romana ſucceſſit.

Ado Vienn. in Chron. Martyr. 27. Jun.

4. 20.

4. 16.

4. 14.

1. 16. 18.

Grot. hic.

4. 21.

§. XXV.

§. XXV.

Sæculum I.
A. C. 67.

Martyrium S. Petri & Pauli.

Apoſtolos in carcere Mamertino ad fundamenta Capitolii ſubterraneo novem menſibus cuſtoditos fuiſſe, ajunt; & duos excubitores Proceſſum, & Martinianum, propter miracula converſos, cum aliis quadraginta ſeptem captivis a S. Petro fuiſſe baptizatos. *Baron. ad Martyr. 14. Martii. Martyrol. 2. Jul. Ado de feſtiv. Apoſt. Ambr, in aux.*

Fideles Apoſtolis ſuaſerunt, ut fugerent, & S. Petrus quidem exceſſit, verum ad portam Civitatis JEſus Chriſtus ei apparuit, quaſi urbem ingreſſurus; cui Petrus: *quo vadis Domine!* & JEſus: *Romam vado, iterum crucifigi.* Tum S. Petrus apud ſe reputabat: *Chriſtus denuo mori non poteſt, ergo in me iterum crucifigendus eſt.* His in carcerem regreditur.

Nerone in Achaja morante, qui Romæ gubernabant, Apoſtolos capitis damnatos, uno die duci jubent, ut creditur vigeſima nona Junii, anno JEſu Chriſti ſexageſimo ſeptimo, Neronis decimo tertio. S. Paulo, tanquam Civi Romano, caput amputatum. S. Petrus tanquam Judæus, & homo vilis conditionis crucifixus. S. Paulus cum ad ſupplicium traheretur, tres milites convertiſſe dicitur, qui paulo poſt Martyrium ſubiere. Tria ab urbe milliaria ductus eſt ad aquas Salvianas, ubi hodie viſuntur tres aquæ fontes, *Clem. in ep. ad Cor.* An. 67, *Martyrol. 2. Jul.*

Sæculum I. A.C. 67.

tes, quos tunc miraculo exstitisse ferunt. Ibi supplicio affectum, Lucina nobilis Matrona Romana ejus corpus in suo prædio via Ostiensi terræ mandavit. S. Petrum trans Tiberim ductum in Regionem a Judæis habitatam in cacumine montis Janiculi crucifixerunt, ad cujus pedem in Tyberi erat destinatus Naumachiæ locus. Eum modo solito crucifigere parantibus, ait; indignum se esse, qui eo modo, quo olim Magister suus Christus, cruci affigeretur; sed inverso corpore affigi voluit. Corpus ejus in Vaticano, via Aurelia, seu triumphali prope templum Apollinis sepultum.

Orig. apud Euf. III. hist. c. 1. Hier. Script. de Pet. Prud- Peri. Steph. 12. Theodor. orat. de char. p. 609. Euf. VII. hist. c. 18.

Fidelium cura factum, ut Apostolorum, dum viverent, effigies depictæ fuerint; mos enim erat Gentilibus Benefactorum suorum servare imagines. Elapsis ducentis quinquaginta annis adhuc veræ effigies SS. Apostolorum Petri, & Pauli, immo & JEsu Christi ostendebantur. Erat S. Paulus capite calvo, naso aquilino, statura modica. S. Petri uxor jam ante fuerat Martyrio coronata; cum eam duci videret, lætatus, quod ad cœlestem Patriam vaderet, hortabatur, consolabatur, & proprio nomine compellans, ajebat; memento Domini. In matrimonio S. Petrus filiam susceperat nomine Petronillam, quæ illibata virginitate Romæ obiit. In Martyrologiis plures Martyres occur-

Lucian. Phil. part. p. 1122.

Clem. Alex. ep. strom. p. 756. Ado martyr. 31. May. Mart. Rom. 14. Mart. 15. Aprilis. 17. May. 2. Jul.

occurrunt sub Nerone Principe, præter eos, quos confícto incendii crimine sustulit. Illud vero indubitatum, Edicta contra Religionem Christianam publicari jussisse, quod, tantam hominum multitudinem ommisso Deorum cultu ad Christianorum castra transire, impatienter ferret. In Hispania sequentem inscriptionem alicubi inventam ferunt: Claudio Neroni Cæsari Augusto Summo Pontifici ob purgatam latronibus Provinciam, iisque, qui in Genus humanum novam superstitionem inferebant.

Sæculum I. A. C. 67.

Sulp. Sever. l. 2. Oros. l. VII. c. 5.

§. XXVI.

S. Linus. S. Clemens. Papæ.

S. Linus. S. Clemens.

Apostoli fundatam a se & ædificatam Ecclesiam Romanam S. Lino regendam tradiderunt, eidem cujus S. Paulus ad Timotheum meminit. S. Lino successit S. Clemens, aut S. Cletus, alio nomine Anacletus. Hos tres primos fuisse Romanos Episcopos constat, de ordine, &, quot quisque annis sederit, non ita liquet. Duodecim anni tribuuntur S. Lino, cum magis ad veritatem accedere videatur, eum non pluribus, quam uno, aut duobus annis Apostolis fuisse superstitem, ex quo sequeretur, fuisse ab Apostolis Episcopum Romæ constitutum, quam potestate subordinata regeret, sicut in aliis Ecclesiis fieri

Iren. III. c. 3. Epiph. hær. XXVII. n. 26. Euf. III. hist. c. 2. & Cit. an. 69. 2. Tim. IV. 21.

Sæculum I. A. C. 67.

fieri ſolitum. S. Clemens idem eſt, de quo S. Paulus ad Philippenſes. Is viderat Apoſtolos, & convixerat, eorumque præcepta, & exempla ante oculos ſemper retinuit. Ipſo ad clavum ſedente magnum in Eccleſia Corinthiorum ſchisma exortum; Laicis quibusdam in Presbyteros inſurgentibus, quidam ab officio depoſiti, quamvis eorum vitæ ratio eſſet inculpabilis; Hinc afflicta Corinthiorum Eccleſia ad Romanam ſcripſit, quasdam quæſtiones proponens; at non ita prompte Roma reſponderi potuit ob ingentes perturbationes, quibus poſt Neronis mortem totum Imperium concuſſum eſt.

Phil. 4. 3.

§. XXVII.

Bellum ſub Veſpaſiano.

An. 67.

Interim in Judæa bellum fervebat. Veſpaſianus, quem Nero bello præfecerat, ad initium anni ſexageſimi ſeptimi Antiochiam perveniens, Regem Agrippam cum copiis ſuis ſe exſpectantem invenit. Inde movit Ptolemaidem, ubi habitatoribus Sephoris Galilææ in fidem receptis, urbi eorum præſidium imponit. Titus, qui iter per Alexandriam inſtituerat, Ptolemaide ad Patrem venit, duas ex Ægypto legiones adducens; cumque ibi omnis Romanorum exercitus confluxiſſet, equitatum, peditatumque ſexaginta virorum

Joſ. III. Bell. c. 3.

rorum millia conficere apparuit, computatis etiam subsidiariis, non vero famulis. Subsidiarias autem copias Agrippa Rex Judææ, Antiochus Rex Comagenæ, Sohem Rex Emesi, & Malcus Rex Arabum adduxerant. Sæculum I. A. C. 67.

Vespasianus Galilæam ingressus, Gadarim primo assultu superatam, incendit. Vigesima prima mensis *Artemisius*, id est Maii, castra ad Jotapatam movet; illic Josephus Historicus Præsidio imperabat, deditque propugnationis specimen non vulgare, at tandem post quadraginta dierum obsidionem capta est urbs, & flammis vastata, prima mensis *Panemus*, id est, Julii, Neronis anno decimo tertio, JEsu Christi sexagesimo septimo. Quadraginta hominum millia ferrum extinxit. Josephus, qui se in cavernam abdiderat, inventus, maluit Romanorum captivitatem experiri, quam confratrum in eadem caverna detectorum sortem, qui se mutuis vulneribus peremerunt. Eum Vespasianus, facta vitæ gratia, inter captivos retinuit. Post hanc expeditionem copias Cæsaream ducit, ibique duabus legionibus in hyberna distributis, tertiam Scythopolim mittit. Judæi Joppen, a Cestio destructam, restauraverant; Vespasianus, nemine resistente obtentam, denuo vastari jubet. Tum ab Agrippa invitatus, ut Regnum ejus videret, Cæsarea

Bellum Judaicum. *ibid. c. 9. c. 23. p. 850.*

Sæculum I. A. C. 67.

sarea maritima ivit Cæsaream Philippis, ubi tribus septimanis copiæ eum comitatæ quiete levabantur, ipse festivis conviviis, & sacrificiis Gratias Diis agebat maximas.

Inde sufficientes copias misit, quæ Tiberiadem, & Tarichæam, urbes ad lacum Genesareth sitas, obsiderent, hæ quidem ad Regnum Agrippæ pertinebant, sed ad seditionem inclinatæ; quippe Agrippa non solum officii exhibendi causa Vespasianum ad se vocaverat, sed etiam ut imperium detrectantes terreret. Tiberias ultro portas aperuit, & Regis precibus datum, ne deprædationem, aut ignes pateretur. Tarichæa obsidionem sustinere ausa, octava *Gorpiee*, id est, Septembris capta, & pessumdata est; triginta captivorum millia, ementibus tradita, & in servitutem abstracta. Subactis reliquis Galilææ urbibus adhuc dum Giscala, mons Itabureus, seu Thabor, propugnaculis munitus, & Gamala in Galanitide Romanos non admittebant. Mons Itabureus jugum subiit, & paulo post mensis *Hyperberetee*, seu Octobris vigesima tertia unius mensis obsidione ad deditionem compulsa Gamala. Tum Vespasianus Cæsaream ad mare rediit, ut copias quieti daret, relicto Tito in Galilæa, Giscolam expugnaturum. Joannes filius Leviæ, qui cum factionis suæ seditiosis

Jos. IV. Bell. c. 1. &c.

ibid. c. 8.

ditiosis urbem tenebat, fingens se, quæ pacis essent, auditurum, altera die cum suis effugit Jerosolymam. Titus urbem servatam Præsidiariis committit. Sic factum ut tota Galilæa Romanis pareret. Tito Cæsaream reduce, inde Vespasianus profectus est, ut Jamniam, & Azotum ad obedientiam adigeret, quod ubi perfecit, victor rediit. Hæc mense Decembri anni sexagesimi septimi gesta. Sæculum I. A. C. 67.

§. XXVIII.

Discordia Judæorum. Zelatorum insolentia.

Judæorum in tota Palæstina tanta erat discordia, ut non solum in singulis civitatibus, sed & in singulis familiis dissiderent; his pacem, aliis bellum poscentibus. Illis autem bellum præplacebat, quibus juventus rerum omnium expers temeritatem augebat; horum ferociæ seniorum, & sapientiorum consilia decedere necessitas adegit. Primum egregii hi bellatores vicinorum domos expilabant, tum validioribus turmis juncti agros omnes depopulabantur, per omnia Romanis deteriores. Tandem agrestium spoliis exsatiati, undequaque convenientes in urbem Jerosolymam irruunt, tali tempore, quo nemo in tanta civitate reipublicæ *Joſ. IV. Bell. c. II.*

Sæculum I. A. C. 67.

habenas tenebat; nihilo minus tanquam copiæ auxiliatrices excepti sunt, cum præterea Jerosolyma quibuscunque Judaicæ Nationis esset communis patria. Sed brevi, quam præclaros auxiliatores recepissent, apparuit; minimum erat, quod impune furarentur, sed jam primi ordinis virorum cædes, non saltem tanta crimina occultantibus noctis tenebris, verum plena meridie perpetrabant. Antypam Thesauri publici cústodem, aliosque nobilitate, & auctoritate in urbe præcipuos, in carcerem detrusere, moxque eosdem, Romanis urbem voluisse tradere criminantes, indemnatos indefensosque jugulant. Sed & potentiorum in civitate æmulationes, quas factiosi maligne fovebant, eorum improbitatem non parum adjuverunt.

Tandem Ananus inter Pontifices senior, & sapientior populum in hos latrones excitavit; ipsi vero Templo in potestatem redacto, ibi se firmissime communiunt. Tum ut sibi apud populum venerationem crearent, & ostentarent potentiam, Pontifices sorte eligi voluerunt, eum antiquitus morem obtinuisse prætexentes. Igitur unam ex familiis Pontificalibus nomine Eniacim, aut Jacim, ordine duodecimam advocant, & sortibus missis, sors cecidit super quemdam nomine Phaniam, Samuelis filium ex oppido Aptha, hominem illiteratum, & agrestem,

1. *Par.* 24. 12.

qui

Sæculum I. A. C. 67.

qui vix tantæ Dignitatis nomen noverat. Nolentem ex agris accersitum, & vestibus sacris indutum, quæ facere deberet, docebant, insigni Religionis ludibrio.

Populus effrœnem licentiam ultra non ferens, Zelatorum tyrannidem comprimere statuit; hoc enim speciosum nomen sibi assumpserant seditiosi, Religionis zelo nequitiam tegentes. Civitatis Primores Gorion filius Joseph, Simeon filius Gamaliel, & Pontifices apud plebem inter cœteros maxime valentes, Jesus filius Gamalæ, & Ananus Anani filius c. 13. publice, privatimque stimulos populo addebant; Templum a Zelatoribus indignis modis prophanari querebantur, & si serviendum, honestius Romanis, totius orbis Dominis, serviendum, quam sceleratorum manipulo. His populus Zelatores in Templo invadit, quod eorum sanl. 14. p. 875. guine contaminatum. Ipsi, inimicis urgentibus, exteriori murorum circuitu depulsi, ad interiorem fugerunt, quo recepti, portas clauserunt. Ananus postes sacros vi perfringere timuit, & populum non purificatum in locum sanctum introducere.

Interim Joannes, qui Giscala auffu- l. 15. gerat, infrunita dominandi libidine actus, in omnibus populo consentire simulabat, ab Anani, aliorumque Ducum latere non discedens, ad assentationem obsequiosus,

Sæculum I. A.C. 67.

consiliorum omnium conscius. Cœterum proditor erat, omniumque, quæ decernebantur, ad Zelatores occultus delator. Populi Principes de fide, quam juraverat, non suspectum, ad Zelatores mittunt, ipsorum nomine de reconciliatione tractaturum. Ipse in Templum admissus, declarat, se ex partibus Zelatorum simpliciter stare, suadetque, omni mora abscissa suæ securitati consulerent; Ananum ad Vespasianum misisse, qui hortarentur, civitatem celeriter occuparet. Si ipsi caperentur, nullam vitæ spem fore; nec aliud supereſſe consilium, quam ut externa advocarent auxilia. Zelatorum capita erant Eleazar filius Simeonis, & Zacharias filius Phalec, ex stirpe sacerdotali ambo. His factu optimum visum, ad Idumæos mittere, nationem inquietam, & violentam, semper festivo animo in prœlia ruere paratam. Igitur epistolam scribunt; se in Templo obsideri, quod libertatem publicam defenderent. Ananum Romanos ad invadendam urbem sollicitasse. Quæ tamen criminatio erat conficta Joannis calumnia.

§. XXIX.

Idumæi advocati.

Idumæorum viginti millia præsto fuere; & advenientes quidem clausæ civita-

6. 16. 17. 18.

tis

Sæculum I. A. C. 67.

tis portæ aditu prohibuere, sed caliginosa procella, quæ nocturno tempore supervenit, inceptum promovente, a Zelatoribus secreto in urbem, & Templum admissi, junctis viribus primum excubitores, somno oppressos, deinde populum periculi inscium sternunt. Lux exorta, viros octies mille quingentos fuisse cæsos, detexit. Hic tamen Idumæorum furor non stetit. In civitatem erumpentes, prædas agunt, & obvios quosque cædunt; attamen præprimis in Sacrificatores desævitum. Ananum, & Jesum occidunt, & postquam illusere cadaveribus, insepulta projiciunt. Cum sublato Anano omnem servandæ civitatis spem præcisam fuisse, plerique crediderunt; hunc enim solum, hoc animi vigore, & rei gerendæ dexteritate, restituendæ paci parem fuisse. Ferale spectaculum! videre duos Pontifices, paulo ante sacro ornatu fulgentes, ab omnibus exteris, ex omnibus orbis partibus Jerosolymam convenientibus, divinis prope honoribus cultos, in publica via nudis corporibus projectos, canum, aliorumque ferarum dentibus expositos.

Præter jam memorata, Zelatores, & Idumæi immensam plebeiorum multitudinem, prout in quosque incidebant, obtruncarunt; si quos vero nobiliori stemmate ortos, aut juventute robustos nota- 1. 19.

Sæculum I. A. C. 67.

tassent, eos mittebant in carcerem, quod sperarent, eorum accessu suæ factionis numerum augeri posse; quod si facere detrectarent, diversis cruciatibus tortos necabant. Sic ad duodecim millia perierunt; sed etiam post miserorum mortem persecutorum crudelitas durabat, nam cadavera insepulta jacebant; vix nocturnis tenebris manu pauxillum pulveris in hæc corpora spargere licebat. Tanto timore populus arescebat, ut ne quidem gemere, aut lacrymari aliis videntibus auderent; nec aliter, quam obductis ostii pessulis, & postquam circumspexissent, an nullus lacrymarum proditor adesset, libere in lamenta solvi tutum erat.

lib. 5. *c.* 1. *p.* 883.

Præterea rarum exemplum Zelatores dederunt, quam religiose Justitiam colerent; Zachariam nempe, filium Baruch, virum non minus meritis clarum, quam opibus pollentem, accusarunt, quod urbem Romanis prodere voluisset, &, ut speciem legitimi judicii facerent, septuaginta judices constituerunt. Ipse causam suam constanter perorabat, crimina eorum in faciem exprobrans; accusatoribus autem non probantibus, communi judicum voce absolutus est. At Zelatores contra Judices exclamabant, duoque ex iis Zachariæ admoti, eum in medio Templi percutiunt, dicentes: hæc est nostra sententia; hæc absolutio securior est; tum Judici-

Sæculum I. A. C. 67.

dicibus probroſe ejectis, corpus ejus in proximum præcipitium agunt. Idumæos vero, talia cernentes, pœnitentia ſubiit, ſe veniſſe; cumque veritatem edocti, civium proditionem, crimen fuiſſe commentitium, reſciſſent, duobus millibus hominum, quos Zelatores in carceribus tenebant, in libertatem emiſſis, Jeroſolyma egreſſi ad propria rediere.

Poſt Idumæorum diſceſſum Zelatores liberius furere cœperunt. Gorionem, & Nigrum, nobiliſſimos quosque & civium optimos capite mulctant. Neminem amplius innocentia tuebatur, quem ipſi perdere quocunque prætextu conſtituiſſent. His offenſa, qua eorum iracundiam jam ante bellum incurrerant, nocuit; hos ſuperbia, quod eorum ſocietatem fugerent, damnavit, alios econtra nimia familiaritas, qui obſequium præſtabant, pro inſidiatoribus habebantur; & tot diſſimilium delictorum ſimilis pœna erat mors truculenta. Multi, ut ſe periculo mortis liberarent, ad Veſpaſiani caſtra confugerunt; verum id ipſum non diu licuit, poſitis ad portas, viasque ſpeculatoribus. Brevi velle ad Romanos tranſire ſummo crimini ducebatur, cujus ſola ſuſpicio multis capite ſtetit, ditioribus, in quos ſuſpicio cadebat, vita auro redimenda fuit. Occiſorum cadavera ſepelire novum crimen erat, hinc

Sæculum I. A. C. 68.

passim compita tegebantur funeribus. Ita egregii hi Zelatores, si Diis placet, divina, humanaque jura proculcabant, sacrorum omnium, præsertim vero Prophetiarum, quas ignari adimplebant, irrisores.

At inter ipsos quoque divisionem Joannis de Giscala ambitio invexit, cum imperare illis cuperet, qui ipsi obedire nollent. Quibusdam tamen ipsum sequentibus, a mutuis insidiis cavebant, parum mali vero invicem sibi intulere, summa enim laboris erat, quinam eorum plures prædas, & opimiores ex populo cogerent. Alia ex parte Sicarii Massadam castrum prope urbem occupaverant; hi, cum Romanos quiescere cernerent, nocte Paschatis erumpentes, captum oppidum Enggaddi deprædantur, eadem sors circumjacentes pagos afflixit. Tum ad deserta declinantes, omnia cædibus, & rapinis vastant, ut ad exemplum Jerosolymæ, nulla pars Palæstinæ latrociniis esset exempta.

Ea omnia Vespasianum minime fugiebant, qui consulto cunctabatur, ut interim Judæi proprias vires acciderent, dum miles suus quiete reficeretur. Excitantibus tamen maxime transfugis, ut tantis miseriis Patriam liberaret, omnia ad Jerosolymæ obsidionem comparabat;

&

& ut nullus supereſſet a tergo hoſtis, qui movere quidquam poſſet, Gadarim, Regionis ultra Jordanem Metropolim, exercitum ducit, quo etiam a civium optimis vocatus fuerat. Quarta *Diſtrus*, ſeu Martii, urbem hanc ingreſſus eſt, anno ſexageſimo octavo. Seditioſi hinc auffugerant; ſed Placidus cum equitatu eos inſecutus, prælio fundit; quindecim virorum millia neci data ſunt, duo millia ducenti vinculis; necdum computatis iis, quos Jordanis aquæ magno in numero ſuffocarunt. Sic factum, ut tota Regio ultra fluvium, usque ad lacum Sodomorum pacata Romanisque ſubjecta quieſceret, ſi unicum caſtrum Macheron excipias.

Sæculum I. A. C. 68.

An. 68.

§. XXX.

Rebellio in Neronem. Ejus mors.

Inter hæc Veſpaſiano nuntiatum, Gallos, Duce Julio Vindice, contra Neronem rebellionem movere; inde bellum civile auguratus, Judaico, quam promptiſſime poſſet, finem facere decernit. Vere ineunte Cæſarea cum copiis movens verſus meridiem, totamque Judæam, & Idumæam percurrens, utrique vaſtitatem intulit, rediitque Emmaum ad caſtra ſua firmiſſime obvallata, ut arctius Jeroſoly-

Joſ. V. Bell. c. 26. &c.

Sæculum I. A. C. 68.

ſolymam premeret. Inde ad Septentrionem verſus eſt, ut Samariam in poteſtate haberet; rurſusque ad Orientem flexo itinere, tertia *Deſius*, id eſt, Junii, Jerichuntem venit. Ibidem Trajanus, ſuorum Ducum unus, copias, quas trans Jordanem habuerat, jungit. Veſpaſianus Jerichunti, a ſuis deſertæ, militem immittit, item Geraſæ, ad lacum Genezareth poſitæ. Tumque Præſidiariis, ubicunque neceſſitas poſtulare videbatur, impoſitis, Cæſaream revertitur, ut ſe itineri ad oppugnandam Jeroſolymam univerſis viribus accingeret, cui undequaque incluſæ nullius externi auxilii ſpes erat relicta.

Cum Nero Neapoli ageret, eadem, qua Matrem ſuam ante aliquot annos necaverat, die relatum eſt, Vindicem arma rebellia movere. Non ideo in animum pervaſit timor, multum quippe fiduciæ in quibusdam vaticiniis poſuerat, quæ ipſi & urbis Jeroſolymæ, & Orientis Dominatum promittebant; at vero Prophetiæ erant de futuro Meſſiæ Regno, in ſenſu perverſo ad Neronem applicatæ. Non modicum præterea Neroni ſolatium in rebus adverſis illud creabat, quod, ſi Imperio Romano dejectus, ad ſortem privatorum redigeretur, ſaltem ad victum neceſſaria ſibi ex arte Muſica comparare poſſet; ejus enim in hac arte excellendi

inſania,

Sæculum I. A.C. 68.

insania, omnibus, præter ipsum, erat notissima. Cum vero etiam Hispaniam, cui Galba præerat, obedientiam detrectare afferretur, perterrefacto, & vox, & sensus excidere. Sed & nova itentidem succedente timoris causa Cæsaris mens obruebatur, nuntiabant enim Rufum quoque, qui legionibus in Germania præfectus fuerat, Imperatorem ab exercitu salutatum; rursusque Rubrium Gallum, a se ipso contra Rebelles missum, cum iisdem in Cæsarem arma vertere. Tandem a Prætorianis desertus, amissa servandi Imperii spe, ut vitæ consuleret, vili veste tectus, Roma excessit, quatuor comitantibus libertis, quorum unus domum habebat, quatuor millibus urbe dissitam; ibi quibusdam referentibus, hostem Patriæ a Senatu declaratum, suo arbitrio mortem appetendi desiderium subiit; jamque imminentium equorum strepitum audiens, tremula manu, quam comitum suorum auxilium obfirmabat, viam efflandæ animæ aperuit, seque meritis suppliciis eripuit. Annos ætatis numerabat non plures triginta duobus, ex quibus tredecim, & octo mensibus imperaverat. Extinctus est nona Junii, anno JEsu Christi sexagesimo octavo, qua etiam die Octaviam uxorem Claudii Imperatoris filiam peremerat. Rumor de eo in vulgus sparsus est, non esse mortuum;

Suet. Ner. 40. *&c. Xiphil. in Ner. p.* 196.

An. 68.

Tacit. 2. hist. Sever. 2. hist. & Dial. 2. in fin.

Sæculum I. A. C. 69.

tuum; & sub ejus nomine quidam impostor apparuit. Quibusdam Christianorum creditus est Anti-Christus, sub finem mundi rediturus.

§. XXXI.

Galba. Otto. Vitellius.

Galba. Otto. Vitellius.

Tacit. l. 1. hist. Suet. Xiphil.

An. 69.

Galba Imperator salutatur, septuaginta duorum annorum vir. Septem vero non amplius mensium regnum fuit, nam cum avaritia militum odium incurrisset, decima quinta Januarii, anno JEsu Christi sexagesimo nono Romæ interfectus est. Ei suffectus Otto, Neronis olim amicorum intimus, tum Lusitaniæ Præfectus; attamen eodem ferme tempore, nimirum tertia Januarii exercitus inferioris Germaniæ Ducem suum Vitellium Imperatorem proclamavit. Venit ipse in Italiam, & initio quidem Otto æmulum armis arcere tentaverat; at paulo post de successu desperans, seipsum interimit vigesima prima Aprilis, postquam regnasset tribus mensibus, seu nonaginta quinque diebus; triginta, & octo annos natus.

Jos. V. Bell. c. 6. Tac. hist. init.

Vespasianus, Cæsareæ redux, obsidendæ Jerosolymæ exercitum admovere parabat; cum de Neronis morte nuntiatum est; quo comperto expeditionem distulit. Filium suum Titum ad Galbam mittit,

Sæculum I. A. C. 69.

mittit, ejus mandata accepturum; ivit Titus, ſed paulo poſt Cæſaream ad Patrem redit, nuntium de occiſo Galba, quod in Achaja reſciverat, afferens. Veſpaſianus Romanum Imperium vacillare cernens, exſpectare voluit, qualem domi faciem fortuna indueret, priusquam contra exteros bellum proſequeretur.

§. XXXII.

Veſpaſianus Cæſar.

Poſtquam Cæſareæ Ottonis mors, & Vitellii electio innotuit, exercitus Veſpaſianum in Romanorum Imperatorem etiam invitum proclamat, quod cum importunitate victus acceptaſſet, filium Titum Alexandriam mittit, ut Tiberium Alexandrum Ægypti Præfectum, & duas legiones, quæ ibi erant, in ſuas partes traheret, quod facile obtinuit; & Tiberio jubente, legiones prima Julii ejusdem anni JEſu Chriſti ſexageſimi noni Veſpaſiano fidem jurarunt. Veſpaſianus Imperator omnium primo Berytum profectus, Mutianum Syriæ Præfectum ad ſe venientem ſuſcepit; tumque Antiochiam ſimul veniunt, unde Veſpaſianus Mutianum, valido cinctum exercitu, in Italiam præmiſit. *Joſ. V. Bell. c. 10. ibi. c. 11.*

Dum Veſpaſianus Antiochiæ commoratur, conveniente quadam die in Thea-

Sæculum I. A. C. 69.

Theatrum populo, Judæus nomine Antiochus contribules ſuos, & ipſum parentem, in quem ira exarſerat, accuſat, quod una nocte urbi ignes ſubjicere voluiſſet, & ſimul Judæos aliquos exteros facti complices tradit; illico populus in furorem actus, traditos complices in Theatro vivos comburit, & omnibus Judæis manus injicere cœpit; iram exacuebat Antiochus, & ut ſe Judaiſmum abjurare probaret, more Paganorum Sacrificium obtulit, ſuadens, omnes Judæos ad hæc Sacrificia compellendos, detrectantes vero ut Patriæ proditores puniendos. Pauci fuere, qui ſacrificarent, plures autem, quod repugnarent, interfecti ſunt. Cum conſtet, valde magnum Fidelium circumciſorum numerum Antiochiæ fuiſſe, credibile eſt, eosdem cum Judæis hac occaſione damnatos, nullo inter Judæos, aut Chriſtianos facto diſcrimine. Huic conjecturæ conſonat, quod S. Evodius Epiſcopus Antiochenus eodem anno memoretur mortuus, Veſpaſiani primo, JESU Chriſti ſexageſimo nono, poſtquam hanc Eccleſiam rexerat ab anno quadrageſimo tertio, id eſt, viginti ſex annis; inter SS. Martyres numeratur, fuitque primus poſt S. Petrum hujus Eccleſiæ Epiſcopus. S. Evodio ſucceſſit S. Ignatius, ſicut & ille, Apoſtolorum Diſcipulus, qui Sedem Epiſcopalem quadraginta annis tenuit.

Joſ. VII. Bell. c. 9.

Euſ. Chron. an. 69. & III. hiſt. c. 22.

Orig. hom. 6. in Luc.

Ante-

Sæculum I. A. C. 69.

Antequam dies decima quinta Julii illuxisset, tota Syria Vespasiano fidelitatem juraverat. Reges vicini Sohem, Antiochus, & Agrippa, immo Asia, & Achaja Imperatorem agnoverunt. Antonius in Mœsia belli peritissimus vir pariter ad Vespasiani partes transiit; is Legionem unam contra Vitellium in Italiam ducit, ejusdem copias cædit, venitque Romam, ubi cum Mutiano viribus junctis in media urbe Vitellii exercitum devincunt; ipse indigna passus, occisus, & in Tiberim projectus, decima tertia Octobris anno JEsu Christi sexagesimo nono, postquam regnasset menses octo, & dies quinque, vixissetque quinquaginta sex annis. Mutianus, dum Vespasiani adventus exspectatur, interim Domitianum filium ejus secundo genitum populi Principem constituit.

Tac. 2. hist. c. 21.

Tac. 3. hist. Jos. V. Bell. c. 13.

Sueton.

Hæc Vespasiano, Alexandriæ commodum navigationi tempus exspectanti, relata sunt. Illuc jam ante Cæsaris adventum Apollonius Thyanæus venerat, ubi quo crassiores dominabantur superstitionis tenebræ, eo majorem quam alibi Ægyptiorum admirationem creabat. Immodicam populi Alexandrini in lusus, & decursiones equestres propensionem verbis gravissimis reprehendebat, namque æmulationis ardor eo nonnunquam processerat, ut lapidibus, & gladiis in mutua

Philos. vit. V. c. 8.

c. 9.

Sæculum I. A. C. 69.

tua vulnera prorupiſſent. Veſpaſianus, qui Apollonium noverat, quamprimum Alexandriæ adveniſſet, ad ſe vocatum, tanquam virum Numine plenum honorat, tum ab eo, aliisque duobus Philoſophis, Euphrate, & Dione, quid ſibi rebus adeo proſperis factu optimum foret, conſilia exquirit.

c. 10. 11. *&c.*

Tacit.4. hiſt. Suet. Veſp. n. 7.

Quædam illo tempore Alexandriæ prodigia viſa ſunt, quæ Apollonii artibus tribui poterant. Veſpaſianus nemine comitante Serapidis Templum ingreſſus, quaſi Deum conſulturus, poſt fuſas preces, ut ſibi propitium redderet, reſpiciens, vidit libertorum ſuorum unum nomine Baſilidem, ſibi pro more vervenam, coronas, & liba offerentem. A nemine fuiſſe introductum ſciebat, eumque a multo tempore ob nervorum debilitatem incedere non poſſe. Dimiſſis curſoribus compertum eſt, ipſum ea ipſa hora octuaginta milliaria, id eſt, ultra viginti ſex leucas abfuiſſe. Nomen ejus Baſilidis, quod Græce Regale ſonat, bono augurio fuiſſe, creditum.

Tacit.4.hiſt. Suet. Veſp. n. 7.

Iisdem diebus cœcus quidam ex populo Alexandrino ad genua Imperatoris provolutus, ajebat cum gemitu: *Deus Serapis juſſit me ad te venire, ut viſum recipiam; hanc ſolam rogo gratiam, ut oculos meos conſpuas.* Alius, cui manus erat infirma, ejusdem Dei juſſu rogabat,

ut

ut eam pedibus calcaret. Hæc primo Vespasiano risum movere, ipsisque urgentibus, ut faceret, nihilominus ne in virilem gravitatem peccare videretur, recusavit; Medicos tamen sententiam dicere jubet, num hæ oculorum, manusque infirmitates humana virtute curari non possent; respondent Medici; cœcum posse lumen recipere, si obstacula amoverentur; alteri manus articulos loco naturali esse dimotos, sed restitui posse. His auditis Vespasianus rei periculum facere statuit, vultuque ad hilaritatem composito, coram omni multitudine hominum, quos rei insolitæ exspectatio suspendebat, quæ petebatur, fecit; protinus cœco lumen rediit, & manu capto firmata est manus. In his omnibus nihil erat, quod vires Dæmonis superaret, cum, Medicorum judicio, his infirmitatibus naturaliter remedia non defuerint, sed sola sanitatis recuperatæ promptitudo similitudinem prodigii retulerit. Sæculum I. A. C. 69.

Hæc miracula seu vera, seu falsa illos, quibus opinio insidebat, Vespasiani electionem Deorum Numine factam, in sua mente multum confirmarunt. In toto Oriente antiqua traditio credebatur, in oraculis sacrorum librorum fundata; ex Judæa Gentium Domitores orituros, qui universum orbem subjicerent. His reipsa JEsu Christi Regnum spirituale, A- *Suet. Vesp. c. 4. Tac. 5. hist.*

 posto-

Sæculum I. A. C. 69.

postolorum Prædicatione dilatandum, fuerat prædictum; at Judæi ea de se ipsis intelligebant, quo eorum in rebellione pertinacia maxime augebatur; nec enim solummodo se a jugo Gentium liberatum iri sperabant, sed etiam orbi universo dominandi spem insanam in sinu fovebant. Gentiles hanc Prophetiam ad Vespasianum referebant, nec ex Judæis defuere, qui eidem cum cœteris adularentur; ipse Josephus Historicus, cum caperetur, magna fiducia ad Vespasianum dixerat: *Brevi me vinculis eximes, cum fueris Imperator.* Alii Vespasianum, quantumvis Idololatram, ipsum esse Messiam putarunt; & forte ex hac ipsa ratione, ut adimpleret oracula, prædicentia; Messiam Principem pacis futurum; Vespasianus Romæ magnificum Pacis Templum condidit, cujus rudera adhuc dum videntur, & inscriptiones, quibus apparet, hoc Templum fuisse Paci æternæ sacrum. Sub hujus anni sexagesimi noni finem Vespasianus in Italiam navigavit; Titum vero filium in Judæam cum copiis misit, ut bellum consummaret. Ipsum totius Imperii Romani subditi quiete Imperatorem venerati sunt, regnavitque pacifice decem annis.

Joſ. VII. Bell. c. 12. p. 961.

Suet. c. 5. Joſ. III. Bell. c. 27.

§. XXXII.

Sæculum I.
A. C. 69.

§. XXXIII.

S. Clementis Epiſtola ad Corinthios.

Bello civili Romæ extincto, & commercio inter Provincias Imperii reſtituto, S. Clemens ſeu jam Papa, ſeu adhuc dum ſimplex Sacerdos Epiſtolam ad Corinthios cauſa diviſionum, quæ illam Eccleſiam turbaverant, reſponſoriam dedit. (*) Initium eſt hujus tenoris: *Eccleſia Dei, quæ eſt Romæ, Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi; Illis, qui vocati, & ſanctificati ſunt per voluntatem Dei in Domino noſtro JEſu Chriſto. Gratia, & Pax omnipotentis Dei per JEſum Chriſtum in omnibus vobis augeatur, & mutua ſit. Merito timemus, chariſſimi fratres! ne afflictiones, quæ nobis acciderunt, nimis diu noſtram attentionem impedierint, veſtris quæſtionibus debitam, quas nobis propoſuiſtis, occaſione impiæ,*

Epiſcopi Romani conſuluntur.

(*) Ecce! antiquiſſimum, & clariſſimum Teſtimonium! quantæ Auctoritatis SS. Pontifices, & Eccleſia Romana fuerint, tempore Apoſtolis proximo, imo cum S. Joannes Evangeliſta adhuc viveret. Cæterum non videtur eſſe dubio locus, quin S. Clemens jam Pontifex hanc epiſtolam ſcripſerit. Certe omnia ſummam Auctoritatem ſpirant.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sæculum I. A. C. 69.

impiæ, & deteſtabilis ſeditionis, charitati Electorum Dei adeo adverſæ, quam parvus numerus inſolentium, & præfervidorum hominum excitavit; eo usque, ut fama veſtra, antea celebris, venerabilis, & amabilis omnibus hominibus, non parum detrimenti paſſa ſit. Quis enim erat, qui, vel modico tempore vobiſcum converſatus, veſtram virtutem, & fidei firmitatem non æſtimaret? Quis non ſapientiam, & Chriſtianam veſtræ pietatis diſcretionem admirabatur? Quis non hoſpitalitatis veſtræ magnificentiam deprædicabat? Quis non ob ſcientiæ veſtræ perfectionem, & certitudinem inter feliciſſimos numerabat? Omnia ſine acceptione Perſonarum agebatis, in Lege Dei ambulantes, & Paſtoribus veſtris ſubjecti. Honor debitus ſenioribus exhibebatur; juniores docebantur honeſte, & moderate ſentire; Mulieres in omnibus actionibus conſcientiam puram, & caſtam ſervare; amare viros ſuos, ſicut tenebantur; manere in ſubmiſſione; unice rem domeſticam curare cum magna modeſtia.

Omnes in humilitate unanimes eratis, ſine vanitate, magis quærentes obedire, quam aliis imperare, magis dare, quam accipere; iis contenti, quæ Deus pro hujus vitæ peregrinatione concedit; verbum Dei ſcrutantes, ſervabatis illud

in

Sæculum I. A. C. 69.

in cordibus vestris, Doctrinam ejus semper ante oculos habentes. Sic profundæ pacis dulcedine fruebamini, eratque bene faciendi desiderium inexplebile; inde pleni Spiritu S. omnibus omnia eratis. In bona voluntate, zelo, & sancta fiducia ad Deum omnipotentem manus elevabatis, supplicantes, ut vobis peccata fragilitatis remitteret. Diu, noctuque laborabatis pro omnibus fratribus, ut numerus Electorum Dei per suam misericordiam, & eorum puram conscientiam salvaretur. Sinceri, innocentes, injuriarum immemores fuistis. Omnis seditio, aut divisio vobis horrorem incutiebat. Peccata proximi deflebatis, peccata eorum tanquam vestra reputantes. Omne genus boni agebatis hilariter, in iis etiam perseverare parati. Talis vita virtutibus conspicua, & omni veneratione digna, vestrum erat ornamentum; omnia in timore Dei faciebatis, erantque præcepta ejus in tabulis cordi vestri descripta. In gloria fuistis, & in abundantia; & impletæ sunt Scripturæ: Bibit, & manducavit Dilectus, & vixit in abundantia, impinguatus est, & recalcitravit. Inde nata est invidia, contentio, seditio, persecutio, tumultus, bellum, captivitas. Vilissimi omnium in viros spectatos insurrexerunt, insensati contra sapientes, juvenes contra

Deut. 32. 15

Sæculum I. A. C. 69.

senes. Hinc justitia, & pax fugata, ex quo timor Dei defecit, obscurata est fides, & nemo Leges sequi voluit, aut JEsu Christi præceptis obedire; sed mala desideria secutus est unusquisque, injustæ, & impiæ invidiæ cedens, per quam mors in hunc mundum intravit.

§. XXXIV.

Testimonium Martyrii Apostolorum.

Deinde plura exempla veteris Testamenti affert, ut pessimos effectus invidiæ demonstret, incipiens a Cain. Additque: *Mittamus hæc exempla antiqua, & illustrissima nostri temporis inspiciamus, illorum nempe Athletarum, qui sub nostris oculis decertarunt. Propter invidiam, & æmulationem Fideles, & Justi, Ecclesiæ Columnæ, usque ad mortem crudelissimam persecutiones passi sunt. SS. Apostolos in mentem revocemus; propter invidiam injustam passus est Petrus, non semel tantum, aut bis, sed sæpius, & ita completo Martyrio, in sedem gloriæ sibi debitam, transivit. Propter invidiam Paulus suæ patientiæ pretium reportavit; postquam vincula septies tulit, virgis cæsus est, & lapidatus. Postquam in Oriente, & Occidente prædicavit; & totum mundum justitiam docuit.*

Sæculum I. A. C. 69.

cuit. Tandem ad extrema Occidentis veniens, ſub Rectoribus Martyrium ſuſtinuit. Liberatus eſt ab hoc mundo, & in locum ſanctum translatus, nobis patientiæ exemplum relinquens. His viris, quorum vita cæleſtis fuit, magna Electorum multitudo juncta eſt, qui ex aliorum invidia opprobria, & tormenta paſſi, eximium nobis exemplum dederunt. S. Clemens hic de Neronis perſecutione loquitur. Quod dicat, S. Paulum ad Occidentis extremitatem veniſſe, ejus profectionem in Hiſpaniam innuere videtur. Rectores vero, ſub quibus paſſum eſſe dicit, ſunt, qui, Nerone in Achaja degente, urbi præerant.

Tum Corinthios exhortatur ad pœnitentiam, a Noe omnium temporum exempla afferens. Fidelitatem, & obedientiam in Deum adducto Henoc, Noe, Abraham aliorumque exemplo commendat. Exhortatur ad charitatem, ſinceritatem, & humilitatem ad JEſu Chriſti, & Sanctorum veteris Teſtamenti exemplum. Dei Beneficia ante oculos ponit, & his verbis pergit: *Æquum ergo eſt,* n. 21. p. 102. *ne a Dei voluntate declinemus, ſicut transfugæ, ſed potius hominibus imprudentibus, & inſenſatis diſpliceamus, qui ſe extollunt, & in ſermonis vanitate gloriantur. Dominum JEſum Chriſtum timeamus, cujus ſanguine redempti ſumus.*

Sæculum I. A. C. 69.

mus. Pastores nostros veneremur, seniores honoremus, juniores in timore Dei instruamus. Uxores nostras corripiamus, ut castitas, amabilis illa virtus, in earum conversatione reluceat, sinceram mansuetudinem ostendant, ex earum silentio appareat, quod linguam suam moderentur; charitatem suam non secundum inclinationes suas, sed æqualiter omnibus timentibus Deum exhibeant. Liberi nostri sint Christiane instructi; discant, quanta vis humilitatis, & puræ charitatis sit coram Deo. Quam pulchrum, & magnum sit timere Deum; cum timor Domini potens sit salvare eos, qui sancte in puritate cordis vivunt; Deus enim cogitationes, & desideria scrutatur. Spiritus ejus in nobis est, & cum voluerit, aufferet eum.

Tum S. Clemens in exhortatione ad Corinthios pergens, resurrectionis memoriam inducit, & plura exempla dat ex ipsa natura traducta, inter alia exemplum Phœnicis; in quo sine examine communem opinionem sequitur, tunc adeo receptam, ut Tacitus eam in sua historia tanquam rem seriam referre non hæsitaverit. Ulterius S. Clemens potentiam, & bonitatem Dei repræsentat, gloriæ ejus magnificentiam, Angelosque clamantes Sanctus, Sanctus, Sanctus. Et hunc in modum prosequitur: *Nos igitur etiam congre-*

n. 15. *Tac.* 6. *annal. an.* 787.

n. 34. *p.* 107.

Sæculum I. A. C. 69.

congregati, & uniti corde, fortiter uno ore ad Deum clamemus, ut magnæ, & insignis promissionis fiamus participes; ait enim Dominus: Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cogitationes hominis incidit, quanta bona præparaverit in se sperantibus. Quam prospera, & admirabilia sunt Dei dona! Charissimi fratres! vita cum immortalitate, splendor cum justitia, veritas cum libertate, fides cum fiducia, continentia cum sanctitate! & hæc omnia jam nunc comprehendimus; quanta ergo esse oportet ea, quæ sperantibus in se præparavit? Creator omnium, Pater sæculorum, fons sanctitatis? Ipse solus eorum pulchritudinem, & magnitudinem cognoscit. Omnibus igitur viribus contendamus, ut ex eorum numero simus, qui sperant in eum, & promissorum simus participes. Quomodo autem hoc efficiemus? Charissimi fratres! tunc nimirum, si ea quæramus, quæ Deo grata sunt; si, quæ divinæ voluntati concordant, adimpleamus; si semitam veritatis sequamur; & omnem injustitiam, avaritiam, contentionem, malitiam, fraudes, murmurationes, detractiones, impietatem, superbiam, vanitatem, ambitionem ex cordibus nostris rejiciamus. Tumque: *Hæc est via, charissimi fratres! qua pervenimus ad JEsum Christum Salvatorem nostrum, oblationum*

Isa. 64. 4. 1. Cor. 2. 9. n. 36.

Sæculum I. A. C. 69.

tionum noſtrarum Summum Pontificem, qui nos gubernat, & fragilitatem adjuvat. Subjungit JEſu Chriſti laudes iisdem verbis, quæ initio Epiſtolæ S. Pauli ad Hebræos inveniuntur. Deinde ita proſequitur:

n. 37. p. 109. *Conſideremus arma geſtantes ſub Principibus noſtris; quam pulchro ordine, & ſubjectione mandantis juſſa exequantur; non omnes ſunt Præfecti, non omnes Tribuni, non omnes Centuriones, ſed quilibet in ſuo ordine mandata Imperatoris facit, aut ejusdem locum tenentium. Majores non poſſunt ſubſiſtere ſine minoribus, nec minores ſine majoribus, ſed ſingulis rebus uſus ſuus eſt, & dependentia. Loquamur de corpore noſtro; caput ſine pedibus nihil eſt, nec pedes ſine capite. Minimæ noſtri particulæ toti corpori ſunt neceſſariæ; omnes vero in unum conſpirant, & conſervationi totius ſunt ſubordinatæ. Totum ergo corpus veſtrum in JEſu Chriſto conſervetur, & unusquisque proximo ſuo ſubditus ſit in eo gradu, in quem per gratiam poſitus eſt. Valens infirmum non negligat, infirmus valentem revereatur; dives det pauperibus, & pauper agat gratias Deo, quod dederit ſibi hominem, qui ſuam inopiam ſublevet. Sapiens oſtendat ſapientiam ſuam, non in ſermonibus, ſed bonis operibus; qui humilis eſt, ſibi*

Epiſtola S. Clementis Papæ.

Sæculum I. A. C. 69.

sibi ipsi testimonium non reddat, sed ab alio accipiat. Qui puritatem carnis servat, ideo non infletur, sciens, quod donum continentiæ a se non habeat. Reflectamus, fratres mei! quomodo formati fuerimus, & quomodo in hunc mundum ingressi simus, quasi ex tumulo, & tenebris exeuntes. Qui creavit nos, induxit in mundum, ubi prius beneficia sua nobis præparaverat. Cum igitur tanta bona ab eo acceperimus, ad agendas gratias obligamur. Ipsi sit Gloria per Sæcula Sæculorum. Amen.

§. XXXV.

Ministerii Ecclesiastici ordo.

Cum hæc omnia clare cognoscamus, & scientiæ divinæ altitudinem perspiciamus, ordinate, quæ singulis nostrum Deus imposuit, faciamus. Jussit autem, ut suis temporibus oblationes, & officia exhibeamus, non negligenter, & nullo ordine, sed diebus, & horis constitutis; & ipsimet suprema sua voluntate ordinare placuit, quando, & a quibus hæc officia adimpleantur, ut sancte peracta sibi essent accepta. Illi igitur, qui suas oblationes constitutis temporibus ferunt, felices Deo placent, & non peccant cum legem Domini observent. Sunt peculiares functiones S. Pontifici, habent Sacrificatores locum sibi destinatum, est Levitis officium sibi proprium; n. 40. p. 110.

Sæculum I. A. C. 69.

prium; homo Laicus præceptis sibi expedientibus adstringitur. Unusquisque ergo vestrum, fratres mei! in suo statu agat Deo gratias; puritatem conscientiæ servet, & modestiam; nec servitii, quod ipsi incumbit, limites excedat. Non in omni loco, fratres mei! sacrificium perpetuum offertur, nec sacrificium ex voto, nec pro peccatis, sed Jerosolymis tantum; neque ibi ubicunque, sed in Templo coram altari, postquam victima S. Pontificis, aliorumque ministrorum, quos designavimus, examini subjecta fuit. Qui præceptum Dei prævaricantur, morte puniuntur. Ex modo quo hæc S. Clemens tractat, credi posset, Templum Jerosolymitanum adhuc substitisse, quando hæc epistola scripta est, quod tamen necessario non consequitur, cum totus discursus sit solummodo comparativus, & in comparatione sæpius contingat, res præteritas, quasi præsentes inducere. His addit: *Intelligitis jam, fratres mei! quo majori scientia præditi sumus, eo graviori reddendæ rationis periculo nos esse expositos.*

Ulterius sic habet: *Apostoli prædicarunt Evangelium a Domino nostro JEsu Christo missi; & JEsus Christus a Deo missus. Deus misit JEsum Christum, & JEsus Christus Apostolos. Utrumque ordinate ex voluntate Dei factum. Apostoli, acceptis mandatis, ex Resurrectione JEsu Christi*

Sæculum I. A. C. 69.

Christi solidati, per verbum Dei, & certitudinem Spiritus Sancti in fide firmati, in mundum diviſi ſunt, annuntiantes, proximum eſſe Regnum Dei. Ita in Regionibus, & urbibus prædicantes, quos inter ſe optimos invenerunt, & Spiritu S. probatos, in Epiſcopos, & Diaconos illorum conſtituerunt, qui crediturí erant. Nec iſta diſpoſitio, fuit innovatio, nam a longo tempore Scriptura de Epiſcopis, & Diaconis mentionem fecerat, cum dicat alicubi; Epiſcopos eis conſtituam in Juſtitia, & Diaconos in fide. Subinde tranſit ad exemplum Moyſis, & Virgam Aaronis, quæ efflоruit. Et pergit: *Apoſtoli noſtri a Domino noſtro JEſu Chriſto illuminati certiſſime præviderunt, propter nomen Epiſcopatus contentiones fore, ideo conſtituerunt eos, quos diximus, & mandarunt, ut poſt eorum deceſſum alii viri probati in Miniſterio ſuccederent. Itaque, qui ab ipſis Apoſtolis conſtituti fuerunt, aut ab aliis viris excellentibus cum totius Eccleſiæ conſenſu, & deinde irreprehenſibiles JEſu Chriſti gregem in humilitate, & pace, non ut mercenarii paverunt, & quibus omnes multo tempore bonum teſtimonium reddiderunt, hos a Miniſterio repelli, æquum non eſſe exiſtimamus; nam graviſſimo peccato imputabitur nobis, ſi eos ab Epiſcopatu ejecerimus, qui digne ſacra dona offerunt. Felices Sacerdotes! qui curſum*

Iſai. 60. 17. ſ. 70.

n. 44. p. 112.

Sæculum I. A. C. 69.

sum suum sancte, & cum fructu consummarunt, non enim gradu, quem tenuerunt, dejici timent! Videmus a vobis aliquos optimæ vitæ, & officio non tantum sine culpa, sed etiam cum magna laude functos, fuisse repulsos; fratres mei! contentiosi estis, & in rebus ad salutem inutilibus æmulamini. Scripturas perlegite; nullibi invenietis, justos persecutionem passos a Sanctis, sed ab impiis.

n. 46. p. 53.

Quare contentiones sunt inter nos, rixæ, & divisiones? nunquid non habemus eundem Deum, eundem Christum, eundem super nos diffusum Spiritum? eandem in JEsu Christo vocationem? quare ejus membra dilaceramus? quare proprio nostro corpori bellum inferimus? an eo usque insanimus, ut memoria exciderit, quod alter alterius membra simus? tunc subdit: *propter vestram divisionem multi fuerunt perversi, multi animum desponderunt, multi dubitare cæperunt, universim vero omnes afflicti sumus; & vestra divisio perseverat? inspicite epistolam Beati Pauli Apostoli; quid illud est, quod in principio sui Evangelii, id est, Prædicationis, monet? profecto Spiritus S. ea dictabat, quæ scripsit vobis de se, de Cepha, & Apollo, quia jam tunc quidem sensu divisi eratis, sed hodie estis multo nocentiores; tunc affectus vester enim vero erat culpabilis, attamen in Apostolos, & in virum ab Apo-*

Epistola S. Clementis P.

stolis

Sæculum I. A. C. 69.

stolis probatum ferebatur; hodie autem, perpendite, quæso! quinam illi sint, qui vestram fraternam charitatem, prius tanta veneratione dignam, famamque apud omnes optimam læserint? erubescendum, charissimi! valde, inquam, erubescendum est, & moribus Christianorum indignum, si quis narrari audiat, Ecclesiam Corinthiorum inter cæteras antiquam, & alias in fide firmatam, propter unam, vel duas personas in Sacerdotes insurrexisse; & quidem rumor iste non solum ad nos, sed etiam ad illos, qui fide a nobis alieni sunt, pervenit; ita ut Nomen Domini ob vestram imprudentiam blasphemetur, & vestra omnium salus periclitetur. Aufferamus promptissime hoc scandalum! ad pedes Domini accidamus! & cum lachrymis supplicemus, ut ignoscat nobis, & fraternæ charitatis gloriam reducat. Subinde ait: *Si quis Fidelis sit, & explicandæ scientiæ aptissimus, si quis sapiens ad discernendam veritatem, sintque opera ejus irreprehensibilia, eo magis humilietur, quo major videtur in oculis hominum, & omnium utilitatem quærat, non vero propriam.* Tum S. Clemens in laudes charitatis, & pœnitentiæ utilitatem oratione excurrit, cumque sæpius S. Scripturam citet, inquit: *Scitis, fratres mei! scitis sacras Scripturas, & Doctrinæ divinæ studuistis.* n. 53. p. 116.

Tum

Sæculum I. A. C. 69.

Tum dilaudata Moysis charitate, deleri de libro vitæ postulantis, nisi veniam populo exoraret, inquit: *Si quis ergo inter vos est excelsi animi, teneri in proximum affectus, & magna charitate, dicat; si propter me hæc seditio, rixa, divisio exorta est, discedo, quocunque vultis, vado, & quod Ecclesiæ visum fuerit, facio; tantum JEsu Christi oviculæ sint in pace cum Presbyteris sibi præpositis. Qui hoc fecerit, magnam sibi in Domino gloriam acquiret, & in omni loco recipietur. Terra enim Domini est, & omnia, quæ in ea sunt.* Psalm. 23.

Exempla deinde ipsorum Paganorum adducit, qui propter bonum publicum se ipsos exilio damnarunt, aut morti dederunt, junctis quorumdam Sanctorum exemplis. Utilitatem correctionis exponit, & subjungit: *Vos vero, qui seditioni causam dedistis, Presbyteris vos submittite, correctionem recipite in pœnitentia, flectite corda vestra, discite subdi, vanamque, & insolentem linguæ audaciam deponite. Præstat enim vos esse parvos in Grege Christi cum bona fama, quam illo excludi, dum vos proprio judicio super alios extollitis.* n. 57. p. 116. Tandem in hunc modum finit:

Deus, qui videt omnia, Dominus Spiritus, & Dominus carnis, qui Dominum nostrum JEsum Christum elegit, & nos n. 58.

per

Sæculum I. A. C. 69.

per ipsum, ut electus ejus populus essemus, omni animæ, quæ Sanctum, & Magnificum Nomen ejus invocat, det fidem, timorem, pacem, patientiam, fortitudinem, continentiam, castitatem, temperantiam, ut Nomini sancto ejus placeat per JEsum Christum summum nostrum Pontificem, & Caput. Per quem ipsi sit gloria, & majestas, potentia, & honor nunc, & per omnia sæcula sæculorum. Amen. Celeriter, & cum gaudio Claudium, Ephebum, & Valerium, Vitonum, & Fortunatum, quos ad vos misimus, remittite, ut nobis nuntium optatissimum de vestra pace, & concordia ferant, quam ardenter desideramus. Talis est S. Clementis epistola ad Ecclesiam Corinthiorum Nomine Ecclesiæ Romanæ scripta. Hæc in Ecclesia Corinthi septuaginta annis, postquam scripta fuerat, adhuc publice legebatur. *Dionys. Corint. ap. Eus. 4. hist. c. 23.*

§. XXXVI.

Divisiones Jerosolymæ. Titi obsidio.

Judæi nec bello civili Romanorum, nec Vespasiani absentia in bonum suum usi sunt, crescentibus in dies divisionibus. Simon Bar-Giora, id est, Gioræ filius, juvenis audacia, & vigore præstans, audita Pontificis Anani morte, Massada erumpens, quo se cum Sicariis receperat, *Jos. V. Bell. c. 7.*

Sæculum I. A. C. 69.

Judææ montes insidet. Ibi brevi tempore copias conducit, libertatem servis, & præmia liberis promittens. His non solum agros, sed etiam urbes depopulari cœpit, tantaque brevi crevit potentia, ut totam Idumæam, & Judæam vastaret, omnibus ejus crudelitatem expaveſcentibus. Tandem castra ante portas Jerosolymæ locat. Ita civitas utrinque premebatur, intus a Zelotis Galilæis Duce Joanne, foris autem a Simone, & exercitu ejus in angustias redacta.

c. 34.

Pejores longe erant Galilæi, quod Joannes, quem sequebantur, omnem permitteret licentiam; Divitum domos excutere, viros sternere, fœminis illudere; & postquam libidinem expleverant, vestitu, capitis tegumento, fuco, actionibus nefandis morem fœminarum imitatione simulabant; totam civitatem unum scortatorium dixisses. Nec ideo isti effeminati minori crudelitate furebant. Idumæi, qui inter Joannis copias erant, simultate exorta, manus cum eo conserunt, multos Zelotarum interficiunt, captumque Palatium, Joannis sedem concremant, ipsum cum suis in Templum compellunt. Tum autem ipsos, & civium reliquos timor subiit, ne Joannes desperatione actus ipsam urbem per noctis tenebras incenderet, hinc communi consilio Simonem in auxilium advocant; cum iste urbem esset ingres-

ingressus fortiter unitis viribus Templum invadunt; at Zelotæ non minori vigore se tuebantur. Tunc in tres factiones Jerosolyma divisa est; Bar-Giora superiorem civitatem, id est, montem Sion, & partem urbis inferioris in potestate habebat, ipse in turri Phasael sedem fixerat; Zelotæ in duas factiones iverant; nam Eleazar Simonis filius, qui initio imperaverat, Joannem audacia, & fraudibus principatum obtinuisse, indigne ferens eo relicto, cum Zelotarum parte in interiori Templo se obvallavit, non numero quidem, sed propugnaculorum opportunitate superior. Joannes exteriora Templi, Porticus, & alteram inferioris urbis Regionem tenebat, & ut se contra geminum hostem tueretur, necessitas cogebat, exterius contra Simonem, & Jerosolymæ populum, interius contra Eleazarum, ejusque sectatores Zelotas.

Sæculum I. A. C. 69.

Jos. VI. Bell. c. 1.

In frequentibus Templi assultibus pleraque exteriora combusta, frumenta, & annona reliqua pessumdata, quæ tamen, Romanis deinde prementibus, usui fuissent necessario. Inter inconditas has turbas adhuc sacrificia offerebantur. Eleazar, & satellites ejus sacrificaturos admittebant, prius exploratos; cumque Joannes sæpius Templi interiora telis, & libratis lapidibus infestaret, Sacrificatores, aut qui hostias attulerant, occidebantur,

Sæculum I. A. C. 70.

aut vulnerabantur, & Templum sanguine, & cadaveribus replebatur. Eleazar cum suis de oblatis vivebat, quæ futuris necessitatibus fuerant sepositа, nec scrupulo ipsis erat, ea sine præcedente purificatione comedere; immo sæpe sæpius ad ebrietatem commessabantur. Talis erat horum Zelatorum zelus.

Jos. V. Bell. c. 11. p. 910.

Titus Alexandria Cæsaream profectus, universum ibi collegit exercitum, quatuor legionibus, & vicinorum Regum subsidiariis constantem. Inde Jerosolymam movens, sex stadiis, aut quarta leucæ parte ab urbe castra metatur. Id factum paulo ante festum Paschæ, quando infinita pene populorum multitudo inclusa, brevi omnem annonam consumpsit. Tum pestis, & deinde fames secutæ. Die azymorum, decimo quarto mensis Xanticus, seu Aprilis, anno JEsu Christi, septuagesimo, Eleazar, qui Templi interiora defendebat, portas aperuit, ut populus Deum adoraturus intraret; Joannes alterius Zelotarum factionis Dux hac usus occasione, suos populo permixtos, non purificatos, & arma vestibus occultantes immittit; hi ingressi, hostiliter in Eleazarum invecti, multis cæsis, interiora Templi in potestatem redigunt; sic omnis Zelotarum factio sub Joanne stetit, octo super quadringentos virorum millia. Factio vero Simonis in urbe, decem

An. 70.

ibid. c. 16.

ibid. c. 7.

cem Judæorum millia, & Idumæorum millia quinque explebat. Hæ duæ factiones, inter se quidem divisæ, quando contra Romanos pugnandum uniebantur. Sæculum I. A. C. 70.

Titus milite urbi admoto, & facta muri ruina, tertia Maji ingreditur, statimque omnis pars Septentrionalis sub imperio fuit, usque ad vallem Cedron, ubi urbs muro triplici erat circumdata. Quinta die, nova clade muro alteri illata, urbem, quæ nova dicebatur, superat, & ad tertium murum, turrimque Antoniam gradum promovet. Longa ibi mora hærendum fuit, eo quod Judæi, sæpius erumpentes, machinas flammis delerent; tunc Titus singulari clementia animos Judæorum delinire conatus est, misitque ad obsessos Josephum historicum, gratiam oblaturum; sed frustra omnia; nihil Titi benignitas apud obstinatos profecit. Fugientes quosdam de populo, Titus quocunque vellent ire permisit; at Joannes, & Simon custodes ad portas constituerunt, ut nemo evaderet, nec facile dispiciendum erat, num obsessis difficilior fuga, vel obsidentibus in urbem aditus esset. *V. Bell. c. 21.* *V. Bell. c. 27.*

§. XXXVII.

Fames horrenda.

Magna in urbe fames premebat; frumentum erat rarissimum; Seditiosi

Sæculum I. A. C. 70.

in omnium ædes impetu facto singulos angulos excutiebant, si quid annonæ inveniſſent, domeſticos percutiebant, quod tam diu celaſſent; ſi fruſtra quæſiviſſent, nihilo ſecius verberabant, quod non nihil ita occultari ſuſpicarentur, ut inveniri non poſſet. Si quem vultu vegeto conſpexiſſent, apud eum ciborum abundantiam ſupereſſe conjiciebant. Multi occulte ſuas hæreditates vendebant pro menſura tritici; pauperiores pro menſura hordei. Tunc in ſecretiſſimis ædium angulis incluſi, crudum, ut erat, frumentum devorabant; alii coquebant panem, prout magis, minusve fame urgebantur, vel timore. Nullibi menſa aperte parabatur; carnes ſemi-coctas ex foco, vel quisque ex ſocii manibus rapiebant, illi enim eſca cedebat, qui viribus prævaluiſſet, poſtquam famis atrocitas omnem pudorem deleverat. Uxor marito, filius Patri, &, quod maxime inſolens, mater proli inter ſua brachia deficienti eſcam ſubtrahebat, ut propriam famem ſedaret, quæ omnem alium humanitatis ſenſum extinxerat.

Jam nihil Seditioſorum oculos effugiebat; clauſæ alicubi fores ſuſpicionem movebant, intus recondi cibaria; ergo foribus arietando perfoſſis, irrumpentes, ſi quem manducantem conſpexiſſent, obtorto collo ferme bolos reddere cogebant.

Sæculum I. A. C. 70.

bant. Vapulabant ſenes, pro panis buccella pugnantes; mulieres, quid manu gererent, abſcondentes, capillis trahebantur. Infantes cum fruſto panis, cui mordicus inhærebant, ſublati, terræ illidebantur. Tota vero rabie in illos deſæviebant, qui bolos deglutiendo eorum adventum prævertiſſent; tormenta, quibus miſeros cruciabant, non magis crudelitate horrenda, quam turpitudine erubeſcenda erant; & tantæ vexationis cauſa ſæpe fuit, ut panem unum, vel pugillum farinæ prodere cogerentur. Necdum Seditioſos fames extrema premebat, ſed penum ſibi in longius tempus comportabant. Etiam pauperibus per noctis tenebras cum vitæ ſuæ periculo collectas herbas eripiebant, per Deum fruſtra precantibus, ut ſibi ſaltem aliquam earum partem relinquerent, ipſi vero magnum præſtitiſſe beneficium reputabant, ſi cui non etiam vitam ademiſſent. Ditiores proditionis, vel certe deſertionis incuſatos, morte tollebant. Deſpoliatos ſe conquerentes Simon ad Joannem, Joannes contra ad Simonem remittebat. Nullius criminis ratio inter eos habebatur, quam ſolius injuſtitiæ, ſi forte miſerorum ſpolia non æqua lance dividerentur. Tantum in eorum animis propriæ Nationis odium erat, & execratio, ut minus mali hoſtibus, quam ſuis optarent, inferrentque. *VII. c. 12.*

Sæculum I. A C. 70.

Tandem eo usque deventum, ut etiam Seditioſorum multi cum armis nocturno tempore egredi cogerentur, ad conquirendas herbas, levandæ fami aptas. Ubi hoc Titus obſervavit, equites immittebat, qui egreſſos interciperent; illi autem qui de populo quaſi ad paſcua exiverant, quamvis vellent, tamen ſine pugna dedere ſe Romanis non audebant, ne, ſi qui Seditioſorum conſpexiſſent, hanc ſpontaneam deditionem in uxores, & liberos dira vindicta punirent. Quoscunque armatos Romani capiebant, jubente Tito, indiscriminatim crucifigebant; tum ne multitudine captivorum impediretur, tumque obſeſſis terrorem incuteret. Quingenti ſingulis diebus crucifigebantur, & ſæpe plures, ita, ut non tantum cruces, ſed & crucibus erigendis locus deficeret. Milites morituris illudentes diverſo eos habitu affigebant. At Seditioſi, ut animos a deditione averterent, junctos, amicosque pendentium in patibulis in murum trahentes, aſpicere cogebant, quæ ſors, ſi ſe Romanis dederent, eos maneret. Quosdam Titus amputatis manibus in urbem remiſit; nihil vero emolliendis, terrendisve Seditioſorum animis par erat.

VI. c. 13. Tandem, ut univerſos fame debellaret, arctius quam hactenus totam urbem incingere ſtatuit. In hunc finem circum Civi-

Civitatem murum a militibus exſtrui jubet, duas Leucas in circuitu habentem, & tredecim modicis propugnaculis munitum, ubi diu noctuque excubabant. Tanta moles trium dierum labore perfecta eſt. Civitate hunc in modum inclusa, jam integræ familiæ fame contabeſcebant. Domus mulieribus, & infantibus, plateæ ſenibus enecatis ſcatebant. Juvenes in foris videbantur inaniter tumenti corpore tanquam ſpectra circum repere, & ſubito corruere. Superſtitibus nec animus, nec vires ſepeliendi mortuos ſuppetebant. Multi, cum aliorum cadavera terræ mandarent, labori immoriebantur; multi ſpirantes in ſuis ſepulchris procumbebant, ſicque mortem operiebantur. Nullæ videbantur lacrymæ; nullus clamor audiebatur; tota civitas profundo ſilentio, & quaſi funeſta nocte erat involuta. Seditioſi ædes aperiebant, ut defunctorum corpora ſpoliarent, quod cum feciſſent, inter jocos, & riſus recedebant. Armorum ſuorum aciem in his cadaveribus tentabant, quandoque etiam ſpiritum adhuc trahentium corporibus; rogati vero a quoquam, ut ferro ſibi vitæ, patiendique finem facerent, preces reſpuebant. Morientes ad Templum oculis converſis cum Deo expoſtulare videbantur, quod hos impios, totius Gentis perniciem, vivere ſineret. Obſidionis initio mortuos pecunia

Sæculum I. A. C. 70.

VI. c. 14.

Sæculum I. A. C. 70.

cunia ærarii publici tumulari curaverant, ne aerem inficerent, postquam autem huic labori nullæ amplius vires sufficiebant, mortui ex muris in præcipitia provolvebantur, quæ ut cadaveribus repleta, fœtoremque inde ascendentem sensit Titus, suspirans, & levatis in Cœlum manibus, Deum Testem invocabat, se invito hanc gentem tot malis obrui, utque miseriæ finem acceleraret, acrius operi instare suos imperat.

§. XXXVIII.

Seditiosorum violentia.

VI. Bell. c. 15. At ulterius progressa est Seditiosorum violentia. Simon Mathiam Pontificem, illum ipsum, cujus beneficio sibi aditus in urbem patuerat, quod Romanis faveret, accusatum, adempta defensionis facultate, mortis damnat; neque hoc satis; tres Mathiæ filios, in conspectu Patris, unicam gratiam, ut saltem sibi, priusquam filiis, mori liceret, deprecantis, obtruncat, eorumque corpora sepulturæ honore privat. Cum his factis plurimorum odium incurrisset, Judas Tribunorum unus turrim suæ custodiæ commissam tradere Romanis parabat, quem occupatis consiliis Simon cum decem con-

VI. c. 16. sciis capite plexit. Cœterum Joannes Templo inclusus, cum populum ultra deprædari

prædari non posset, ipsum Templum spo- Sæculum I.
liare aggreditur; multa de sacra supel- A. C. 70.
lectili, etiam vasa Sacrificiis necessaria, pocula, patinas, mensas liquari præcepit, suis dicens, iis, quæ Dei essent, pro Deo uti licere, illosque, qui Templum defenderent, de Templo vivere oportere. Ita sine scrupulo oleum consummebant, Sacrificiis destinatum, seque vino sacro sine ullo moderamine ingurgitabant.

Interim tamen nonnulli de populo *VI. c. 26.*
urbe furtim elapsi, ne fame perirent, ad Romanos transibant; tumido erant corpore, hydropicis similes, & paulo post ingestis avide cibis crepabant, nisi magno moderamine usi fuissent. Transfugarum aliquis, dum ex suis excrementis nummos aureos eruit, a Syris observatus est; aurum enim, quo civitas abundabat, sæpe deglutiebant, ut rigidissimæ Seditiosorum inquisitioni subtraherent. Protinus totis castris rumor pervadit, ex urbe advenientes transfugas, thesaurum aureum in alvo gestare. Hinc Arabes, Syrosque cupiditas illexit, ut multorum dissecto ventre, viscera rimarentur. Duo millia exenteratorum post unam noctem inventa sunt; quod dum Titus intellexit, equestribus copiis immissis sordidos prædatores punire parabat, mox autem videns, eorum majorem, quam occisorum

Sæculum I. A. C. 70.

rum esse numerum, ad se vocatis auxiliarium copiarum, imo & suarum Ducibus, nam etiam quidam Romanorum hujus feritatis accusabantur, palam edixit; si quis ultra obscænæ sævitiæ convinceretur, morte luiturum. Nihilominus multis eorum Syri, Arabesque, occulte tamen, ne a Romanis deprehenderentur, viscera eruerunt, inutili plerumque, & sterili crudelitate.

VI. c. ult.

Manneus transfugarum unus Tito narravit, una tantum civitatis porta, cui ipse præfuisset, a decima quarta Aprilis, qua obsidio cœperat, usque ad primam Julii, centena, & quindecim millia supra octies centena octoginta corpora fuisse elata, & hæc quidem pauperum solummodo cadavera, quæ expensis publicis sepeliebantur, ideoque a se diligenter numerata, ut mercedem bajulis distribuere posset. Consanguineos defunctorum alios inhumasse. Alii transfugæ referebant; per reliquas portas sexies centena millia cadaverum, non nisi pauperum, quorumque sepulturam nemo curabat, fuisse ejecta. Universim autem funerum numerum iniri non posse. Postquam pauperum funera efferri ultra non potuissent, in amplis ædibus coacervata fuisse, quæ, cum nulla amplius caperent, claudebantur. Addebant; frumenti modium talento vænire, quod duo librarum millia

millia conficit. Cum nec amplius conquirendis oleribus exire licuisset, quosdam in fimetis indagasse, ut vetera boum stercora invenirent; eaque ori ingessisse, quæ prius visa tantum nauseam creassent. Romani miseratione movebantur, cum hæc audirent, Judæi vero seditiosi nullum humanitatis sensu afficiebantur, cum cernerent. Immo crescebat rabies, & nullatenus horrebant ingentes cadaverum cumulos, quibus plateæ tegebantur, calcare, cum adversus exteros pugnaturi procederent, manibus concivium suorum cæde cruentatis. Nec jam victoriæ spes, sed salutis desperatio furorem alebat. Romani nova ex tignis propugnacula non sine gravissima difficultate ob lignorum penuriam exstruxerant, hæc enim nonaginta stadiis, id est, ferme quatuor leucis advehi debebant. Omnibus in hac Regione excisis arboribus, Jerosolymæ vicinia, prius ad oculorum delicias amœna, tristi vastitate horrebat. Tandem, post conflictus utrinque obstinacia memorabiles, Titus Arcem Antoniam capit, diruitque, decima septima Julii, eadem die qua *Tamid* seu Sacrificium perpetuum summo populi dolore cessavit, eo quod viri deessent, qui offerrent. Titus iterato tam per Josephi ministerium, quam per se ipsum Seditiosis deditionem persuadere conatus est, ne vim ulti-

Sæculum I. A. C. 70.

VII. Bell. 1.

VII. Bell. 4.

Sæculum I. A. C. 70.

ultimam loco ſancto admovere cogeretur; ſed incaſſum omnia, ergo aſſultus, & pugnæ reſtaurantur, quibus Romani duos Porticus exteriores, qui a Septentrione, & Occaſu Templum claudebant, obtinuere. Horum partem jam prius Judæi, reliquam autem nunc Romani flammis vaſtarunt.

§. XXXIX.

Mater filium devorans.

III. 7. Truculenta fames quotidie in civitate latius ſerpebat; leviſſima quæque cibi alicubi latentis conjectura bellum excitabat domeſticum, & homines alioqui conjunctiſſimos ad pugnam ciebat. Prædones canina rabie, rictu hianti circum curſantes, pulſabant januas, & ejusdem horæ ſpatio easdem domus bis, terve repetebant. Omnia latranti ſtomacho ingerebantur, etiam quæ alias animalia immunda non voraſſent. Cingulis ſuis, calceamentorum, clypeorumque corrigiis conſumptis, fœni veteris reliquias comedebant, cujus feſtucæ diligenter collectæ, librato pondere, quatuor drachmis atticis vendebantur; drachma autem ferme octo aſſibus noſtræ monetæ comparatur.

Mulier nomine Maria, filia Eleazari trans Jordanem habitantis, ortu, & opibus

bus clara, cum cœteris omnibus in ob- Sæculum I.
sessa urbe inclusa fuerat; Seditiosi, om- A.C. 70.
nibus, quæ attulerat, & gemmarum reliquis ademptis, etiam nutrimenta, quæ de die in diem conquirebat, aufferebant; ipsa miseriæ impatiens, eos injuriis, & maledictionibus onerabat, nihil ommittens, quo prædones ad se occidendam provocare posset. Tandem fame, & desperatione urgente, infantem suum, quem lactabat, arripit, & trementibus oculis conspiciens, ait: *Cui te reservo, proles infortunata! nempe ut paulo post fame pereas, vel Romanorum mancipium vivas, aut, quod omnium deterrimum, in Seditiosorum manus incidas?* Tum necat, excitato igne assat, mediam corpusculi partem comedit, & alteram reponit. Illico Seditiosi advolant, assatæ carnis odore illecti, strictisque gladiis mulieri mortem intentant, nisi proferat. Immo, inquit illa: bonam vobis portionem reservavi, simulque infantis reliquias ostendit: ipsi defixis in terram oculis immobiles rigebant, at illa: *Mea viscera sunt, quæ coxi, manducate, quod mater potuit, & vos poteritis; nisi forte delicatiores fœmina, & matre teneriores sitis;* quibus auditis, trepidi se domo proripiunt. Tantæ abominationis rumore brevi per totam urbem diffuso, omnes quasi criminis essent participes, exhorrebant, & eorum

Sæculum I. A. C. 70.

rum sortem invidebant, quos prompta mors tantæ malorum acerbitati eripuerat. Talia narrantes, Romanis vix fidem faciebant; quosdam eorum miseratio tangebat, plurimis autem eo magis in damnatam a Diis gentem ira exarsit. Titus coram Deo protestabatur, solis Judæis, bellum pertinaciter deposcentibus, & non tantum conditiones æquissimas pacis, sed etiam a se factam impunitatis promissionem non acceptantibus, omnia ex horrido bello provenientia mala esse adscribenda. Ita adimplebantur ea, quæ Deus per Moysen toti populo comminatus fuerat, & singulariter Christus JEsus mulieribus Jerosolymæ; dies venturos; quibus beatus diceretur venter sterilis, & beata ubera, quæ non lactarent.

Deut. 28. 53.
Luc. 23. 9.

§. XL.

Templum captum, & exustum.

Jos. VI. Bell. c. 9.

Octava Augusti Romani secundum murorum ordinem in Templo aggressi sunt, sed nec muros arietibus diruere, nec portarum limina ob lapidum magnitudinem, & nexus firmitatem eradicare, nec etiam porticus ascensu superare ob strenuam Judæorum resistentiam poterant; igitur Titus, facere coactus quod hacte-

hactenus loci reverentia prohibuerat, eadem die portis flammas subjici jubet; quæ inde in ambulacra, & atria sparsæ, tota hac die, & sequenti nocte grassatæ sunt; Titus, aliique Romani exercitus Duces saltem Templi corpus servaturi erant; at decima Augusti, Judæi Templi custodes in Romanos, qui jussu Titi flammas secundum Templi ambitum depascentes extinguere adlaborabant, erumpunt, & a Romanis in Templi intima repelluntur. Tunc militum unus, quasi impellente Numine, injussus & a commilitone in altum sublatus, titionem, quem dextra tenebat, per deauratam fenestram in conclavia, ipsum Templum a Septentrionali latere contingentia, injicit. Protinus parietes flammas concipiunt; accurrit ipse Titus; sed in tanto tumultu nemo faciebat imperata; intimum Templum flammis correptum consumebatur, quantumcunque eas compescere Titus conaretur. Ita JEsu Christi vaticinium adimpletum; lapidem super lapidem non remansurum. Secundum hoc Templum eadem die, ejusdem mensis combustum est, quo primum a Nabuchodonosore vastatum, id est, decima mensis Judaici nomine *Abh*, qui est quintus a mense Paschatis *Nisan* dicto; cum hi menses pure lunares sint, haud facile cum nostris comparantur; secutus sum vero antiquum Josephi interpretem, qui

Sæculum I. A. C. 70.

VII. Bell. c. 10.

Matth. 24. 2.

Jerem. 7. 12.

Sæculum I. A. C. 70.

per menſes Romanos Macedonum menſes, quorum nominibus Joſephus uſus eſt, exprimit; quamvis Joſephus reipſa his nominibus menſes Judæorum denotare voluerit, iis ferme correſpondentes.

Joſ. VI. Bell. c. 32.

Quidquid ſpirabat in Templo, nulla ratione ætatis, ſexus, aut conditionis contrucidatum. Altaris aditum accumulata cadavera prohibebant. Pavimentum ſanguine & funeribus opertum videri non poterat. Soli Seditioſi ferro viam fugæ ſibi aperientes, in montem Sion evadunt. Inter cœteram populi multitudinem, quæ in Templo periit, ſex millia erant virorum, mulierum, & parvulorum, quos Pſeudo-Propheta deceperat ſpe vana, ſe, ſi juxta Dei voluntatem in Templum aſcenderent, illic ſigna ſalutis accepturos. Plures ejusmodi erant populi illuſores, quorum opera Tyranni utebantur, ut detentam plebem a tranſitu ad Romanos cohiberent.

Templo combuſto, Romani, vexillisque militaribus ante portam Orientalem erectis, in ipſo loco Sacrificia obtulere, nempe idolis ſuis, quorum effigies eorum vexilla referebant. Seditioſis urbis ſuperiora tenentibus, Titus edici jubet; ſi ſe Romanorum arbitrio dederent, vitam ſervaturos; at illi petierunt, ut ſibi cum uxoribus, & liberis in deſerta ſecedere liceret; tanta contumacia irritatus Titus,

tus, urbi inferiori flammis subjectis, superiorem oppugnat; illamque per factam muri ruinam victoria ferox miles ingressus octava *Gorpiee* seu Septembris, die Sabbati, Imperii Vespasiani anno secundo, JEsu Christi septuagesimo omnia igne, ferroque absumit. Titus dirutis Templi, urbisque reliquiis, terram, qua civitas steterat, vomere findi jubet. Unam solummodo muri partem versus Occidentem cum tribus turribus, Hippica, Phasael, & Mariamne stare voluit, ut, quanta Majestas civitatis, templique olim fuisset, unum saltem monumentum posteritati relinqueret. Prædæ tanta fuit copia, ut auri pretium in Syria vilescerent.

Sæculum I. A. C. 70.

Ibid. c. 40.

Annus 70.

In latrinis subterraneis ferme duo millia Judæorum cadavera inventa sunt, quos aut fames, aut morbus consumpserat, vel qui se mutua cæde, ne in Romanorum potestatem vivi devenirent, peremerant. Illi duo Tyranni Simon, & Joannes, ibi latentes, tandem deditionem fecerunt, & triumpho reservati sunt. Ad undecies centena millia occisorum durante obsidione numerantur; & nonaginta septem venditorum; vix autem invenire erat, qui vellent emere. Coronas a vicinis populis in victoriæ honorem sibi oblatas Titus acceptare renuit, quod diceret; sua virtute hæc facta non

VII. Bell. c. 7.

Philost. Apoll. l. 6. c. 14.

Sæculum I. A. C. 71.

esse, seque tantum vindictæ Dei in Judæos irati manus commodasse. Una legione custodiendis Jerosolymæ ruinis relicta, ipse cum duabus aliis Cæsaream reversus est, ubi omnibus captivis, spoliisque congregatis, reliquum tempus anni septuagesimi exegit, tempestatem velis faciendis, & trajectui in Italiam opportunam exspectans. In die natali fratris ejus Domitiani, quæ trigesima Decembris erat, plusquam duo millia Judæorum supra quingentos, hi flammis, alii Bestiarum dentibus, alii, digladiari coacti, propriis suorum manibus periere. Magna iterum miserorum copia periit in ludis, quos Titus Beryti in Phœnicia Patris sui honoribus instituit, ut diem anniversarium, quo Imperium susceperat, celebraret; nempe prima Julii anni sequentis, JEsu Christi septuagesimi primi.

Joſ. VII. Bell. c. 4. 6.

Ibid. c. 8.

An. 71.

Ibid. c. 9. Inde Titus venit Antiochiam, ubi Judæi accusabantur, quod forum quadratum, Archiva, Tabularium, chartasque quibus Jus Imperatorium continebatur, incendissent; vixque populus ab eorum cæde cohiberi poterat; at per acta, & probata deinde patuit, homines ære alieno gravatos hoc crimen attentasse, ut se a creditorum persecutionibus liberarent. Cum Titus adveniisset, a civibus rogatur, ut Judæos expelleret, vel saltem juribus priva-

privaret; ipse utrumque renuit; & Judæis Antiochiæ sicut antea vivere licuit. Tum Titus visis etiam aliis Syriæ urbibus, per Judæam, & Jerosolymam in Ægyptum rediens, Alexandriæ in classem exceptus est. Romæ deinde cum Parente ob Judæam devictam triumphavit. Sæculum I. A. C. 71.

In hoc triumpho Joannes, & Simon Seditiosorum capita, cum septingentis Judæis, quos viribus valentes, & formæ spectabilis, selegerant, circumducti sunt. Simon tanquam hostium Ductor pro more ultimo supplicio affectus. In eodem Triumpho circumlata sunt mensa, candelabrum aureum cum septem brachiis, & quæ ex vasis sacris Templi fuerant servata; præprimis Mosaicæ Legis liber, qui deinde in Palatio unacum purpureis Sanctuarii velis repositus est. Hodiedum Romæ arcus ille videtur, huic Triumpho exstructus, ubi candelabrum, & mensa sculptili opere marmori incisa apparent; candelabrum ab octo viris portatur; mensæ innituntur duæ tubæ decussatæ, ante mensam portatur titulus, alter ante candelabrum, sequitur & tertius, qui verosimiliter libro Legis præferebatur. In curiosorum antiquariis numismata ostenduntur Vespasiani, & Titi, in quibus matrona repræsentatur, ad palmæ pedem sedens, longo pallio contecta, caput

Ibid. c. 9.

Jos. VII. Bell. c. 19.

Sæculum I. A. C. 73.

caput inclinatum dextra sustinens cum epigraphe: Judæa captiva.

§. XLI.

Finis belli.

Jos. VII. Bell. c. 20.

Ut Judææ subjectio esset integra, Lucilius Bassus Legati titulo illuc cum copiis missus, primum, initis conditionibus, castrum Herodium recipit; tum & alterum trans Jordanem Macheron obsidet, illudque quamvis munitissimum ad deditionem, pactis tamen conditionibus,

Ibid. c. 25.

adigit. Liberius Maximus erat tunc Judææ Procurator, cui Imperator per litteras in mandatis dedit; omnes Judæorum terras venderet; ipsis vero, ubicunque degerent, tributum imperavit, duas drachmas, singulis annis in Capitolium conferendas, quas prius juxta Legem in Templum Jerosolymitanum ferre solebant. Id contigit JEsu Christi anno septuagesimo secundo.

An. 73.

Jos. VII. Bell. c. 30.

Anno sequenti Publius Silva loco Bassi defuncti Judæam procuravit; is arcem Massadam, quæ æstimabatur insuperabilis, Eleazaro Judæ Galilæi nepote, Sicariorum Duce in ea imperante, obsidione includit; nam ibi Eleazarus ultima pertinacia bellum protrahens, omnes, quicunque Romanis obedientiam præstabant, hostiliter vexare audebat. Ad ultimum

mum his Sicariis, ſpe evadendi præciſa, Eleazari Ducis ſui, furiis agitati, conſilium placuit; quod ſecuti, primum uxores, & liberos confodiunt; tum inter ſe ſortiti, quis eorum viveret ultimus, alter alterius jugulum petunt; qui vero omnibus ſupervixit, diſcuſſis ſollicite cunctis angulis, ne quis remaneret, qui ſpiritum traheret, Palatio ignes ſubjecit, ſibique demum ipſi violenta manu ſpiritum eliſit. Occiſorum numerus, ſexcentorum nonaginta virorum fuit. Id factum decima quinta Aprilis, anno ſeptuageſimo tertio. Romani altera die Maſſadam ingreſſi ſunt. Hujus arcis ſubjectione univerſa Judæa pacata.

Sæculum I. A. C. 73.

An. 73.

Multi Sicariorum ex Judæa elapſi, in Ægyptum venerunt, ubi Judæos Alexandrinos ad rebellionem ſollicitabant; hi vero ex Saniorum conſilio in Sicarios irruentes, ſexcentos eorum in Romanorum manus tradunt, qui ad unum omnes ad necem ducti. Nonnulli Sicariorum per Ægyptum, & Thebaiden fugientes, nihilominus capti, tormenta crudeliſſima ſingulari conſtantia tulerunt, nec ab eorum quoquam, ne quidem a pueris una vox extorqueri potuit, ut Cæſarem ſuum Dominum dicerent. Cum Veſpaſiano de his ſeditionis reliquiis fuiſſet relatum, ad Lupum Ægypti Præfectum mittit mandata, ut Templum, quod ibi Judæi habebant,

Ibid. VII. 36

Ibid. c. 30.

Sæculum I. A. C. 73.

bebant, deleret; hoc Templum Onias, Pontificis Oniæ frater tempore Ptolomæi Philometoris ante ducentos triginta quinque annos ædificaverat. Lupus satis feciſſe credidit, poſtquam, ablata donariorum parte, quibus ornabatur, Templum clauſit; at Paulinus ejus ſucceſſor, reliquis opibus detractis januisque obſtructis, etiam omnes aditus reddidit impervios.

Joſ. VII. Bell. c. 36. 37.

Sicariorum furor etiam in Cyrenem pervaſit. Quidam textor, nomine Jonathas, exquiſitæ nequitiæ multos, cum extrema miſeria luctantes, duxit in deſerta, videndorum miraculorum, quæ ipſe promittebat, ſpe inani deceptos. Catullus in his partibus Lybiæ Præfectus, immiſſis equitum, peditumque copiis, miſeros levi labore oppreſſit; Jonathas in ejus conſpectum adductus, ut ſe periculo extricaret, ditiſſimos quosque Judæorum hujus conſilii auctores criminatur, quod, quamvis eſſet calumnia, Catullo credere placuit, ejusque juſſu tria Judæorum millia ſunt interfecta. Jonathas catenis onuſtus, & Romam miſſus, ibi Imperatoris ſententia virgis cæſus, vivusque in ignem conjectus eſt. Si quisquam numerum Judæorum, qui hoc bello univerſim diverſo mortis genere periere, inire voluerit, computatis etiam undecies centenis millibus, in ipſa obſidione

dione occisorum, terdecies centena tri- Sæculum I.
ginta septem hominum millia supra qua- A. C. 73.
dringentos, & nonaginta inveniet, quam-
plurimis aliis millibus in hunc cumulum
non coactis. Herodes Agrippa Herodia- *Just. Tiber. ap. Phot. cod. 33.*
norum ultimus Regni sui augmentum
cum Præturæ honoribus ab Imperatore
accepit, vixitque usque ad annum Impe-
ratoris Trajani tertium; sororem ejus *Suet. Tit. n. 7*
Berenicen Imperator Titus adamavit, a-
deo, ut de nuptiis cogitaret. Attamen *Jos. XVIII ant. c. 7.*
Herodianorum stirps quamvis valde nu-
merosa intra centum annorum spatium
extincta est. Hanc Belli Judaici histo-
riam scripsit Græce Josephus Mathiæ Sa-
crificatoris filius, qui ab Imperatore ca-
ptus, & libertate donatus, tanquam ejus
Libertus Flavii nomen assumpsit, Flavius
enim Vespasiani Gentile nomen erat.
Fuit Josephus ferme omnium, quæ in
hoc bello gesta sunt, testis oculatus; cum-
que a Judaismo nunquam defecerit, su-
spectus esse non potest, quasi adimpletio-
nem eorum, quæ JEsus Christus prædi-
xit, demonstrare affectasset.

§. XLII.

Hæreses Ebionis. Cerinthi. Menandri.

Post excidium Jerosolymæ Judæorum *Epiph. hær.*
Sectæ ætatem non tulerunt; vix am- 19. *n.* 5. *id.*
hær. 29. *n.* 7.

Sæculum I. A. C. 73.

plius de Phariſæorum, & Saducæorum diſcrimine quidquam audiebatur. Nazaræos adhuc invenire erat, alio nomine Minæos, at hi potius Chriſtiani erant, circumciſionem, & Legem obſervantes; cumque & Judæi, & Chriſtiani eſſe velent, revera nec Judæi erant, nec Chriſtiani. Evangelio S. Matthæi in idiomate originali utebantur, hebraicum enim perfecte callebant. Erroribus Ebionis, cujus hæreſis tunc apparere cœpit, adhæſerunt; nam dum Chriſtiani, qui Jeroſolyma auffugerant, adhuc Pellæ Decapoleos urbe degebant, in eadem Regione Ebion oppido quodam nomine Cacata in Baſan habitabat. Vox Ebion pauperem ſignificat, hinc quamvis hoc nomen a nativitate accepiſſet, in eo tamen Diſcipuli ſui gloriabantur, quaſi ſanctam paupertatem eorum imitarentur, qui venditi Patrimonii pretium ante pedes Apoſtolorum attulerant.

Hier. ad Aug. ep. 89. Epiph. hær. 29. n. 9. & hær. 30. n. 2. Id. hær. 30. n. 17.

Iren. lib. 1. c. 26. Hier. in Matth. 12. init.

Cœterum S. Petri Diſcipuli haberi volebant, rejicientes S. Paulum, quem calumniis onerabant; nec enim S. Paulum, ajebant; origine fuiſſe Judæum, ſed Gentilem Proſelytum, eumque, cum Jeroſolymæ eſſet, filiam cujusdam Sacrificatoris in matrimonium petiiſſe, hunc in finem ſe circumcidi paſſum, cum vero illam obtinere non potuiſſet, ex indigna-

tione

Sæculum I. A. C. 73.

tione circumcisionem, & Legem oppugnasse. Ut suos errores liberius S. Petro possent affingere, relationem itinerum ejus, a S. Clemente conscriptam, corruperant. Cum Fidelibus servabant Diem Dominicam; baptizabant, & consecrabant Sacram Evchariſtiam; in calicem autem aquam solam infundebant. Ulterius dicebant; inter duos universi Imperium a Deo esse divisum, nempe inter Christum, & Diabolum. Diabolo omnem potestatem esse in præsentem mundum, Christo autem in futurum Sæculum. Christum fuisse creatum sicut Angelorum aliquem, sed cœteris majorem. JEsum natum esse ex Joseph, & Maria generatione communi, utroque sexu concurrente. Cum deinde magnos in virtute feciſſet progressus, electum fuisse a Deo in Filium, per Christum, qui ex alto in columbæ specie in eum descendisset. Solam fidem in JEsum Christum sine observantia legalium ad salutem sufficere negabant. Evangelium S. Matthæi legebant, quod alteraverant, rescissis præsertim Genealogiis. Omnes Prophetas Josue posteriores rejiciebant, Samuelem, Davidem, Salomonem, & ipsum Eliam; in ipsa Lege multos textus delebant. Jerosolymam ut Domum Dei adorabant. Omnes suos Sectatores matrimonium inire etiam ante annos pubertatis imperabant.

Epiph. hær. 30. n. 15. Ibi. n. 3. n. 16. Tertull. de car. Chr. c. 14 Euſ. III. hiſt. c. 27.

Epiph. hær. 30. n. 13. Iren. l. 1. c. 26

Epiph. n. 18.

Sæculum I. A. C. 73.

rabant. Licita inter eos erat Polygamia. Hi fuerunt Ebionis errores.

Iren. I. c. 25. Tertull. præſc. c. 48.

Cerinthi errores his erant ſimillimi. Non eſſe Deum, qui hunc mundum fabricaſſet, ajebat; ſed quamdam virtutem ſeparatam, & a virtute ſuprema valde diſtinctam, idque Deo inſcio attentaſſe. Hebræorum Deum, non eſſe Dominum, ſed Angelum. JEſum ſicut alios homines ex Joſeph, & Maria fuiſſe natum; ſed quia omnes ſapientia, & virtute ſuperaſſet, Chriſtum a ſupremo Deo miſſum, poſt ejus baptiſmum, in columbæ forma in eum deſcendiſſe; tuncque Patrem, hactenus ignotum annuntiaſſe, & patraſſe miracula. Ad finem vitæ tempore paſſionis ejus Chriſtum a JEſu avolaſſe, JEſum vero ſolum fuiſſe paſſum, & reſurrexiſſe; & Chriſtum, utpote ſpiritualem, ſemper impaſſibilem, & immortalem manſiſſe. Idem Cerinthus quamdam revelationem prætexebat, portentoſas imagines continentem, quas ſibi ab Angelis oſtenſas dicebat; aſſerens, poſt reſurrectionem univerſalem JEſum Chriſtum in terris regnaturum, hominesque Jeroſolymis omnibus deliciis fruituros, cunctis carnis deſideriis ſatisfacturos, & hoc modo quaſi in continuis nuptiis, & conviviis mille annorum ſpatium tranſacturos. Hi ſunt errores Cerinthi, quos in Aſia diſſeminabat.

Cajus apud Euſeb. 3. hiſt. c. 28.

Dyon. apud Euſeb. 7. c. 25

Iren. ibid.

Circa

Sæculum I. A. C. 73.

Circa idem tempus quidam Menander vivebat inter Discipulos Simonis Magi facile primus. Erat, sicut Magister ejus, Samaritanus ex oppido Capparetaia dicto. Nec minus ei erat cum Dæmonibus commercium, & in hac arte Magister multos Antiochiæ suis præstigiis seduxit. Se, nempe Simonis exemplo, a virtute hominibus incognita in hunc mundum fuisse missum, dicebat, pro omnium Salute; neminem salvandum, nisi in suo Nomine baptizatum, suum autem baptismum veram esse Resurrectionem, ita ut ejus Discipuli jam in hoc mundo futuri essent immortales. Nihilominus pauci erant, qui hunc baptismum expeterent.

Iren. lib. 1. c. 21.

Tertul. de ann. c. 50.

§. XLIII.

Philosophi.

Etiam Dæmoni sui Apostoli non deerant, quos ad Paganos mitteret. Multi tunc Philosophi mundum pervagabantur, & in amplis civitatibus commorati, perorabant ad populum, quasi bonos mores reducturi, reipsa vero magis, magisque antiquis superstitionibus immergebant. Super omnes alios fama eminuit Apollonius Thyanæus; hunc sequebatur Euphrates Tyrius, primum amicorum ejus intimus, deinde adversariorum infensissimus.

Plin. l. 1. ep. 10. Philost. Apoll. lib. 4. 5. 6. 7. Plin. lib. 3. ep. 11.

Sæculum I. A. C. 73.

mus. Erat Euphrates vir corpore magnus, & ſpectabilis, cui prolixum capillitium, & barba candida non parum addebant ornamenti. Profundam ſcientiam politiſſimi mores decorabant. Alloquium ejus manſuetum, vita autem auſtera, nam hi Philoſophi deliciarum, & dolorum contemptum oſtentabant; quos inter numerari merentur Demetrius Cynicus, Muſonius, & gener ejus Artemidorus. Muſonius unicus Philoſophorum fuit, cui a Veſpaſiano, cœteris omnibus Roma pulſis, manendi licentia data eſt. Talis erat etiam Damis Pythagoricus, Epictetes Stoicus, Lucianus Samoſatenus Epicureus, Diogenes junior Cynicus, hic ſemel propter convitia in populum in publico Theatro virgis cæſus eſt, alius nomine Heras propter ſimilem audaciam capite truncatus eſt. His declamatoribus accenſendus eſt Dio Pruſanus, Chryſoſtomus, id eſt, os aureum cognominatus.

Xiphil. Veſp. p.220.

idem p. 222.

Philoſt. Ap. l. 5. c. 12.

id. de Soph.

§. XLIV.

Liber Paſtoris. Viſiones.

V. teſtimon. vet. in edit. Cotelerii.

Circa id temporis, nempe ſub Pontificatu S. Clementis Romæ Hermas degebat, libri Paſtoris auctor, qui a multis olim pro libro Canonico habitus eſt, & ut talis ab aliquibus SS. Patrum antiquiſſimis citatur. Idem Hermas eſſe creditur,

Hier. Script.

tur, de quo S. Paulus mentionem facit, dum illum inter illustrissimos Christianorum Romanorum numerat. In Matrimonio vivebat, habebat liberos, & simplex Laicus fuisse videtur, sed singularis omnino pietatis. Ex familiari cum Deo communicatione, quod tunc temporis non erat infrequens, multa didicit, quæ ad morum Doctrinam promovendam faciebant; ex his revelationibus fideliter relatis librum composuit, stilo valde simplici, & in tres partes divisum. Partem primam vocat visiones, alteram præcepta, & tertiam similitudines. At prima, & tertia ferme similes revelationes continent.

Sæculum I. A. C. 73.

Rom. 16. 14.

In prima visione narrat; sibi Romæ puellam occurrisse, quondam dum juvenis fuisset, notissimam, & pro sorore amatam; quæ, cum una die fuisset ejus oculis objecta, tacite in corde suo reputasse, quam fortunatus ipse fuisset, si uxorem duxisset tali forma, & moribus; & tum quidem, ait: *Cogitatione ultra progressus non sum. Post aliquod tempus ambulabam in cogitationibus istis, magnitudinem, & pulchritudinem operum Dei considerans. Subinde somno oppressum spiritus abstulit a dextra in locum, ubi propter rupes, & aquas gressus figi non poterat; hunc locum prætervectus veni in planitiem, ubi in genua procidens, rogare Dominum cœpi,*

Sæculum I. A. C. 73.

cæpi, & confiteri peccata mea. Dum orationi intentus sum, aperitur cælum, & video fœminam, quam desideraveram, quæ me ex alto salutabat, dicens: bona sit tibi dies, Hermas! ego respiciens, ajo: quid tibi in cælo: & ipsa: huc translata sum, ut peccata tua accusem coram Domino; Deus, qui in Cælis habitat, & omnia, quæ existunt, creavit, & propter Ecclesiam sanctam suam multiplicavit, iratus est, eo quod in me peccaveris. Et quando, inquam, vel ubi verbulum indecens tibi locutus sum? nunquid te semper tanquam sororem veritus sum? illa subridens: malum desiderium cor tuum subiit; vel hoc non esse peccatum reputas homini justo? est enimvero, & peccatum grande. Si vir justus habet cogitationes justas, & recte ingrediatur, Deus ipsi propitius erit; qui vero cogitationes malas in corde fovent, mortem sibi, & captivitatem accersunt; illi præprimis, qui hoc sæculum amant, qui in divitiis gloriantur, qui bona futura non sperant, qui dubitant, & in Domino non confidunt; tu vero Deum roga, & sanabit peccata tua, & peccata totius familiæ tuæ, & omnium Sanctorum.

Cum ita fuisset locuta, clausum est Cœlum; me vero tristitia, & timor occupavit cogitantem; *si hoc peccatum mihi imputetur, quomodo salvari potero? vel quomodo placabo Dominum pro peccatis meis,*

mies, quorum tantus est numerus? In his cogitationibus fluctuans, vidi magnam Cathedram, quam lana alba, sicut nix, tegebat; tunc Mulier anili ætate, & splendido vestitu ingreditur, librum manu tenens; sola assedit, mihique salutem dicit, ego reddidi lacrymans; tunc ait: *Hermas! quare tristis es, cum sis vir patiens, modestus, & semper hilaris? respondi: mulier magnæ probitatis pudendum crimen mihi exprobravit, quod contra eam commiserim; ipsa: Deus servos suos a tanto malo præservet; sed forte concupiisti eam in corde tuo? abominabilis adeo cogitatio absit a servo Dei! malas actiones facere non desideret, præsertim Hermas, qui ab omni pravo desiderio semper abstinuit, & cujus tanta est simplicitas, & innocentia. Non autem propter te Dominus iratus est, sed propter filios tuos, qui peccarunt in eum, & in Parentes suos.*

Quia diligis filios tuos, non corripuisti, eos, & permisisti, ut violenter agerent. Ideo Dominus irritatus est contra te. Attamen sanabit omnia mala, quæ in domo tua facta sunt, & quæ rerum tuarum domesticarum ruinam causarunt. Modo tui miseretur, animum cape, conforta familiam tuam, perge, eam quotidie in verbo sancto instruere, & monere non cesses; scit enim Dominus; ex toto corde suo pœnitentiam acturos, & te in librum vitæ inseret.

Sæculum I. A. C. 73.

Post hæc verba, inquit: num me legentem vis audire? repono ego: & quidem lubenter. Ergo audi! & aperto libro legebat res altissimas, & admirabiles, quas retinere non poteram, quia erant verba terribilia supra hominis captum. Nihilo minus memoria retinui hæc ultima verba: *Ecce Deus exercituum, qui Potentia sua invisibili, & Sapientia infinita mundum creavit, qui suo consilio glorioso omnes creaturas pulchritudine circumdedit; qui per virtutem verbi sui firmavit Cælum, & terram super aquas fundavit, & per potentiam suam formavit sanctam Ecclesiam suam, quam benedixit. Jamque Cælos, & montes, & colles, & maria transferet, & omnia electis suis implebuntur, ut promissionem suam in eis adimpleat, postquam cum magno honore, & lætitia observarint leges Dei, quas magna fide receperunt.* Cum cessasset legere, surrexit, & venerunt quatuor juvenes, qui Cathedram versus Orientem avexerunt. Ipsa, me compellatum, tangit in pectore, interrogans: *Num placuit tibi lectio mea?* tunc ajo: *Ultima hæc verba placent, sed præcedentia sunt valde dura. Hæc ultima,* inquit: *ad justos pertinent, alia ad Apostatas, & Paganos.* Dum loqueretur, apparuerunt duo viri, qui ea in humeros sublata, versus eandem Regionem, qua Cathedra, nempe ad Orientem abierunt; ipsa lætabunda

bunda discedebat, inquiens: *Bono animo esto Hermas.* Talis est prima visio. Sæculum I. A. C. 73.

Anno sequenti eandem Anum vidit, non sicut antea sedentem, sed ambulantem, & commentarium legentem, quem ipsi dedit describendum; descripsit de littera ad litteram, syllabas non intelligens. Postquam commentarium descripsisset, ablatus est ex manibus ejus, non videntis, quomodo id fieret. Post quindecim dies, cum multum jejunasset, & orasset, sensus hujus scripturæ ipsi revelatus est; erant vero admonitiones ad eum de peccatis liberorum, & uxoris ejus, quæ fuit obtrectatrix; corripere quidem eos jubebatur, sed sine odio, quod sibi male feciissent. Ibidem ipsi prædicebatur, uxorem ejus, fore sororem suam, quo indicabatur, eos in continentia victuros. Hæc omnia ipsi revelata sunt dormienti a juvene formoso, qui ait ad illum: *Quam putas esse illam Anum, a qua accepisti commentarium?* respondit Hermas, *credidero ipsam esse Sybillam; falleris, ait juvenis, est enim Ecclesia Dei. Quare ergo,* inquit Hermas, *plena annorum est? quia,* reponit juvenis, *prima omnium a Deo creata est, & Mundus propter ipsam factus est.* Deinde, inquit Hermas: Visionem habui in domo mea: *Anus illa veniens, interrogabat, num commentarium jam Presbiteris tradidissem: respondi, quod*

Visio II.

n. 4.

Sæculum I. A. C. 73.

non. Bene factum inquit illa: sunt enim adhuc, quæ tibi dicam; cum dixero omnia, illa Electi clare intelligent. Duos commentarios exarabis, unumque mittes ad Clementem, & alterum ad Grapten. Clemens eum civitatibus exteris communicabit. Grapte viduas, & orphanos commonefaciet. Tu vero hujus civitatis Presbiteris, qui Ecclesiam gubernant, præleges.

V. Orig. Periarh. lib. 4. c. 2. in Philocal. c. 1.

Liber Pastoris.

Hic Clemens alius esse non potest, quam S. Pontifex, Ecclesiam Romanam cum auctoritate in alias Ecclesias gubernans. Grapte aliqua ex Diaconissis fuisse videtur.

Visio III.

Postquam Hermas iterato multum jejunasset, & orasset, ut sibi revelarentur, quæ Mulier promiserat; illa apparuit ipsi nocte, jussitque, ut ad meridiem in locum a frequentia remotum, & campestrem veniret. Ipse in loco condicto comparuit, viditque scamnum cum pulvinari, & linteum, desuper stratum; quod cum videret in solitudine, exhorruit, steteruntque comæ; attamen resumpto animo, flectens genua, iterum peccata sua confitebatur Deo. Tunc Mulier cum sex juvenibus, quos viderat, venit, & tangens eum retro, ait: *Cessa aliquando orare pro peccatis tuis, sed etiam pete Justitiam, ut ejusdem Domus tua particeps fiat.* Tumque surgere jussum, & manu prehensum,

sum, ad scamnum ducit, aitque ad juvenes: *Ite, & ædificate;* ipsum vero, ut sedeat, invitat; cumque ad dextram voluisset considere, signo ad lævam transire imperat; *dextra enim*, ajebat: *illis destinata est, qui propter Nomen Dei passi sunt. Multa tibi facienda superstant, ut cum istis sedere dignus sis, & in multis adhuc deficis.* Sæculum I. A. C. 73.

Tum ei turrim magnam ostendit, quæ ex lapidibus quadratis, & nitidis super aquas ædificabatur. Figura turris erat quadrata; sex juvenes ædificabant eam, & Myriades integræ aliorum hominum comportabant lapides. Quidam illos ex profundo aquarum extrahebant, alii terra transportatos sex juvenibus tradebant. Lapides, qui ex aquarum fundo assumebantur, jam erant secti, ut statim locari possent; & tam apte jungebantur, ut nullo apparente nexu, turris unico lapide consurgere videretur. Ex aliis vero lapidibus terra comportatis, quidam a juvenibus ad ædificium adhibebantur, alii rejecti, confringebantur. Circa ædificium plures adhuc alii jacebant lapides, quorum usus non erat, quia nonnullis erant latera inæqualia, aliis fissura hiabat; alii erant albi, sed rotundi, ut ædificio non quadrarent. Aliqui longe a turri projecti, cadebant in viam, nec ibi manebant, sed in locum desertum provolve-

Sæculum I. A. C. 73.

bantur; alii cadebant in ignem, & ardebant; alii prope aquam decidentes, quamvis vellent, in eam devolvi non poterant.

n. 3. Quærenti Hermæ hujus visionis explicationem, Mulier annosa ait: *Turris, quam ædificari vides, ego ipsa sum, id est, Ecclesia. Super aquas ædificatur, quia vestra vita per aquam servata est, & super verbum Nominis glorioſi, & omnipotentis fundata.* His Baptismum denotabat.

n. 4. Tum sic prosequitur: *Hi sex juvenes, qui ædificant, sunt Angeli Dei, quibus dedit potestatem in omnes creaturas. Cæteri, qui comportant lapides, etiam sunt sancti Angeli, at primi sunt multo excellentiores. Postquam ædificium fuerit consummatum, apud turrim juge convivium celebrabunt, & glorificabunt Deum. Lapides albi, quadrati, & structuræ convenientissimi, sunt Apostoli, Episcopi, Doctores, & Ministri, id est, Presbiteri, & Diaconi tam mortui, quam vivi, qui in sanctitate, & modestia erga Electos Dei munere suo functi sunt, & pacem, unionemque cum eis servarunt.*

n. 5. *Lapides, qui ex aqua tolluntur, & apti sunt ædificio, illos indicant, qui mortui, & pro Nomine Domini passi sunt. Per lapides, qui terra advehuntur, & structuræ aptantur, Neophyti, & Fideles intelliguntur; qui rejiciuntur, & prope turrim jacent, ii sunt, qui peccarunt, voluntque pœnitentiam agere; si*

eam

Sæculum I. A. C. 73.

eam peragunt, quamdiu ædificatur, adhiberi poterunt, quando autem ædificium erit completum, locus eis non erit amplius.

n. 6. *Lapides, qui confringuntur, & longius projiciuntur, sunt impii, qui malitia non depositā fidem susceperunt, animo non sincero; sunt ædificio inutiles, & pro talibus non est salus. Quod attinet ad alios lapides, quæ ædificio non applicantur, inæquales, indicant illos, qui veritatem cognitam, non secuti, communioni Sanctorum se non junxerunt. Quibus fissura est, sunt illi, qui apparenter tantum pacifici, discordiam in corde suo alunt. Lapides nimis parvi, illi sunt, qui fide susceptā, plerisque sicut antea vitiis laborant. Denique lapides albi, & rotundi, sunt Divites, qui fidem amplexi, cum venit persecutio, propter suas divitias Domino renuntiant, ædificio inepti, nisi ab eis divitias resecueris, sicut lapides rotundi, quorum pars magna rescindenda est. A te ipso exemplum cape, Hermas! dum dives fuisti, eras inutilis, nunc vero aptus es ad vitam. Nam & tu inter illos lapides eras.*

n. 7. *Lapides, qui longe a turri projiciuntur, & in viam devolvuntur, indeque in desertum, sunt illi, qui crediderunt, iterumque animo fluctuantes, viam rectam deseruerunt, putantes se hac meliorem inventuros. Hi sunt errabundi, & miserabiles. Qui in ignem cadunt, illis significantur,*

Sæculum I. A. C. 73.

cantur, qui a Deo vivo remoti sunt in æternum, qui de pœnitentia non cogitant, quod dissolutioni, & crimini assueverint. Qui vero secus aquam decidunt, & in aquam intergi non possunt, illos repræsentant, qui audito verbo Dei, Baptismum desiderant, cum vero Religionis sanctitatem considerant, retrocedunt, & in priora desideria peccaminosa relabuntur. In hunc modum Ecclesia Hermæ turris visionem

n. 8. exponebat. Post hæc ostendit ipsi circa ædificium septem fœminas; quorum prima erat fides, tum ejus filia abstinentia, tum simplicitas, innocentia, modestia, disciplina, charitas. Unaquæque sequens, filia erat præcedentis; nempe simplicitas filia abstinentiæ, innocentia filia simplicitatis, & sic de cœteris. Ipsæ turrim fulciebant, eosque, qui sibi essent addicti, admittebant.

n. 10. Hermas magno tenebatur desiderio sciendi, quare Ecclesia sibi tribus formis differentibus apparuerit; prima vice valde annosa, & in Cathedra sedens; altera vice vultu junioris, carne autem, & capillis vetulæ, stando se alloquens, & hilarior, quam prius visa. Tertia vice tota juvenis, & formosa, nisi quod capillos haberet aniles, sedebatque in scamno vultu ridentis. Post iterata jejunia, & preces, juvenis ei de nocte apparuit, inquiens:

n. 11. *Primum tibi annosa, & sedens in Cathedra appa-*

Sæculum I. A. C. 73.

apparuit, ut indicaret, te esse spiritu debilem, & languentem propter negotia temporalia, quæ te tristem, & acediosum effecerunt, sicut virum senectute decrepitum, cum tamen potius fiduciam in Deo ponere oportuisset. Post revelationem tibi a Deo factam, spiritus tuus renovatus est, virtus tua, & fides confortata, sicut viri senis, cui nuntiatur, natum sibi esse successorem; tunc surgit gaudens, confortatur, stat in gradu suo, & cum vigore agit. Hoc significat secundus status, in quo mulierem istam juniorem, & stantem vidisti. Tertia apparitione adhuc plus vigoris, & alacritatis ostendit, ut exhiberet, quomodo spiritus tuus visione turris, aliisque a Deo acceptis beneficiis fuerit confirmatus; scamni, quo sedebat, quatuor pedes hujus status soliditatem, & sinceræ pœnitentiæ effectum denotabant.

Visio IV.

Tribus septimanis post primam visionem apparuit ipsi secunda. Hermas solus ambulabat ruri, in alio quodam loco remoto, villam petens a via publica quasi semileucam distantem. In itinere Deum rogabat, ut, quæ sibi revelasset, adimpleret, tribueretque pœnitentiæ gratiam omnibus servis suis, in peccatum lapsis, ut nomen ejus honorificaretur. Tunc audiit quasi vocem dicentem sibi: ne timeas Hermas! ipse cogitabat: quid mihi timendum sit, postquam visiones tam gran-

Sæculum I. A C. 73.

Liber Pastoris.

des vidi? & paululum progressus, in distantia ferme centum viginti passuum vidit pulverem usque in cœlum ascendentem, crediditque equorum calcibus excitari; cum autem pulvis magis, magisque excresceret, portentum suspicatus est. Tumque micante solis radio vidit belluam grandem, tanquam balænam, ferme centum pedes altam, faucibus locustas igneas eructantem. Quod videns cœpit flere, & rogare Deum, ut ab hoc monstro liberaretur; & recordatus verbi, quod audierat; ne timeas; fide armatus, bestiæ obviam processit, venienti ad se tanto impetu, ut prosternendæ civitati par fuisset; cum vero Hermas ei fuisset proximus, tota in terram procubuit, immobilis, nisi quod lingua palpitaret, usque dum Hermas pertransisset eam. Ipsi ferme triginta passus belluam jacentem prætergresso, occurrit puella, ornata quasi de Thoro suo egrediens, tota a calceamento albis vestita. Mitram gestabat, capillis suis nitentibus tecta. Cum magna lætitia cognovit esse Ecclesiam, quæ interrogans, an nihil ei accidisset, ait; quod fide sua evaserit belluæ insidias. *Dominus*, subjunxit ea: *misit Angelum suum, Bestias domantem, & comprimentem fauces, ne devoret. Ito igitur, & mirabilia Dei Electis ejus narra, dicesque ad eos; hanc Bestiam figuram esse Persecutio-*

n. 2.

Sæculum I. A. C. 73.

secutionis venturæ, sed in Deo confidant, & sic in eorum potestate erit, ne noceat. Hæ sunt quatuor visiones, quas liber primus Hermæ continet.

§. XLV.

Præcepta Pastoris.

Liber secundus ita incipit: *Cum domi meæ orarem, & in lecto sederem, vi-* *Tertull. de orat. c. 12.*
sus est mihi intrare vir vultu venerabili, & Pastoris habitu, candido tectus pallio, pendente ex humeris panariolo, & baculum manu gestans. Is me salutavit, & ego salutem reddidi, tumque penes me considens, ait: ego missus sum ab illo Angelo venerabili, ut habitem tecum omnibus diebus vitæ tuæ. Credidi ipsum venisse ut me tentaret, & ajo: quis ergo es tu? scio enim cui concreditus sim. Ipse: non me novisti? non te novi, reposui ego, ille inquit: ego sum Pastor ille, cui concreditus es. Dum loqueretur, immutata est forma ejus, & agnovi custodem meum; hinc timore, & dolore confundebar, quod imprudenter respondissem, ipse autem ait: animum cape ex præceptis, quæ tibi tradam, missus enim sum, ut tibi adhuc omnia ostendam, quæ jam vidisti. Scribe ergo primum præcepta mea, & similitudines meas, reliqua scribes, sicut tibi ostendero. Jubeo autem, ut statim mea præcepta, & meas similitudines

Sæculum I. A. C. 73.

dines scribas, quia si sæpius releges facilius observabis. Scripsi igitur, ut jusserat. Subjunxit: si ea observes, & puro corde exequaris, accipies a Domino, quod spopondit tibi. Si postquam audiveris, loco pœnitentiæ peccata adjicias, Dominus tibi adversitates immittet. Hæc me scribere jussit hic Pastor, Angelus pœnitentiæ.

Hanc præfationem sequuntur præcepta numero duodecim, quæ sunt quasi tot capita, præcipuas Doctrinæ Moralis regulas continentia. Ex hac visione, ubi Angelus sub forma Pastoris apparet, toti Hermæ operi nomen inditum est. Angelus enim semper loquitur in hoc secundo, & tertio libro. Sæpe Hermas quæstiones immiscet, & respondet Angelus.

Mandat. 4. n. 1. In Præcepto quarto regulas pro matrimonio præscribit in hunc modum: *Si uxor Christiana adulterium commisit, quamdiu maritus ejus hoc ignorat, non peccat, si cohabitet cum ea, si autem sciat, & ipsa pœnitentiam non egit, si cohabitet, ejus criminis particeps fit. Igitur dimittere eam debet, & solus manere. Si aliam accipiat, ipse committit adulterium. Si mulier egerit pœnitentiam, & redire voluerit, recipere eam debet, aliter enim grande committeret peccatum. Pluribus autem vicibus non recipiat; unica est pro servis Dei pœnitentia.* Quod hic dicit, cum antiquo Ecclesiæ usu convenit, ubi tantum

V. not. Coteler.

Sæculum I. A. C. 73.

tantum una vice pœnitentia publica majorum criminum concedebatur. Adjungit; adulterium esse peccatum æquale in viro, & muliere. Secundas nuptias probat, dicens; si post mortem mariti; vel uxoris superstes nubat, non peccare, si autem solus permaneat, id sibi magno coram Deo honori fore. *n.* 4.

Audivi a quibusdam Doctoribus, inquit hic Hermas; præter Baptismum aliam non dari pœnitentiam, te hinc deinde non amplius peccandum. Respondet Angelus; Baptismum non esse proprie pœnitentiam, sed remissionem; pœnitentiam vero illis esse remedium, qui postquam vocati, & numero Fidelium adlecti fuerint, per malas Dæmonis artes cecidissent; his Deum indulgere pœnitentiam. Qui vero ceciderit sæpius, & sæpius pœnitentiam egerit, ipsi profuturam non esse, eo quod difficulter in Deo victurus sit; id est frequentes relapsus pœnitentiam suspectam reddere. Mandato sexto ait; singulis hominibus duos datos esse Angelos, alterum bonum, & alterum malum; opera boni nos in virtutem ferri, opera mali in vitium; nosque ex nostris inclinationibus, quis amborum nobis adsit, posse cognoscere. *n.* 3. *Clem. Alex. 2. Strom. p.* 385. *Hebr.* 6. 4. *Mand.* 6. *n.* 2. *Orig. III. princ.* 2. *hom.* 35. *in Luc. Cass. coll. oct. c.* 17. *& Coll.* 13. *c.* 12.

In Mandato decimo, inquit; dari falsos Prophetas, qui servos Dei, nisi in fide firmati sint, pervertunt. Et pergit: *Mand.* 10. *n.* 1.

Quidam

Sæculum I. A. C. 73.

Liber Pastoris.

Quidam tales impostores consultant, quasi divino Spiritu plenos, & quærunt, quæ sibi sint obventura; falsi Prophetæ juxta stultitiam eorum respondent, & adulationibus inflant. Aliquid veritatis dictu immiscent, ipsis suggestum a Dæmone, ut quemquam justorum ad lapsum trahant.

Clem. Alex. 1. Strom. p. 312.

Qui fortes sunt in fide, & veritatis amantes, ab his falsis Prophetis fugiunt. Tantum in fide trepidantes, & jam pœnitentes, jam relapsi consilium a talibus petunt, sicut Pagani, & ita in peccatum Idololatriæ incidunt, propter nimium ad temporalia affectum, super his enim Divinatores consultant. Spiritus, qui vere Dei est, non exspectat, ut interrogetur, ex se omnia manifestat.

Mand. 11.

Tunc Angelus Hermæ homines ostendit in scamno sedentes, nempe illos debiles in fide Fideles, & alium sedentem in Cathedra, scilicet falsorum Prophetarum unum, Spiritu terreno repletum; *Non ingreditur*, inquiebat: *Ecclesiam viventium, sed fugit eam; dubitantibus, & vacuis adhæret, & vaticinatur eis in angulis, & locis obscuris, & assentatur loquens secundum desideria eorum.* Tum signa indicat, quibus veri

Mand. 12.

a falsis Prophetis distinguantur. Spiritus Dei, inquit: *Pacificus est, & humilis, ab omni malitia, & vanis desideriis hujus mundi alienus, estque supra omnem respectum humanum. Interrogantibus non respondet,*

spondet, neque Personis privatis, nam Spiritus Dei non loquitur homini, quando homo vult, sed quando Deus vult. Quando igitur homo, Spiritum Dei habens, venit in Conventum Fidelium, eis orantibus, S. Angelus hunc hominem implet Spiritu S. & loquitur congregationi, sicut Deus vult. Econtra Spiritus terrenus, vanus, sine sapientia, & virtute, in eo dignoscitur, quod ille, quem agitat, elevetur, primum locum affectet, sit importune loquax, in deliciis, & voluptatibus vivens; salarium petat, & sine mercede non vaticinetur. Non ita Prophe-ta Dei. Sæculum I. A. C. 73.

Acceptis his duodecim mandatis, Hermas inquit; illa sibi magnifica, & speciosa videri; at vero subjungit: *Nescio, an ea homo observare possit.* Tum Angelus: *facile ea observabis, nec erunt gravia. Si autem tibi ipsi fingas, esse homini observatu impossibilia, tunc ea non servabis. Attamen dico tibi: si ea negligas, nec tu, nec liberi tui, nec domus tua salvabimini, eo quod proprio judicio ea observari non posse æstimaveris.* Hæc verba cum iracundia, & vultu terribili proferebat, ita ut non esset homo, qui ejus aspectum sustinere valeret; perterritus est Hermas, & Angelus, videns pavorem ejus, mollius, & hilarius loqui cæpit, infirmitatem, & ignorantiam ejus incre- n. 3.

Sæculum I. A. C. 73.

increpans, quod non consideret potentiam Dei, qui omnes creaturas homini subjecit, homini vero dedit potestatem mandata sua servandi. Et prosequitur: *Omnibus his præceptis major erit, cui Deus in corde est, quibus vero solummodo in labiis est, ea difficilia videbuntur, & aspera.* Tunc Hermas: *Nemo est, qui non petat a Deo virtutem servandi mandata ejus, at Dæmon crudelis est, & servos Dei sua potentia ligat.* Respondit Angelus: *Dæmon non habet potestatem in servos Dei, qui in eum ex toto corde credunt; oppugnare potest, vincere non potest. Si scias resistere, confusus auffugiet.*

§. XLVI.

Pastoris similitudines.

Simil. IV. Tertia libri Hermæ Pars, similitudines continens, plena est instructionibus moralibus, sicut priora. Inter alias notari merentur sequentes. Suadet ipsi Angelus, ut multitudinem negotiorum fugiat, quod viam ad multa peccata sternant, & sint quasi vincula, quibus a Dei *Simil. V. n. 3* servitio impedimur. Dum de jejunio loquitur, ait; incipiendum esse ab observatione mandatorum Dei, si quis deinde alia bona opera velit adjungere, ei ampliorem mercedem fore. *Die qua jejunabis,*

nabis, subdit: *nihil præter panem, & aquam sumes, & computatis, quæ de die pro victu tuo expendere soles, sepones, viduæ, orphano, & pauperi erogan-da.* Jejunium hic vocatur statio. Qui jejunabat, mane statim ad orationem secedebat.

De illis, qui pœnitentiam agunt, Angelus sic loquitur: *An putas eorum peccata statim deleri? non statim profecto; sed necesse est, ut pœnitens in omni occasione se affligat, & humiliet, & varias pœnas patiatur; & postquam omnia, quæ imperata sunt, tulerit, tunc forte Creator ejus miserebitur, & remedium conferet, si videat, quod cor ejus ab omni malo opere aversum sit.* In alio loco Angelum de diversis peccatorum generibus differentem, Hermas interrogat; quare non egerint pœnitentiam? respondet Angelus: *Illi, quorum animam futuram esse puram vidit Dominus, sibique ex toto corde suo servituros, iis pœnitentiam concessit; illis vero, quorum vidit malitiam eosque fallaciter ad se reverti, denegavit, ne rursus maledictiones contra suam Legem proferant.*

Simil. VII.

Simil. VIII.

Duabus deinde imaginibus varios Christianorum status sic depingit: *Apostatæ, qui Deum negarunt, & blasphemarunt nomen ejus, servosque Dei prodiderunt, spiritu mortui sunt, sine spe*

Sim. VIII. & IX. VIII. 6. IX. 19. 26.

Sæculum I. A. C. 73.

pœnitentiæ, quamvis præcepta Dei eis proponantur, præsertim si sint efferi, a Fidelibus separati, de propria salute desperantes. Hypocritæ, perversa docentes, in hunc finem, ut alios a pœnitentia absterreant, difficulter convertentur, nec est eis pœnitentia super, nisi prompte amplectantur; necdum tamen desperatum, quia non blasphemarunt Deum, nec servos ejus prodiderunt; sed habendi desiderio in peccatorum hominum voluntatem condescenderunt.

Alii erant in fide dubii, alii absentium famæ detrahentes, invidi, pacis impatientes. Nonnulli, quamvis Fideles, & boni, nihilominus levi inter se invidia,

IX. 20. aut propter gradum, & Primatum æmulatione laborabant; & hi quidem, quia *magis fragilitate, quam malitia peccabant, non ita difficulter ad pœnitentiam perveniebant. Alii rebus mundanis impliciti, a consortio servorum Dei recedebant, in spiritu semi-mortui; nonnunquam dubio, & incertitudine fluctuabant, & poterant agere pœnitentiam, si modo prompte egissent. Alii divites, & temporalibus abundantes a servorum Dei communione declinabant, timentes, ne opem aliquam a se peterent. Magni Nominis, inter Gentiles acquirendi, desiderium multos in vitium ambitionis trahebat, vastas spes concipiebant, & veri-*

tate

tate derelicta non minus quam Justo- Sæculum I.
rum societate, vitam, quæ sibi commo- A. C. 73.
dior videbatur, agebant; non ex toto recedebant a Deo, sed fidem sine operibus servabant; aliqui eorum agebant pœnitentiam in exercitio operum charitatis; aliqui Paganorum exemplo seducti, vitiis, & deliciis immersi, similes illis fiebant.

Alii, postquam semper fuissent boni, & Fideles, vanitate desideriorum, & voluntatis inconstantia abstracti levia peccata commiserant, & facile ad pœnitentiam admittebantur. Alii in vitiis inveterati, fidem tamen semper servaverant, & hospitales in servos Dei fuerant; hi alacriter pœnitentiæ tabulam arripiebant, ex peccatorum suorum dolore voluntarie adversitatem tolerantes. Aliis nomen Domini erat quidem in o- IX. 21.
re, sed non in corde, & verbis tantum videbantur vivere, opera autem eorum erant mortua; hi animo erant suspensi, & ob minimum persecutionis rumorem ad Idola revertebantur; hinc nulla eis amplius erat spes pœnitentiæ, nisi cito egissent. Alii credebant quidem; sed 22.
magna audacia, & præsumptione videri volebant omnia scire, & alios docere, cum reipsa scirent nihil; quorum vanitas multos in lapsum impulerat, eorum aliqui, agniti erroris, pœnitentes,

Sæculum I. A. C. 77.

sanioribus se submiserant; eorumdem aliqui ad pœnitentiam redire poterant, quod imprudenter magis, quam malitiose peccassent. 23. *Aliis fidem servantibus erant leves contentiones, & dissidia; hi facile agebant pœnitentiam, illi vero difficulter, quibus erant graves rixæ, & iram coquebant, injuriarum memores.* n. 26. Quidam etiam Ministri Ecclesiæ dabantur, qui male munere suo fungebantur, spoliis viduarum, & orphanorum viventes, & quæ ab eis acceperant, in propria commoda, non autem aliorum vertentes. Talibus nulla salutis spes, inquit Pastor; nisi avaritiæ renuntient. n. 25. *Alii docent cum puritate, & sinceritate, malis desideriis resistentes, veritatem, & justitiam colentes.* n. 24. *Alii Fideles semper fuere simplices, & boni, sine rixis, de aliorum progressu in virtutibus gaudentes, semper omnibus benefacere paratissimi, & aliis labore suo parta communicare sine cunctatione, aut exprobratione. Deus eorum simplicitatem, & sanctam infantiam remuneraturus, eorum labori benedicebat, & omnibus favebat operibus.* n. 29. *Deo charissimi illi sunt, qui cum sinceritate parvulorum crediderunt, & sensus eorum nulla malitia corruptus est, qui in nullo Dei mandata transgressi, tota vita sua in bona voluntate constantes fuere.* Simil. IV. n. 12. Simil. VIII. n. 3. Tales sunt Hermæ ab Angelo

Angelo datæ instructiones. Alicubi dicit; Filium Dei omnibus Creaturis antiquiorem esse. In alio loco, Angelum sanctum Michaelem potestatem habere in populum Christianum, & eum gubernare. Alibi ait; Apostolos post mortem suam JEsum Christum annuntiasse Sanctis, qui eos in morte præcesserant, iisque Baptismum dedisse, sine quo eorum bona opera fuissent inutilia; quod intelligi debet non de aqua, sed de gratia Baptismi; fuitque hæc multorum antiquorum opinio, Apostolos mortuis prædicasse, sicut S. Petrus idem de JEsu Christo dixit. Denique subjungit; Revelationes, & visiones illorum bono esse scriptas, qui de veritate eorum, quæ didicerunt, dubitant, & argutantur, ut vacillans eorum fides roboretur.

Sæculum I. A. C. 77.

Simil. IX. n. 16. V. not. Cotel. Clem. Alex. 2. Strom. p. 679. 6. Stro. p. 638.

1. Petr. 3. 19. Vis. 3. n. 4. Clem. Alex. 1. Strom. in fin.

§. XLVII.

Mors Papæ S. Clementis, & scripta ejus.

S. Clementem Papam rexisse ajunt Ecclesiam Romanam ferme decem annos, usque ad annum octavum Vespasiani, JEsu Christi septuagesimum septimum. Ei successit S. Cletus; ideo tamen certum non est, S. Clementem fuisse mortuum; aliqui enim referunt, eum Cathedra Pontificali cessisse, ut schisma evitaret, & demum

S. Cletus.

Lib. Pont. Catal. Buch. Epiphanius hær. 27. c. 6.

Sæculum I. A. C. 77.

mum multo post tempore fuisse defunctum vita, scilicet anno JEsu Christi centesimo. Martyribus celeberrimis accensetur. Propter Doctrinæ famam factum, ut ipsi omnes libri, qui antiquissimi post libros Canonicos habebantur, & de quorum auctore non constabat, fuerint attributi, quales sunt Canones Apostolorum, & Constitutiones Apostolicæ; sunt autem hæ Constitutiones quædam collectio omnis Ecclesiasticæ Disciplinæ saltem pro partibus Orientis, quæ sæculo tertio posterior esse non potest. S. Clementi itidem auctori tributæ sunt ejus sic dictæ Recognitiones, qui liber vitæ ejus historiam, & mirabiles parentum suorum agnitiones continere dicitur, & quia auctor, quisquis ille fuerit, etiam ibi itinera S. Petri, & cum Simone Mago pugnas describit, dictus quoque est S. Petri itinerarium. Denique aliorum adhuc scriptorum Apocryphorum, quæ Clementinarum Nomine collectæ sunt, S. Clemens Auctor credebatur; nihil vero certi habemus, nisi Epistolam ad Corinthios, quam retulimus. (*)

Euf. III. hist. c. 34. Hier. de Script.

XLVIII.

(*) Hic Lutheranus Interpres Fleurii in Nota ad suam versionem Germanicam aliquot Scriptores Protestantes recenset, qui res Ecclesiasticas, aut Historiam SS. Pontificum prosecuti sunt.

Sæculum I.
A. C. 79.

§. XLVIII.

Vespasiani Mors. Titus, & Domitianus.

Imperator Vespasianus obiit anno JEsu Christi septuagesimo nono, vigesima quarta Junii, anno ætatis sexagesimo nono, Imperii decimo. Cum mortem imminere sentiret, ait; *Ecce! jam DEUS fieri mihi videor;* hoc joco cæremoniæ vanitatem traducens, qua se post obitum Deorum numero inserendum prævidebat. *Suet. n. 24.*

sunt. Mirum profecto! quod homines, Ecclesiæ Romanæ infensissimi, ejusdem Ecclesiæ Historiam texant; & Romanorum Episcoporum seriem sequantur! cur non potius Ecclesiarum suarum origines, & Pastorum suorum, aut Superintendentium ordinem enarrant? Interpres iste, Lutheri, ut conjectura est, Sectator, Fleurii, viri Catholici, libros viginti novem hactenus in patrium sermonem transtulit. Nempe etiam inviti Lectoribus suis indicant, ibi esse veram Ecclesiam, ubi ipsi Ecclesiasticam Historiam quærunt. Boehmerus Fleurii, Romano-Catholici Sacerdotis, Institutiones Juris Ecclesiastici, adjectis notis, latine reddidit, & corrupit. Ergo domi non habebat Jus Ecclesiasticum, in quod commentaretur? Pauperes sane Canonistas! qui Juris Pontificii centonibus, ut loqui assolent, nuditatem suam operire coguntur?

Sæculum I. A. C. 81.

Titus. An. 79.

Titus filius ejus primogenitus succes-
sit, hominum beneficentissimus; is quon-
dam cœnæ accumbens, & recordatus, se
ea die nemini gratiam contulisse, dicere
auditus est: *Amici! diem hanc perdidi.*
Id. n. 23. Duobus non amplius annis, duobus men-
Suet. Tit. n. 8 sibus, & viginti diebus regnavit, fatisque
cessit decima tertia Septembris annos
natus quadraginta, & unum, anno Chri-
An. 81. sti octuagesimo primo. Successorem ha-
Domitianus. buit fratrem Domitianum, qui crudelita-
te, & impudicitia vix Neroni concessit.
Eus. Chron. & V. hist. c. 13. *&* 21. Si certum sit, S. Linum, qui primus Ec-
clesiam Romanam post Apostolos rexit,
Martyr. 23. *Sept. Iren. l.* 3. *c.* 3. *p.* 232 *sup.* 26. duodecim annis sedisse, eum anno septua-
gesimo nono obiisse necesse est. Sepul-
tus est in Vaticano prope S. Petrum vi-
gesima tertia Septembris, & S. Martyri-
bus annumeratur. Post eum, & S. Cle-
S. Cletus. mentem S. Pontifex ponitur S. Cletus,
quem Græci nominant Anacletum, seu
Anencletum, id est, irreprehensibilem.
Etiam ipsi duodecim Pontificatus annos
tribuunt, sed forte hos annos cum annis,
quibus sedit S. Linus, confundunt; suc-
Martyr. 23. *Jul. Pet. Chrys. serm.* 128. *Mar-tyr.* 18. *Jun.* cessio autem est certa. Ad Vespasiani
tempora referunt Martyrium S. Apolli-
naris Primi Ravennatensium Episcopi, qui
sæpius toleratis tormentis quievit in pa-
ce; quamvis enim Vespasianus Chri-
stianos torqueri non jusserit, nihilominus
eos occidendi prætextus, tanquam Sedi-
tionis,

tionis, aut Sacrilegii reos, inimicis nunquam deerant. Sæculum I. A. C. 81.

Domitianus Imperator initio Regiminis multa utiliter imperavit. Impoſterum fieri Eunuchos vetuit. Antiquis Legibus contra adulteria novum vigorem addidit. Iterum Philoſophos non ſolum Roma, ſed tota Italia ejecit, & inter hos Muſonium, a parente ſervatum, Dionem Chryſoſtomum, Epictetem Stoicum, Peregrinum, Demetrium Cynicum, qui contra mandatum Puteolis hæſit. Quidam mutato habitu Hiſpaniam, alii deſerta Lybiæ, aut Scythiæ petiere. Nonnulli Romanorum obtentu Philoſophiæ a Domitiano necati ſunt.

Suet. Dom. cap. 7. Mart. 6. epig. 9. Lucian. Pereg. Suet. Dom. cap. 10. Philoſt. Apoll. VII. c. 2

§. XLIX.

Apollonius accuſatus coram Domitiano.

Apollonius Thyanæus tunc degebat in Aſia, & liberrime in Domitiani Tyrannidem declamabat; hæc Euphratus Imperatorem latere noluit, qui Aſiæ Prætori mandat; Apollonium teneret, & ad ſe mitteret, ſermonum arcanorum, quos cum Nerva, & amicis ejus Orphito, & Ruſo habuiſſet, rationem redditurum; hos enim Imperator ob conſpirationis ſuſpicionem exilio mulctaverat; quidquid autem rei ſubfuerit, Nervam Domitiano

Philo. l. VII. c. 4.

Ibid. c. 3.

Sæculum I. A. C. 81.

succeſſiſſe certum eſt. Apollonius mandatum præveniens, in Italiam profectus eſt; Puteolis Demetrium Cynicum in-
c. 5. 6. 7. venit, cui expoſuit itineris ſuſcepti cau-
c. 8. ſam, & ſe quidem mortem contemnere, ſed vehementer timere, ne ſe orbis nocentem crederet, & ipſe chariſſimis amicis periculum creaſſet. Venit igitur Romam, ſolo Dami comite, cui ſuaſerat, ut comam abſcinderet, & veſtitu communi incederet; ipſe Philoſophi habitum nunquam depoſuit. Ælianus Prætorianorum Præfectus, qui Apollonium jam in Ægypto, vivente adhucdum Veſpaſiano, noverat, & ſingulari in eum ferebatur affectu, quidquid in ſe opis erat, exhibuit diſſimulans tamen, ne Cæſari ſuſpicio-
c. 10. nem moveret; omnia ergo accuſationis capita, contra eum in medium proferenda detexit; primo, inquit: objicient; veſtitum exoticum, & ſingularem vitæ modum, deinde, eſſe, qui tibi divinos honores tribuerent; cum eſſes Epheſi, te ibi, peſte graſſante, Oraculum edidiſſe; te, tanquam a quodam Deorum afflatum, tam inter domeſticos parietes, quam publice contra Imperatorem dixiſſe; graviſſimum autem omnium, quod, cum in
c. 11. villam ad Nervam divertiſſes, diſſectum ex Arcadia infantem nocturno tempore, & menſe exeunte in Cæſaris perniciem immolaveris. Ita inſtructum in honeſtiſſimum,

stissimum, quo poterat, mittit carcerem, ubi Apollonius mixtis cum Dami sermonibus, & cæteris captivis consolatoria ingerendo tempus fallebat. Sæculum I, A. C. 81.

c. 13.
c. 12.

Imperator Apollonium ante judicium visurus, eum vocari jubet; ivit igitur cum unico socio Dami, multum trepidante. Solus Apollonius introductus est ad Cæsarem, cum Minervæ sacrificasset in quadam Adonidis aula, hoc enim nomine dicebantur floribus, frondibusque ornatæ, quarum usus ex Syria venerat. Respiciens Domitianus, conspecta peregrina viri specie, ait: Æliane! Dæmonem ad me adduxisti. At Apollonius intrepide: *Video*, inquit: *necdum tibi eandem a Minerva gratiam obtigisse, quæ Diomedi, nec removisse ab oculis nubem, quæ Deos, & homines discernere prohibet;* deinde Imperator ad rei summam veniens, multa de conjuratione Nervæ, Rufi, & Orphiti percontatur. Apollonius nihil tale fassus, eorum fidelitatem, mentemque ab omni ambitu alienissimam libere dilaudabat; his ad iracundiam motus Imperator, eidem barbam, & capillos radi, grandi enimvero Philosophiæ injuria! & vinculis vinciri inter sceleratissimos jussit.

c. 14.

Iliad. E. v. 127.

Cum sedenti in carceris obscuritate, Damis suam commiserationem contestaretur, ait: *Jam finis malorum est, nec enim morien-*

c. 16.

Sæculum I. A. C. 81.

moriendum mihi; quando vero liberaberis? ait Damis; *liberabor*, reponit ille: *a judice meo hodie; a me ipso in hoc momento*; inter hæc verba crus alterum ferro eximit, dicens: *Ecce! mi Dami! meæ libertatis argumentum; animo forti esto.* Tunc primum Damis agnoviſſe ratus eſt, Apollonium ſupra mortalem eſſe, & divinæ naturæ participem; nec enim hoc magicæ arti tribui poſſe putabat, *c.* 17. quod hoc Apollonius ſine ullius Sacrificii oblatione, ſine precibus, ſine arcanorum verborum pronuntiatione feciſſet. Quaſivero Dæmon ſine his externarum cæremoniarum offuciis operari nequiret; hæc tamen erat Gentilium perſuaſio. Statim Apollonius crus ſuum, quod vinculis liberum apparuerat, rurſus iisdem inſeruit, & ea adhuc die precibus Æliani catenis, & huic ſpecui ereptus eſt, & in priorem carcerem, commodioremque deductus. Tum Damim Puteolos mittit, ut ſe ibi cum Demetrio exſpectaret, quo Damis tertia exinde die pervenit.

Luc. 8. *c.* 1. Tandem Apollonius Imperatori ſiſtitur, cauſam dicturus. Cum ingrederetur, omnia intrantis veſtimenta ſcrutati *c.* 2. ſunt, ne forte faſcias, ſchedas, aut alterius generis caracteres, quibus occulta vis ineſſet, circumferret. Ornatum erat auditorium, ſicut in magna ſolemnitate conſueverat, & Imperii Proceres juſſu Cæſaris

Sæculum I. A. C. 81.

Cæsaris moniti convenerant. Postquam Actor accusationis finem fecerat, Apollonius sermone præparato prolixius se defendere ordiebatur; at Imperator moræ impatiens, paucis quæstionibus totum absolvit; quare non more aliis communi vestiretur? *Quia*, inquit: *terra, ex qua nutrior, etiam mihi tribuit, quibus vestiar, ne miseris animantibus oneri sim. Quare Deus vocaretur? quia*, inquit: *omnis vir probus hoc nomine honorari potest. Unde autem*, ait Domitianus: *præsciebas luem, Ephesi superventuram, quam prædixisti?* Ad hoc Apollonius: *Cibi simplices, quibus vescor, mihi omnium primo indicium fecere mali venturi; si vis, horum morborum causas tibi pandam. Non est opus*, reposuit Cæsar; timens forte, ne sua sibi flagitia exprobraret; tumque per morulam cogitationibus detentus, ait: *Edic, quando domo egressus, tali die, in campestria te contulisti, cui illum infantem sacrificasti? parcius ista!* retulit Apollonius: *Si in rura exii, immolavi, si immolavi, de immolato manducavi.* Prodeant testes, fide digni, &, quod res est, dicant; his fidem facere volens, omnia esse conficta.

Apollonius coram Domitiano.

Tota concio applaudere visa; & Imperator, quasi ejus rationibus convictus, *absolvo te*, inquit: *ab accusationibus; hic autem*

Sæculum I. A. C. 81.

autem manebis, dum privatim fuerimus collocuti. Credet, quiscunque voluerit, narranti Philostrato; Domitianum, Tyrannorum vix ulli secundum, ita leviter virum, ex alia orbis parte accitum, conjurationis, & læsæ Majestatis suspectum absolvisse, & non nisi proprio testimonio protectum dimisisse. Attamen quæ subjungit Historicus multo magis fidem omnem superare videntur; Apollonius, inquit: gratias Cæsari egit; ne autem similibus quæstionibus imposterum molestaretur, & ostenderet, se, nisi volentem, capi non potuisse, ex aula subito disparuit; Domitianus rem advertisse dissimulabat; constitit tamen, fuisse turbatum; quod in testamenti causa, quam deinde judicavit, & partium nomina, & litis materia ipsi exciderit. Apollonium vinculis solutum, & incustoditum nemine advertente ex hominum turba se proripuisse, nullatenus est impossibile; quod autem sequitur, non modo supra omnem fidem, sed &, sine Dæmonis opera, super possibilitatem est. Quidquid autem de veritate sit, res ita narratur;

c. 4.

Apollonius ante meridiem Romæ ex aula Judiciali disparuit, & eadem die ad vesperum Puteolis, ferme quinquaginta leucas distantibus, visus est. Damis illius monito morem gerens se illuc pridie contulerat,

Sæculum I. A. C. 81.

tulerat, ſpe omni revidendi chariſſimi amici amiſſa; poſtquam in maris littore cum Demetrio Cynico deambulaſſet, in Templo Nympharum conſederant, ajebatque Damis cum gemitu, *o Dii! num amicorum excellentiſſimum adhuc ſemel videbimus?* Ita eſt, videbis, inquit Apollonius: accedens ad eos, aut verius, vidiſti; tum Demetrio dextram porrigens, dubitanti, & interroganti, an viventem videret, vel umbram mortui, inquit: *Amplectere me, & ſi e manibus tuis elabor, phantasma crede, a Proſerpina objectum; ſi perſiſto, etiam Dami, me vobis vivere, perſuade.* Cum viam in urbem relegerent, omnia, quæ a diſceſſu Damis ſibi Romæ contigerant, narravit, aitque, quietem jam ſibi eſſe ſumme neceſſariam; ajunt enim, illos, quos Dæmon de loco in locum transfert, inſolite defatigari. Ubi in domum Demetrii pervenerunt, lavit pedes ſuos, ſeque in ſtratum conjecit, & quaſi pro veſpertinis precibus, quodam verſu Homeri in ſomni laudem recitato, indormiit, ad ſpeciem tranquilliſſime. c. 5.

Altera die Dami interroganti, in quam orbis Regionem ſe vellet conferre, reſpondit, in Græciam; repoſuit Damis, in Græciæ luce vix fore, ut latere poſſit, ipſe vero ait; ſe latebris non indigere. Tum valedicentes Demetrio, eadem die navi conſcenſa, in Siciliam traji- c. 6.

Sæculum I. A. C. 81.

trajiciunt, & inde in Peloponeſum, ut Ludorum Olympicorum ſolemnitati adeſſent. Omnes ſciebant, Apollonium Romæ captum, & vinculis fuiſſe onuſtum, immo rumor ferebat, eum juſſu Domitiani vivum flammis traditum, alii, in puteum fuiſſe demerſum, alii aliud narrabant; dum vero innotuit, Apollonium Piſæ eſſe ſanum, & incolumem, ex omnibus Græciæ angulis ad eum concurſum eſt, tantæ famæ virum non noviſſe, omnes probro ducebant. Interrogantibus, quomodo ex Imperatoris manibus evaſiſſet, ſimpliciter reſpondebat, ſe objecta crimina diluiſſe; at poſtquam aliqui ex Italia venientes, rem, ſicut contigerat, narraſſent, ejus modeſtia, ut ut ficta, omnibus adeo ſingularis viſa eſt, ut ipſum velut præſens Numen ſuſpicerent, parumque abfuerit, ut a tota Græcia adoraretur. c. 7. Quondam a Dami monitus, parum pecuniæ ſuis neceſſitatibus ſupereſſe, ait: craſtina providebo. Altera die in Templum veniens, ait ad Sacrificatorem, *da mihi mille drachmas de Jovis pecunia, niſi id Deo diſpliciturum putes.* *Immo*, ait Sacrificator: *id ſolum Numini displiciturum puto, quod non petitione majoris muneris ejus beneficentiam experiri volueris.* Ita duos annos in Græcia transegit, omnes ad ſe venientes inſtruens, & ad vitam tranquillam, negotiorumque tumultu

tumultu liberam exhortatus. Tum in Joniam rediit. Sæculum I. A C. 85.

§. L.

Episcopi Alexandrini, & Romani.

Anianus Episcopus Alexandrinus, S. Marci Successor, obiit anno quarto Domitiani, JEsu Christi octogesimo quinto, cum annos viginti duos ibi rexisset. Successit Abilius, rexitque hanc Ecclesiam annis tredecim. *Euſ. Chr. an. 85. & III. hiſt. c. 14.*

Romæ S. Cletus, seu Anacletus Papa obiisse fertur anno decimo quarto Domitiani, JEsu Christi nonagesimo quinto. Inter Martyres numeratur. Sunt, qui Cletum, & Anacletum ut diversos Pontifices distinguunt, quorum prior S. Clementi successisset anno septuagesimo septimo, & octogesimo tertio obiisset. Alii S. Anacletum ante S. Clementem ponunt. Quidquid autem de his sit, sequens Papa fuit S. Evaristus. Cui tredecim annos tribuunt, deinde S. Alexander, cui octo, huic autem successit S. Sixtus, vel Xistus, qui prius quam anno centesimo primo Pontificatum adire non potuit; anni enim incerti sunt, quamvis Successio sit certa. Annus 85. *Iren. III. c. 3. Catalog. Eucher.* S. Evaristus. S. Alexander. S. Sixtus.

Sæculum I.
A. C. 85.

§. LI.

Martyrium S. Joannis & Apocalypsis.

IMperator Domitianus sub finem Regni Christianos persecutus est. S. Joannes Apostolus, qui tunc Romæ erat, in ferventis olei labrum immissus, ante portam latinam, illæsus permansit. Tum relegatus est in Insulam Pathmos, Sporadum unam in Archipelago, quæ ferme decem leucas in circuitu habent; ibi die quadam Dominica Apostolo, cum esset in Spiritu, multæ revelationes factæ sunt, datumque ei in mandatis, ut eas septem præcipuis Asiæ Ecclesiis scriberet, scilicet Ephesiæ, Smirnensi, Pergamensi, Thyatirensi, Sardicensi, Philadelphiæ, & Laodicææ. Apostolus sermonem ad Angelos harum Ecclesiarum, id est, Episcopos, dirigit, at monita, quæ in iis continentur, potius ad totum statum uniuscujusque Ecclesiæ, quam ad Episcoporum Personas pertinere creduntur. Prima est Ecclesia Ephesiorum, ubi Apostolus ordinarie residebat, & cujus Episcopus S. Timotheus S. Pauli Discipulus tunc temporis adhuc fuerit. Hanc Ecclesiam S. Joannes dilaudat propter laborem, patientiam, perseverantiam, contra Pseudo-Apostolos constantiam, & odium, quo in Nicolaitarum mores ferebantur; culpat vero remissionem

Tertull. præsc. c. 36. Hier. de Script. Joann. id. in Math. 20. 23. Orig. ibid. hom. 12.

Apoc. 1. 10.

Apoc. 2. 1.

nem charitatis, & exhortatur ad pœnitentiam. Secunda Ecclesia est Smyrnensis, ubi tunc conjectura est, S. Polycarpum fuisse Episcopum, de quo certum est, quod a Sancto Joanne Apostolo fuerit ibi constitutus. Hujus Ecclesiæ laudat paupertatem, in adversitatibus, & Judæorum calumniis patientiam; excitat, & prædicit, nonnullos eorum decem diebus fore persecutionibus obnoxios; quod haud dubie in persecutione Domitiani brevi & levi fuit adimpletum.

Sæculu m I A. C. 85.

Iren. III. c. 3. Hieron. de Script.

Apoc. 2. 8.

Tertia Ecclesia est Pergamensis, quam civitatem Apostolus nominat Satanæ habitaculum, ubi Thronum posuit, nempe ob celeberrimum Æsculapii Templum, quo ex omni Asia conveniebant. Mentionem etiam cujusdam Martyris Antypæ facit, qui vitam suam pro nomine JEsu posuit. Apostolus, seu verius Christus JEsus, in cujus Nomine loquitur, Ecclesiam Pergamensem laudat, quod Nomen suum conservaverit; at in eo vituperat, quod Nicolaitas toleret, docentes, Pseudo-Prophetæ Balaam exemplo, gulæ, & luxuriæ deliciis nihil homini exoptabilius. Quarta est Ecclesia Thyatirensis; laudat Apostolus ejus fidem, charitatem, patientiam, bona opera, quæ semper crescunt; reprehendit Pseudo-Prophetissæ tolerantiam, quæ ut altera Jezabel, sua doctrina Fideles seducat, ad impudici-

Apoc. 2. 12.

Philost. Ap. lib. IV. c. 3. Stat. III. Silv. 4.

Apoc. 2. 18.

Sæculum I. A. C. 85.

tiam, & manducanda Idolothyta excitet. Sub hac eadem Nicolaitarum doctrina hæretica intelligitur.

Apoc. 3. 1. Quinta Ecclesia est Sardicensis. Huic Ecclesiæ melior meritis fama erat, cum esset in plerisque membris Gratiæ mortua; tamen pauci supererant non contaminati. Hos Apostolus ad agendam pœnitentiam excitat, & doctrinam, quam recepissent, retinendam.

Apoc. 3. 7. Sexta Ecclesia erat Philadelphia. Non erat magni roboris, attamen in confessione fidei fidelis fuerat. Ait JEsus Christus, se huic Ecclesiæ aperuisse januam, quam nemo clauderet, Judæosque ejus pedibus prosternendos. Quod de propagatione Evangelii intelligendum. Protectionem suam in tentatione promittit, universæ terræ superventura; id est, in persecu-

§. 14. tionibus, diuturnitate, & extensione illas admodum superaturis, quæ sub Nerone, & Domitiano extitissent. Septima Asiæ Ecclesia est Laodicæa. Huic Apostolus teporem, & paupertatem exprobrat, quam ipsa non cognoscebat, seipsam innocentem reputans, quod delicta enormia non committeret. Fortiter hanc Ecclesiam ad conversionem impellit. Hæ sunt instructiones, quas S. Joannes ex JEsu Christi mandato ad Ecclesias Asiæ misit.

Multas deinde vidit visiones, quæ sæculis sequentibus futura sibi exhibebant.

Specia-

Speciatim perſecutiones quondam Ecclesiæ tolerandas, perſecutorum pœnas, Romæ, ubi Idololatriæ ſedes erat, ruinam, ipſius Idololatriæ extirpationem, & glorioſam Eccleſiæ victoriam. Hæc omnia Apoſtolo ſub imaginibus magnificis fuere repræſentata, & harum revelationum collectio, quas in Inſula Pathmos vidit, eſt liber Apocalypſis. In fine ſubjecit: *Proteſtor, cuicunque qui hanc Prophetiam audiverit; quiscunque aliquid addiderit, addat ei Dominus omnes plagas, in hoc libro ſcriptas; & quiscunque ei aliquid ademerit, adimet Deus portionem ejus de libro vitæ, & ſanctæ Civitatis.* Hæc proteſtatio propter illos ſcriptores videtur adjecta, qui libros deſcribebant, ut, his minis deterriti, hunc fideliter redderent; in quo facilius, quin adverti poſſet, propter ſenſus obſcuritatem, aliquid addi, vel ommitti poſſet.

Sæculum I. A. C. 85.

Apoc. 22. 18.

§. LII.

Perſecutio ſub Domitiano.

Eo perſecutionis tempore Domitiano innotuit, ſupereſſe quosdam Chriſtianos, origine Judæos ex ſtirpe David, & JEſu, quem pro Meſſia, & Rege agnoverant, ſanguine propinquos; timuit igitur, ne quid contra Imperium moverent; hi vero erant nepotes Judæ fratris JEſu

Hegeſ. apud Euſ. III. hiſt. c. 20.

Sæculum I. A. C. 95.

Christi secundum carnem. Imperator, in conspectum suum a milite adductos, interrogat, an ex stirpe David essent; quod ipsi fatebantur; quærenti ulterius quantos possiderent fundos, & quantum pecuniæ? respondent, sibi duobus esse patrimonium, quod novem denariorum millibus, id est, (ferme tribus millibus librarum nostræ monetæ supra quadringentas) æstimari posset; & hæc bona sibi non esse in parata pecunia, sed in agris, solummodo triginta novem dimensiones continentibus. (Sunt septem jugera cum quatuor perticis Parisiensibus) Ex his se tributa pendere, & victum comparare, manibus suis laborantes; simul his manus ostendebant callo rigidas, corporaque labore indurata. Tum Imperator quærit; quidnam sit JEsu Christi Regnum, ubi, & quando esset regnaturus? respondent; Regnum ejus non esse terrenum, nec hujus Mundi; sed Cœleste, & Angelicum; ipsum in fine Mundi apparitum, venturumque, ut vivos, & mortuos judicaret. Domitianus eos tanquam vilis conditionis homines innoxius dimisit; mandatum etiam edidit, ut persecutio saltem in Judæa cessaret. Hi duo Confessores postea facti sunt Ecclesiarum Rectores, usque ad Trajani tempora superstites.

Romæ

Sæculum I. A. C. 95.

Romæ Judæi peſſime habebantur, miſeram vitam trahentes. Ultimo rigore tributa ipſis impoſita exigebantur, adeo, ut Senem quemdam nonaginta annorum, qui ſe Judæum eſſe negabat, in foro inſpectionem pati cogerent, num dictis veritas conſtaret. Plurimi ad mendicitatem erant redacti; mercatura eorum in ſulphuratis vendendis, tota vero ſupellex in caniſtro, & parum fœni, quo jacebant, conſiſtebat. Chriſtiani a Judæis non ſatis diſtinguebantur, multique Romani accuſati ſunt, quod ad mores Judæorum tranſiiſſent, & Deos non haberent, quo, eos Chriſtianam Religionem fuiſſe amplexos, innuere volebant.

Suet. Dom. c. 12.

Martial. l. epig. 42. Juv. Sat. 3. 6. 5. Stat. l. Silv. 6.

Annus 95.

Flavius Clemens Imperatoris Patruelis Conſulatum geſſit anno Regni ejus decimo quarto, JEſu Chriſti nonageſimo quinto. Duos habebat liberos tenera adhuc ætate, quibus Imperator, in ſucceſſores ſuos deſtinatis, Nomina impoſuit Veſpaſianum, & Domitianum. Conſul Clemens Chriſtianus erat, &, quod vitam quietam, modeſtamque duceret, ſicut Chriſtianorum plerique, abjecti animi homo, rebusque gerendis inepti, credebatur. Ipſe, & uxor ejus Flavia Domitilla, quæ ex eodem genere ortum trahebat, & Imperatoris propinqua, impietatis, & Judaismi accuſati ſunt. Clemens neci datus eſt, cum vix Conſulatu exi-

Suet. Dom. n. 15. Epit. Dion. p. 236.

Euſ. Chron. an. 97. & III. hiſt. c. 17. 18.

Sæculum I. A. C. 96.

An. 96.

vissет, anno Domitiani decimo quinto, JEsu Christi nonagesimo sexto; uxor ejus in Insulam Pantalariam haud procul Italia missa. Multis eadem crimina objecta sunt, quorum aliis vita, aliis bona erepta. Erat Clementi Consuli neptis, nomen uxoris suæ gerens, Flavia Domitilla, hæc etiam in exilium sed in aliam Insulam nomine Pontiam deportata, comites ultro sequentes habuit Eunuchos suos Nereum, & Achillem; qui denique, multis prius toleratis tormentis, sub Consulari Memmio Rufo capite sunt truncati. Domitilla in hac Insula in quibusdam cellulis habitavit, quas adhuc trecentis post annis videre erat.

Mart. Adon. 12. Maj. Hier. ep. 27. de Paula.

§. LIII.

Mors Domitiani. Nerva.

Imperator Domitianus jam dudum crudelitate sua nemini non timendus æque, ac invisus, morte Consuli Clementi illata, propriam sibi perniciem accivit; nam qui ei necem machinatus est, fuit Stephanus, quem Domitilla rei suæ domesticæ Præfectum habuerat; is pecuniæ fraudulenter subductæ accusatus, ut facinoris, quod meditabatur, suspicionem amoveret, sinistrum brachium fascia suspensum ferebat, & paulo ante cædem dextra gestabat excavatam arundinem,

Philost. Apt. VIII. c. 10. Suet. Dom. 15. Dion. ep. 237.

in

Sæculum I. A. C. 96.

in qua gladius latebat; tum ad Imperatorem mittit, qui indicet, esse sibi arcana summi momenti, quæ panderet; in conspectum admissus, offert libellum, quasi conjuratorum nomina continentem, quem dum Imperator accipit, ipse legere incipientis ventriculum ferro transverberat, aliique conscii animam vulneribus exturbant. Ita mortuus est Domitianus decima septima Septembris, anno ætatis quadragesimo quinto, Regni decimo quinto, JEsu Christi nonagesimo sexto. An. 96.

Eadem hora media inter undecimam, & meridiem Apollonius Thyanæus Ephesi perorabat ad populum; cœpit vocem demittere, quasi subtimidus; tum verba inconcinnius proferre, sicut illi, qui loquentes, mentem alio advertunt; deinde tacere, quasi eorum, quæ dicere paraverat, oblivio subiisset; tandem oculis truculenter humi affixis, passus tres, quatuorve progressus, exclamare: *Percute Tyrannum! percute!* tum quasi rei successum spectaturus, substitit, ipsique actioni præsens esse credi poterat; subin omnibus Ephesi civibus auscultantibus, & vehementer mirantibus, inquit: *Macti animis estote, amici! hodie Tyrannus occisus est, quid vero hodie? in hoc diei articulo, per Minervam juro! hoc momento, quo filum orationis abrupi.* Ephesii eum non procul ab insania esse credebant,

Phil. ibid. Suet. n. 16. Epit Dion. in fin. Domit.

Sæculum I. A. C. 97.

& quamvis verum esse, quod dixerat, maxime desiderarent, fidem tamen adhibere hæsitabant. Ait Apollonius, *non miror, vos rem credere nolle, quæ Roma facta toti civitati necdum innotuit; jam vero ecce! omnes sciunt.* Paucis abhinc diebus cursores advenere cum epistolis rei eventum confirmantibus, Domitianum nempe occisum, & Coccejum Nervam Imperatorem consentientibus Senatu, & militibus regnare.

Philost. lib. VIII. c. 11.

An. 97.

Apollonius obiit anno sequenti, JEsu Christi nonagesimo septimo. Ut moreretur sine teste, Damim amicorum omnium fidelissimum a se dimisit, responsoriam ad Imperatorem Nervam laturum Romam, qui Apollonio, quam primum Imperium adeptus fuit, scripserat. Damis discedens magnam animi perturbationem sensit, quamvis, quid futurum esset, nesciret; Apollonius autem futuri præscius, nihil tamen eorum dixit, quæ dicere solent, amicum amplius nunquam visuri, nisi id solum itineri jam accincto: *Dami! quamquam ipse Philosophus sis, ex me tamen exemplum cape.* Hoc tantummodo de ejus morte scitur, eumque vixisse quam diutissime, nam scriptores nec in mortis loco, nec genere, nec ejus ætate conveniunt, aliqui ad annos octoginta, alii nonaginta, alii ultra centum vitæ dies produxisse affirmant. Nec scripta illorum

Philost. lib. VIII. c. 12.

Sæculum I. A.C. 97.

rum prima nobis ſuppetunt, qui eum viventem vidiſſe poterant; vita Apollonii, quæ ad nos pervenit, ſcripta eſt ultra centum viginti annos poſt mortem ejus a Philoſtrato Sophiſta, qui ſibi modo ſcribendi parum fidei conciliat. Statuæ Apollonio erectæ ſunt, & redditi honores divini, nullibi autem ſepulchrum ejus videbatur, ferebantque nonnulli eum in Cœlum fuiſſe translatum. Attamen nec Sectatores, nec Diſcipulos reliquit; famæ celebritas, qua vivus inclaruit, ætatem non tulit, & ejus memoria, poſtquam aliquo tempore in honore fuit, brevi cum Idololatriæ tenebris evanuit. Imperator Nerva optimus Princeps unico regnavit anno, & aliquot menſibus; exules, præſertim ob Religionis prætextum pulſos, revocavit. Ne ultra quis impietatis, ſeu Judaismi accuſaretur, decreto vetuit; immo Judæos tributorum pondere obrutos liberavit.

Phil. ibid.

Nerva.

Epit. Dom. p. 240.

§. LIV.

Ultima S. Joannis Apoſtoli acta.

Poſtquam exulibus liberum fuit, redire ad ſua, S. Joannes Apoſtolus ex Pathmos Inſula Epheſum reverſus eſt, ubi reliquum vitæ egit, omnes Aſiæ Eccleſias gubernans. Rogatus etiam ad Eccleſias vici-

Euſ. III. hiſt. cap. 20. 23. Clem. Alex. quis Dives. &c.

Sæculum I. A. C. 97.

vicinas pergebat, sive ut Episcopos constitueret, sive Clericos eligeret, prout Spiritus S. sibi ad hoc muneris magis dignos ostendisset, sive ut ipsam Regiminis Ecclesiastici summam ordinaret.

Quondam in urbem Ephesо non multum remotam venit Apostolus; ubi postquam consolatus est fratres, oculos conjecit in adolescentem, qui oris venustate, & indolis vigore statim Senis affectum sibi conciliavit; tunc versus ad Episcopum: *Maximam hujus adolescentis*, inquit: *curam gere; hunc tibi commendo in præsentia Ecclesiæ, & JEsu Christi, quem in testem invoco.* Id in se recepit Episcopus; quodque ut faceret, iterum iterumque obtestatus Apostolus, Ephesum rediit. Episcopus adolescentem in domum suam ductum, singulari cura educavit, & tandem baptismo abluit; exinde non nihil de solita cura remisit, quod crederet post receptionem Sacramenti non amplius necessariam. Juvenis mature nimis libertatem nactus, in societatem juvenum dissolutorum incidit; primum conviviorum lautitiis ad se eum trahere cœperunt; tum tempore nocturno transeuntes deprædatum secum ducere, & demum in vitia his deteriora impellere. Paulatim huic vitæ assuevit, cumque esset a natura ad summa comparatus, postquam semel pronus in vitia deflexit, instar equi, admor-

S. Joannes Apostolus.

morsis lupatis, indomabilis, omnes modestiæ, & probitatis limites transgressus est, abjectaque salutis spe, in ultima flagitia proruit. Ex iisdem juvenibus, seductoribus suis, cohortem latronum, cujus ipse caput esset, & Dux, contraxit. Sæculum I. A. C. 97.

Post annos quosdam elapsos, vocatus est S. Joannes, ut Ecclesiarum necessitatibus provideret. Rebus ad bonum Ecclesiarum confectis, depositi concrediti rationem ab Episcopo petit; ipse valde miratus, & depositum pecuniæ a se reposci putans, cum sciret, nullum sibi unquam fuisse commissum, nihilominus Apostoli verbis diffidere non audebat; tum S. Joannes: *Juvenem a te repeto*, ait: *animam fratris nostri;* at senex demissis in terram oculis, & flens largiter, reponit: *Mortuus est. Quomodo*, inquit Apostolus, *& qua morte? mortuus est Deo*, ait Episcopus: *factus est enim hominum pessimus, & perditissimus latro, non in Ecclesia requirendus, sed montem proximum obsidens cum sceleratorum sibi similium manipulo.* Apostolus togam cum clamore scidit, percutiensque caput suum, inquiebat: *Egregium profecto animæ fratris nostri custodem posui! statim paretur mihi equus aptus, & detur viarum dux peritus;* & sicut erat, ex Ecclesia festinanter se dedit itineri; cum ad stationem latronum primam perveniisset, ab

Sæculum I. A. C. 97.

ab excubitoribus sistere gradum jussus est; ipse nec fugiens, nec declinans elata voce inquit: *Non errore, sed consilio huc delatus sum, ad Principem vestrum me ducite.*

Dux cohortis, ut erat armatus, exspectabat, quis se vellet, at cum Apostoli nota species ad eum pervenit, pudorem non ferens auffugit; S. Joannes grandævæ ætatis oblitus, effusis habenis insequebatur, clamans: *Fili mi! quare fugis Patrem tuum? senem, & inermem? miserere mei! fili mi! nihil time, est tibi adhuc spes salutis super. Ego pro te JEsu Christo rationem reddam, & si opus est, lubenter vitam pro te dabo, sicut ipse suam pro nobis dedit, siste, & crede, quod JEsus Christus me huc miserit.* Ad hæc verba substitit juvenis, obtutuque in terram defixo, arma projecit, tumque trepidus amare flevit. Accedentem deinde S. Senecionem juvenis lacrymis madentem amplexus est, dextram manum occulens. S. Joannes in spem eum erigens, jurabat, se veniam pro eo a Salvatore obtinuisse; tum oravit flexis genibus, osculatus est dextram ejus, lacrymis purgatam, & ad Ecclesiam reduxit; ubi multas orationes pro eo obtulit, multum cum eo jejunavit, variis sermonibus, ut ejus ferociam deliniret, animum divertit; nec illinc discessit, priusquam hunc peccatorem Eccle-

Ecclesiæ restituisset, illustre pœnitentiæ exemplum. Sæculum I. A. C. 97.

Venatori, ajunt, aliquando S. Joannem occurrisse, perdicem manu gestantem, & volucrem blande demulcentem; ille summopere miratus, tam vanam occupationem viro tanto esse, continere se non potuit, quin suam admirationem proderet; huic S. Joannes: *Quid manu tenes? arcus est*, respondit ille: *Quare non semper servas intentum? Ideo*, respondit iterum venator; *quia vigorem perderet; ergo*, ait Apostolus: *mi juvenis! mali mihi etiam ne verteris, si spiritui meo relaxationem concedo, ut postmodum utilius intendatur.* Multa S. Joannes Ephesi perpetravit miracula, & inter alia mortuum resuscitavit; quæ miracula præstigiarum Apollonii Thyanæi erant antidotum.

Cass. Coll. 24. c. 21.

Apoll. apud Eus. l. hist. c. 18. Sozom. 7. hist. c. 26.

§. LV.

Evangelium S. Joannis, & ejus Epistolæ.

Ephesi etiam, cum jam esset senex, S. Apostolus suum Evangelium scripsit, erat enim nonagenario major, & hucusque non nisi viva voce Ecclesias instruere voluerat, nec prius id ei venit in mentem, quam precibus plurimorum Episcoporum Asiæ, & multarum Ecclesiarum legatio-

Iren. l. 3. c. 1. Hier. Scrip. Eus. III. hist. c. 24 Epiph. hær. 51. n. 12. Epiph. hær. 30. n. 3.

Sæculum I. A. C. 97.

legationibus ad idipsum fuisset coactus. Antequam inciperet, orationem, & jejunium publicum indixit. Propositum sibi maxime in Evangelio habuit, hæreticos velut Ebionem, & Cerinthum, JEsu Christi Divinitatem negantes, confutare, & prima Prædicationis ejus tempora, S. Joannis Baptistæ captivitatem præcedentia, explicare. Græce scripsit, nempe illius Regionis idiomate.

Contra eosdem errores suas etiam scripsit Epistolas, eodem ferme tempore, id est, paulo ante vitæ suæ finem. Prima non uni Ecclesiæ sed pluribus scripta est, & olim Parthorum nomen præferebat, tanquam ad eos directa, sive quod S. Joannes illis Evangelium annuntiaverit, sive quod Judæis conversis, & in Parthorum Imperio dispersis scripserit; sicut S. Petrus illis, qui in Ponto, & Galatia dispersi erant, scripserat.

Possid. in Indic. Aug. c. 9.

S. Joannes Epistolam hanc ita exorditur: *Quod fuit ab initio, quod vidimus oculis nostris, quod conspeximus, quod manibus nostris contrectavimus de Verbo vitæ, quod vidimus, & audivimus, hoc vobis annuntiamus.* Deinde: *Filii mei charissimi! ultima instat hora, & sicut audivistis, Anti-Christus venit, & jam nunc plures Anti-Christi dantur; exiverunt ex nobis, sed non pertinebant ad nos.* Et inferius: *Quis est mendax, nisi*

1. Jo. 2. 18.

2. 22.

ille,

ille, qui dicit, quod JEsus non sit Christus; talis est Anti-Christus. Quiscunque Filium negat, neque Patrem habet. Vos vero, quod audivistis ab initio, hoc retineatis. Et iterum: *Chari filii! nolite credere omni spiritui, sed probate spiritus, ut cognoscatis, an ex Deo sint, multi enim Pseudo-Prophetæ apparuerunt in mundo. Omnis Spiritus, qui confitetur, JEsum Christum in carne venisse, ex Deo est, & omnis Spiritus, qui JEsum dividit, non est ex Deo; & hic est Anti-Christus, de quo audistis, quod venturus sit, & ipse in mundo jam est.* Subjungit deinde Apostolus: *Quiscunque confessus fuerit, JEsum esse Filium Dei, Deus manet in eo, & ipse in Deo.* Et infra: *Quiscunque credit, JEsum esse Christum, ipse ex Deo natus est.* Tumque: *Qui credit in Filium Dei, testimonium Dei in se habet, qui non credit in Filium, Deum mendacem facit, eoquod testimonio, quod Deus dedit Filio suo, non credat.* Talia dicit S. Joannes in prima Epistola.

Sæculum I. A. C. 97.

4. 1.

Joannes Evangelista.

4. 5.

5. 10.

Secunda cuidam Dominæ, cui nomen Electa, & filiis ejus inscripta est; primo congratulatur, quod in veritate, & Doctrina, quam ab initio acceperant, permanserint; *Nam multi*, inquit: *Seductores in mundo apparuerunt, qui JEsum Christum venisse in carne non confiten-*

2. Joan. 7.

Sæculum I. A. C. 97.

tur; talis Seductor est, & Anti-Christus. Et deinde; *si quis venit ad vos, & hanc Doctrinam*, id est, Doctrinam JEsu Chri-

10. sti, *non affert, in domum vestram ne recipiatis, nec dicatis ei: Ave; qui enim dicit ad eum: Ave; de malis ejus operibus participat. Plura adhuc essent, quæ vobis scriberem, sed nolui ea papyro, & atramento concredere. Spero enim brevi ire ad vos, & illa coram loqui, ut gaudium vestrum sit plenum. Filii Sororis tuæ Electæ salutant te.*

Tertia S. Joannis Apostoli Epistola ad quemdam nomine Cajum dirigitur, quem ob constantiam in fide, & charitatem in

3. Joan. 6. fratres exteros laudat; *Hujus charitatis*, inquit: *testimonium reddiderunt in præsentia Ecclesiæ, & bonum opus egisti, quod eis charitate Deo digna subveneris, hoc enim iter pro ejus Nomine susceperunt, nec a Gentilibus quidquam accipiunt. Ejusmodi ergo fratres recipere debemus, ut in bonum veritatis cooperemur. Fortasse scripsissem Ecclesiæ, sed a Diotrephe, qui primam sedem inter eos ambit, non recipimur; ideo, cum venero, commonefaciam eum propter opera sua, & sermones malignos contra me; nec sufficit ei, quod ipse fratres non recipiat, sed etiam ab aliis recipi prohibet, & Ecclesia ejicit.* Subjungit Apostolus:

12. *Omnes, & ipsa veritas testimonium De-*

metrio

metrio reddunt. Tum in hunc modum claudit Epistolam: *Multa habebam, quæ tibi scriberem, sed nolui uti atramento, & calamo; quia brevi te videre spero, nosque viva voce collocuturos. Pax sit tecum. Amici nostri te salutant. Amicos nostros nominatim saluta.* In his duabus ultimis S. Joannes seipsum non aliter nuncupat, quam Seniorem, aut Presbyterum; nam vox Græca *Presbyteros,* unum, & alterum significat. Sæculum I. A. C. 97.

Hoc ultimo vitæ tempore S. Joannes vix inter Discipulorum manus in Ecclesiam ferri poterat, ubi viribus ad longiorem sermonem deficientibus, pauca tantum hæc verba in quolibet conventu proferebat: *Charissimi filii! diligite alterutrum.* Tandem Discipulos tœdium cœpit, quod eadem semper audirent, dixeruntque: *Magister! quare hoc solum semper repetis?* quibus Apostolus: *Quia Præceptum Domini est, & si id solum adimpleatur, sufficit.* Obiit anno post Passionem sexagesimo octavo, JEsu Christi nonagesimo nono, & prope Ephesum sepultus est. Evangelium ejus, & tres Epistolæ inter sacras Scripturas, Spiritu Dei dictatas, ordine temporis sunt ultimæ; nisi forte S. Judæ Epistola posterior sit; nam post aliorum Apostolorum mortem scripta fuisse videtur. *Hier. in Gal.* 6. 10. *l.* 3. *Id. de Scrip.* Annus 99. *Jud.* 18.

Sæculum I.
A. C. 97.

§. LVI.

Epistola S. Judæ.

Epistolæ S. Judæ eadem est materia, & ejusdem Doctrinæ substantia, quam secunda S. Petri continet; utraque enim adversus eosdem hæreticos, scilicet Nicolaitas, & similis farinæ homines scripta est. In ea mentio fit de pugna S. Archangeli Michaelis contra Dæmonem, propter corpus Moysis; de hac pugna memorat liber quidam Apocryphus, cui titulus est: Raptus Moysis. In hac Epistola citatur etiam textus illius libri, qui nomen Patriarchæ Enoch, si ab Adamo numerare incipias, ordine septimi, præferebat. Iidem libri, a quibusdam antiquissimorum Patrum citati, inveniuntur; quod autem a sancto Juda adducantur, ex eo concludere non licet, illos ab ipso tanquam divina Auctoritate scriptos, approbari, cum S. Paulus etiam loca ex Poetis prophanis adduxerit; sed tantummodo Spiritus S. quasdam veritates in illis libris contentas nobis manifestare voluit, quapropter reliquis, ibidem contentis, nulla accedit auctoritas. S. Judas in hac Epistola de supra dictis *Agapes*, seu conviviis charitatis, post S. Cœnam haberi solitis, quæ hæretici, quos oppugnat, suis dissolutionibus depravabant mentionem facit. S. Judas Apostolus Thadæus, seu Lebeus

Tert. de cul. fem. lib. c. 3.

Hier. in Tit. 1. 12.

Jud. 12.

Lebeus cognominatus, erat S. Jacobi frater Episcopi Jerosolymitani. Sæculum I. A. C. 97.

§. LVII.

Epistola S. Barnabæ. Ejus Doctrina.

Ad idem tempus referri potest S. Barnabæ secundi Ordinis Apostoli Epistola, quæ si non prius, saltem non multo post Jerosolymæ excidium scripta est. Duabus constat partibus, prima est Doctrinalis præcipue contra Judæos; altera est Moralis. Post orationis exordium, in quo tenerrimæ charitatis indicia elucescunt; ex Prophetarum auctoritate demonstrat, Sacrificia Legis antiquæ a Deo esse rejecta, ut oblationi humanæ novæ Legis JEsu Christi, quæ jugum necessitatis non imponit, cederent. Eorundem auctoritate ostendit, jejunia sine aliis bonis operibus Deo accepta non esse; ultima tempora a Daniele prædicta jam adveniisse; Judæis nullatenus credendum, fœdus suum idem esse cum nostro asserentibus; *Fœdus enim eorum Lege definitum erat, in tabulis lapideis descripta, quas Moyses confregit, ut Judæos hanc Legem idololatriæ crimine ammisisse ostenderet; at JEsu Christi charitas impressa est cordibus nostris.* Deinde Apostolus de JEsu Christi Passione disserit,

cap. 2. edit. Coteler.

c. 3.

S. Barnabæ Epistola.

c. 5.

Sæculum I. A. C. 97.

serit, eamque ab Isaia Propheta præmonstratum comprobat; & subjungit:

Isa. 53.

Passus est lubentissime pro animabus nostris, ille qui mundi Dominus est, cui ante rerum omnium creationem dictum

Gen. 1. 26.

est: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Discite igitur; qua ratione & ordine tanta ab hominibus perpeti decreverit; Prophetæ de Christo vaticinati fuerant, & vaticinandi gratiam a nemine alio, nisi ab ipso Christo acceperant; Christus JEsus, ut mortem destrueret, & resurrectionem demonstraret, in carne apparere voluit; id enim erat necessarium, ut adimpleret promissiones factas Patriarchis, ut novum sibi præpararet populum electum, & ipse in terris homo factus præmonstraret, se post mortuorum resurrectionem omnes judicaturum. Tumque filios Israel docens, & tot, tantaque miracula, & prodigia perpetrans, amoris sui excessum manifestavit. Quando Apostolos prædicando Evangelio elegit, viros in profundum iniquitatis delapsos, ostendit, se non venisse vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam, hoc ipso Filium Dei se probans. Si enim, cum Filius Dei esset, ad nos veniens non induisset se carne, quomodo nos miseri homunciones eum conspicere valuissemus; nemo vivens videt Deum; quomodo enim Filium Dei intueri,

Sæculum I. A. C. 97.

intueri potuissemus nos, quibus, si solem occidentem aspicimus, nempe ejus creaturam, oculi caligant? ideo igitur Filius Dei in carne venit, ut peccata eorum, qui præmissos Prophetas usque ad mortem persecuti sunt, complerentur, ideo passus est.

Tum S. Barnabas monstrare pergit, quomodo JEsu Christi Passio a Prophetis prædicta fuisset; & quomodo Christus sit ille lapis Mysticus, de quo prophetaverant. Christum etiam per terram promissionis fluentem lac, & mel fuisse figuratum, eo quod per regenerationem nos ad sanctam infantiam reduceret; *atqui*, ait: *primo melle, deinde lacte infantes nutriuntur.* Revera mos erat apud antiquos, neo-natis pro nutrimento mel, & lac ingerere; inde etiam illa antiqua adeo Ecclesiæ Cæremonia, quod utrumque Neo-baptizatis gustandum præberetur. JEsu Christi iterum figuras fuisse, illos duos hircos, qui in festo expiationum offerebantur, unus ut super altari combureretur, alter ut in desertum propelleretur, impositio ei peccatorum totius populi maledicto. Ejusdem etiam figuram fuisse, illam juvencam, cujus combustæ cinis purificationibus adhibebatur. Ulterius S. Barnabas demonstrat, veram circumcisionem esse illam, qua aures, & cor hominis circumciderentur, &

c. 6.

c. 7.

Levit. 16.

c. 3.

Num. 19.

Sæculum I. A. C. 97.

taliter dociles, obedientesque redderentur; circumcisionem vero corporis illam non esse, quam Deus principaliter mandasset; *Nam*, inquit: *omnes Syri, Arabes, Ægyptii, Idolorum Sacrificuli sunt circumcisi, num autem etiam ideo de fœdere Divino antiqui, vel novi Testamenti participant?*

S. Barnabæ Epistola.

c. 10. Deinde S. Barnabas orationem vertit ad animalia, quibus vesci, Lege vetitum erat, & eam Legem per allegorias morales exponit; *Vitanda sunt*, inquit: *illorum hominum consortia, qui sub his animalibus adumbrantur. Porci voluptuosos, & ingratos adumbrant, qui nunquam nisi premente necessitate Dominorum suorum recordantur. Per volucres rapaces intelliguntur fures, qui in turpi otio laboribus alienis, & rebus vivunt. Pisces semper in profundo aquæ, nunquam in superficie natantes, figura sunt peccatorum impœnitentium. Lepus, hyæna, mustella impuritatis symbola sunt;* hic Apostolus illud de his animalibus supponit; quod de illis vulgo credebatur, historiæ naturalis veritatem non examinans. Sic deinde pergit: *Animalia ruminantia, & quorum carnes manducare licitum est, justos denotant, nutrimentum spirituale, quod tribuit, & largitur Deus, meditantes; divisæ pedum ungulæ significant, justos in hoc mundo*

do ambulantes, vitam futuram exspecta-re. In hac etiam Epistola S. Barnabas Mysterium aquæ extollit laudibus, quod elementum in multis Prophetarum locis S. Baptismum præfigurat, nec non Mysterium ligni, præcipue serpentis ænei, Crucis nempe figuram. Ostendit etiam fœdus Dei, & hæreditatem magis nobis deberi, quam Judæis, propter vaticinium Rebeccæ datum; ex duabus nempe Gentibus, quas in utero gestabat, majorem minori esse servituram. Et iterum propter Benedictionem, quam dedit Patriarcha Jacob Ephraim fratri minori, post-habito Manasse natu majore. Tum prosequitur; fœdus Testamenti a DEO juratum fuisse Judæis, per Moysem illis traditum, & Judæos quidem se his promissis indignos reddidisse, nobis vero Christianis eadem profuisse, postquam Dominus JEsus ea ab illis in nos transtulit, pro nobis mortem passus, redimens nos, & ex tenebris ad lucem protrahens, ut essemus populus ejus sanctus. De Sabbato deinde loquens, ait; Sex creationis dies totidem annorum millia significare, Deumque sex millium annorum spatio omnia terminaturum; Die septimo Dei Filium appariturum, ut impios judicet; tum Solem, Lunam, astra esse immutanda, & initium diei octavæ, principium alterius mundi futurum. *Ideo;* addit:

Sæculum I. A. C. 98.

c. 11.

c. 12.

c. 13.

Gen. 25. 21.

Gen. 48. 9. 11.

c. 15.

Sæculum I. A.C. 98.

dit: *in lætitia diem octavam transigimus, qua JEsus Christus resuscitatus est.* Tum sic pergit: *Supereſt, ut de Templo disseram; quomodo infelices Judæi in Templum potuerunt ponere spem suam, & non magis in Deum ipsum, qui creavit eos? videntur enim omnes Dei Leges in Templi cultu voluisse includere, sicut Gentiles Deorum suorum potestatem ad unum fanum coarctare voluerunt.* Tum citat Isaiam Prophetam, subjungitque: *Hoc ita contigit, quia Dominis suis bellum moverunt, modo templum ab inimicis eorum deletum est.* Attamen ulterius S. Barnabas ostendit; Deo vero aliud extructum esse Templum, scilicet in cordibus nostris; corda enim nostra prius fuisse structuram corruptibilem, quasi manibus hominum factam, & Idolorum Templum; postquam autem Deus in cordibus nostris inhabitare cœpisset, remissis peccatis nostris, nosque per passionem, & mortem suam in novas creaturas regenerasset, corda nostra Templum Dei fieri. Tunc Deum vere in nobis habitare per verbum fidei suæ, per vocationem ad spem promissionis suæ, per sapientiam justificationum suarum, & præcepta Doctrinæ suæ; tunc ipsum per se in nobis prophetizare, & nobis Templi januam aperire, id est, os nostrum, nobis, antea mortis mancipiis; tunc nobis dari gratiam pœnitentiæ, & ingressum

c. 16.

Isa. 40. 12. 66. 1. 49. 17.

Clem. 2. *Strom. p.* 410

S. Barnabæ Epistola.

sum in Templum incorruptibile. Pergit Apostolus in hunc modum: *Qui enim salvari desiderat, non respicit hominem, sed eum, qui in ipso habitat, & ex eo loquitur; stupefactus, quod talia verba nunquam audiverit ex ore hominis, neque audire expetierit. Talis homo est Templum spirituale Domino ædificatum.* Hic est tenor primæ partis Epistolæ S. Barnabæ, quam sic claudit: *Quantum puto, omnia, quæ erant in mente mea, simpliciter exposui, & nihil eorum omisi, quæ saluti vestræ facere possunt; dico autem de rebus hujus sæculi præsentis, si enim vobis de rebus futuri sæculi loquerer, non intelligeretis, eoquod in parabolis tantum exprimi possint.*

Sæculum I. A. C. 98.

§. LVIII.

S. Barnabæ Doctrina Moralis.

Secunda Epistolæ pars Doctrinam Moralem continet, & praxin. *Transeamus*, inquit: *ad aliam Doctrinam. Duæ sunt viæ a se valde diversæ, via lucis, & via tenebrarum, illi præsident Angeli Dei, qui ducunt ad lucem, isti Angeli Satanæ. Ille est Dominus omnium sæculorum, iste est Princeps hujus temporis, & iniquitatis. Hæc est igitur via lucis; si quis es, qui per opera tua ad destinatam tibi æternam felicitatem pervenire anhelas; Diliges eum, qui te creavit; eum glorificabis, qui te morte*

n. 18.

c. 19.

Sæculum I. A. C. 98.

morte ſua redemit. Simplex eris corde, & Spiritu dives. Illis, qui in via mortis ambulant, non ſociaberis. Omnem hypocryſin oderis. Non te extolles, ſed eris humilis. Tibi ipſi gloriam non attribuas. Contra proximum tuum malum conſilium non capies, nec fornicationem, nec adulterium committes, nec aliam admittes impudicitiam. Verbum Dei, quod tibi datum eſt, de ore tuo non exibit, ut quidquam impuri exprimas. Si ob culpam reprehendis quemquam, non præcipitabis judicium; ſed eris lenis, pacificus, ad verba, quæ audieris pavidus, an ita ſe res habeat, vel non? nullatenus inquirens.

Rancorem contra proximum tuum non ſervabis in corde tuo. Proximum tuum diliges plus, quam vitam tuam. Infantem nec ante, nec poſt nativitatem opprimes. Hoc præceptum erat ſumme inculcandum Gentilibus, crimini ſibi non vertentibus, ſuos liberos interimere, quando prolis multitudo oneri erat. *Non abjicies curam educandi filii tui, & filiæ tuæ, ſed ab infantia timorem Domini docebis eos. Non eris avarus. Cor tuum non ſit agglutinatum magnatibus. Sed cum juſtis, & humilibus ſit converſatio tua. Quidquid acciderit tibi, tanquam pro beneficio gratias Deo ages. Subditus eris Domino, & Dominis, cum reſpectu, & timore tanquam Deum repræſentantibus. Non eris duplex corde,*

Sæculum I. A. C. 98.

corde, nec lingua, quia duplicitas linguæ laqueus est mortiferus. Non cum amaritudine dominaberis famulæ tuæ, aut mancipio tuo, ne videaris timorem Dei abjecisse, tui servorumque tuorum Domini, qui vocavit omnes sine Personarum respectu, quibus Spiritum suum communicare prædestinavit. Omnium bonorum tuorum participem facies proximum tuum, nec tibi quidquam proprium putabis; si enim bona incorruptibilia vobis communia sunt, quanto magis corruptibilia?

Non eris promptus ad loquendum, laqueus enim mortis est lingua hominis. Castus eris secundum virtutem tuam, & supra. Cave manus tuas extendas ad accipiendum, & retrahas, cum dandum est. Omnes, qui tibi verbum Domini annuntiant, ut pupillam oculi diliges. Diem judicii diu noctuque ante oculos habebis. Fideles quotidie invises, præsentia tua, & sermonibus solatium feres, animarum saluti studens. Manibus tuis laborabis, ut redimas peccata tua. Dabis sine hæsitatione, & murmuratione; dabis quibuscunque, qui a te petierint, & cognosces eum, qui scit retribuere. Depositum custodies nihil addens, vel aufferens. Divisionis non eris causa, sed inter litigantes pacem procurabis. Non conferes te ad orationem cum mala conscientia. Hæc de via lucis.

Eccli. 4. 30.

Luc. 4. 30.

Via

Sæculum I. A. C. 98.

c. 20.

Via autem tenebrarum est obliqua, & maledictionibus plena, ducit enim ad mortem, & supplicium æternum. In hac via reperiuntur mala, quæ occidunt animas; Idololatria, audacia, elatio, hypocrisis, cordis duplicitas, adulterium, homicidium, furtum, superbia, apostasia, dolus, malitia, impudentia, veneficium, Magia, avaritia, Dei contemptus. Qui hanc viam ambulant; bonos persequuntur, veritatem oderunt, mendacium amant, virtutis præmia nesciunt, bono non adhærent. Viduæ, & orphano non faciunt justitiam; vigilant non ex timore Dei, sed ex malitia. Procul ab eis sunt lenitas, & patientia. Vanitates amant, proprium quærunt cõmodum, misericordia in pauperem non tanguntur, nec est eis afflictorum cura. Semper ad criminationes parati sunt; Deum, qui creavit eos non agnoscunt; Liberorum suorum parricidæ; operum Dei corruptores. Miseros aversantur, afflictis afflictionem addunt; divitum defensores, pauperum injusti judices. In omnibus peccatores.

c. 21.

In Epilogo S. Barnabas Fideles ad horum præceptorum observantiam ex timore appropinquantis judicii exhortatur; commendat sui memoriam, & claudit Epistolam his verbis. *Salutem vobis dico, filii charitatis! & pacis; Dominus gloriæ, & omnis gratiæ cum Spiritu vestro sit.*

sit. Amen. Talis est S. Apostoli Barnabæ Epistola, quam antiquorum nonnulli inter libros Canonicos reputarunt. Eundem aliqui Ecclesiæ Mediolanensis fundatorem asserunt. Sepultus est in Insula Cypro, ubi lucem primo aspexerat, & juxta corpus ejus Exemplar Evangelii S. Matthæi est depositum. Sæculum I. A. C. 98. *Martyr.* 11. *Jun.*

§. LIX.

Mors Nervæ.

Imperator Nerva canos suos despici videns, adoptatum prius in filium, Cæsarem pronuntiat Marcum Ulpium Trajanum in Hispania natum, tunc in Germania exercitui Præfectum. Obiit Nerva anno sequenti, JEsu Christi nonagesimo octavo, vigesima septima Januarii, anno ætatis sexagesimo quinto, postquam imperavit anno uno, mensibus quatuor, & diebus decem; successitque Trajanus. Sub regni auspiciis is Legem tulit, qua omnes hominum conventus, & societates prohibebantur, quæ Lex obtentui fuit Christianorum persecutioni, quod conventus suos agere more solito non desisterent. In Italia Flavia Domitilla junior, quæ sub Domitiano in insulam Pontiam fuerat relegata, morte affecta; flammis cubiculo suo, ubi cum duabus ancillis Euphrosyna, & Theodora morabatur, subjectis, Trajanus Imperator. Persecutio. *Epist. Dion. in Nerva. p.* 241. An. 98. *Plin. X. epist.* 43. 97. *Martyr.* 7. *May.*

Sæculum I. A. C. 98.

ctis, combusta est, cum paulo ante diversis in locis Nereus, & Achilleus Evnuchi ejus nobili martyrio defuncti fuissent, nec non Eutiches, Victorinus, & Maro ejusdem domestici. Tum vero in omnibus civitatibus populi adversus Christianos insurrexerunt.

Euſ. III. hiſt. c. 21.

Abilius Alexandriæ Episcopus, numero tertius, hoc anno, JEsu Christi nonagesimo octavo obiit, postquam Sedem tenuisset annis tredecim, & muneri Episcopali dignissime præfuisset. Ei successit in Cathedra Cerdon, qui eam tenuit annis undecim. Eadem tempestate Ecclesia Antiochena regebatur a S. Ignatio, S. Evodii Successore, qui S. Petro successerat.

An. 98.

HISTORIA ECCLESIASTICA.

LIBER III.

S. XISTUS, PAPA.
TRAJANUS, IMPERATOR.

§. I.

Martyrium S. Simeonis Jeroſolymitani.

Sæculum I. A. C. 98.

Inter eos, qui ſub Trajani Imperio propter fidem paſſi ſunt, in perſecutionibus particularibus, eminet Simeon, Epiſcopus Jeroſolymitanus; erat is filius Cleophæ, & Mariæ, JEſu Chriſti Patruelis, in hac ſede S. Apoſtoli Jacobi ſucceſſor; tunc temporis centum viginti annorum vir, cum Conſulari Attico Syriæ Præſidi ſiſteretur. Hunc virum quidam hæ-

Hegeſ. apud Euſ. III. hiſt. c. 32. Valer. ibid.

Sæculum I, A. C. 98.

retici, ſecta Judæis, quam Chriſtianis propiores, tanquam Chriſtianum, & de ſtemmate David oriundum detulerunt; nam Imperatoribus maximopere curæ fuerat, hanc familiam ſtirpitus evellere, ne Judæis rebellionis prætextus ſupereſſet. Attamen ipſi Simeonis accuſatores ex hac familia deſcendere convicti ſunt. Ipſe vero multis diebus, omnibus quidem, ſed maxime ipſo Conſulari ſtupente, qui tantum robur, & patientiam in grandævæ ætatis Sene ſatis mirari non poterat, tormentis excruciatus, & tandem affixus cruci immortuus eſt, poſtquam Jeroſolymæ Eccleſiam ultra quadragintas annos rexiſſet. In hac dignitate ipſi ſuffectus eſt Juſtus, nativitate Judæus, nam plurimi ex circumciſione fidem receperant. Quidam nomine Thebutis, qui hujus ſedis honorem ambiebat, ſpe ſua dejectus, atque invidia ardens, novæ ſectæ auctorem ſe præbuit; ſed & præter ipſum multi alii ex Chriſtianorum judaizantium numero novos errores procudebant; poſtquam enim nullus amplius primorum Diſcipulorum, qui JEſum Chriſtum ſuis oculis viderant, & Doctrinam ejus auribus ſuis audiverant, in terris ſuperfuit, hæreſes, quæ hactenus in tenebris delituerant, caput efferre, & impudentius prodire auſæ ſunt.

Hegeſ. apud Euſ. IV. hiſt. c. 22.

§. II.

Sæculum I.
A. C. 98.

§. II.

Offenii Hæretici.

Inter has Judæorum Semi-Christianorum sectas erant Offenii, seu Offæi, qui iidem cum Esseniis esse videntur. His circa hæc tempora sub Regno Trajani quidam nomine Elxai junctus est; habitabant autem in Arabia ad Palæstinæ fines prope mare mortuum; ille dictus Elxai Pseudo-Propheta erat, natalibus Judæus, & Religione, sed Judæorum legem non observabat. Is hæresin cudit singularem, & libro ex Divina, ut mentiebatur, inspiratione composito, juramenti formulam sectatoribus suis tradidit, quo per salem, aquam, terram, panem, Cœlum, aerem, & ventum jurarent. Tum lege immutata alios septem veritatis testes adhibere jubebat, nempe Cœlum, aquam, Spiritus, Sanctos orationis Angelos, oleum, salem, & terram; & hæc quidem juramenta ipsi in Religionis partem trahebant, quamquam manifeste Evangelii præceptis contraria. Idem Elxai, virginitatis, & continentiæ osor, suos ad matrimonium compellebat. Docebat etiam sine peccato Christianum posse persecutoribus cedere, idola adorare, & externe quæ expedirent, profiteri, dummodo, quæ externe proderet, in corde suo negaret; ut hanc hypocrisin exemplis co-

Epiph. hær. 19. *& hær.* 30. *n.* 17.

Matth. 5. 34.

Sæculum I. A. C. 98.

honestaret, narrabat, quemdam Phinees Sacrificatorem, ex genere Aaron, & primi Phinees, in captivitate Babylonis Susis sub Regno Darii Dianam adorasse, ut mortem effugeret.

n. 3. Dicebat etiam, Christum esse magnum Regem; at ex ejus libro non satis apparebat, an de Domino nostro JEsu Christo loqueretur, an vero alium exspectaret. Orantes faciem vertere ad Orientem prohibebat, volebatque eam verti versus Jerusalem, in quacunque mundi parte orans ageret. Sacrificia tanquam Deo non accepta damnabat, quæ nec a lege præcepta essent, nec a Patribus Deo oblata. Carnis esum, cui Judæi adsueverant, suis non permittebat. Altaria, & ignem rejiciebat, tanquam ad Dei cultum nihil facientia. In libro suo inter alia etiam hæc verba legebantur: *Filii! ambulate, non versus formam ignis, ne aberretis, nihil enim aliud nisi deceptio est; ignis videtur vobis esse proximus, cum remotissimus sit; ad ejus ergo formam non accedite, sed magis ambulate versus vocem aquæ; nempe quia aquæ bonitatem inesse docebat.*

Hic novator Christum describebat velut aliquam virtutem mensurabilem, quæ longitudine esset viginti quatuor schenarum, id est, nonagesies mille passuum, sex schenarum latitudine, id est, vicies

vicies & quater mille paſſuum, profunditate tam longitudini, quam latitudini congrua. Hic dimenſionum conceptus ex textu quodam S. Pauli ruditer acceptо, procuſus eſſe videtur. Errore non minus intolerabili Spiritui S. ſexum fæmininum tribuebat; veroſimiliter ideo, quia vox hebraica *Roüah*, quæ Spiritum ſignificat, illius generis eſt. Spiritum fingebat ſimilem Chriſto, & poſitum ante eum, erecte ſtantem ſupra nubes, inter duos montes, attamen hominum oculis non conſpicabilem; tam uni, quam alteri eandem tribuebat menſuram, idque ſibi ex montium altitudine perſpectum fuiſſe fabulabatur, eo quod Chriſti, & Spiritus capita eorum faſtigium exæquarent. In libro ſuo quamdam orationem vocabulis barbaris docebat, cujus ſenſum inveſtigare illicitum ajebat, & quam S. Epiphanius in hunc modum traduxit: *Vilitas, condemnatio, oppreſſio Patrum meorum tranſiit, per eam, quæ advenit perfectam miſſionem.* Subinde hujus Elxai Diſcipuli, cum Ebionis ſectatoribus ſocietatem iniere; duravitque iſta hæreſis per plura ſæcula.

Sæculum I. A. C. 98.

Epheſ. 3. 18.

§. III.

Plinii Epiſtola ad Trajanum.

Plinius ſecundus junior, Bithyniæ Præfectus, tantam ibi invenit Chriſtianorum

Sæculum I. A. C. 98.

rum multitudinem, ut quid cum hujus professionis hominibus factu optimum esset, ambigeret; hinc consilium ab Imperatore petiit. Nempe S. Petrus in hac Provincia prædicaverat, fidemque relictis scriptis firmaverat. Plinii autem ad Cæsarem Epistola hujus est tenoris:

Euſ. III. hiſt. c. 33.
1. Petr. init.
Plin. lib. 10. ep. 97.

Muneris mei esse existimo, Domine! in omnibus causis, quæ mihi perplexæ videntur, tuum exposcere consilium; quem enim meliorem in dubiis Ducem, quem doctiorem in ignorantia Magistrum te ipso inveniam? Nunquam Christianorum judiciis interfui, hinc quæ in illis requirantur, quæve puniantur, ignorans, multum dubitavi, an nulla ætatis habenda ratio? an teneri infantes cum majoribus natu confundendi? an pœnitentia veniam mereatur, aut vero, si quis semèl fuerit, Christianum exuisse, prosit nihil? an solum Christiani nomen sine alio crimine, aut annexa huic nomini crimina puniantur? Interim erga eos, qui hoc nomine ad me delati sunt, hanc agendi rationem tenui; interrogavi, an essent Christiani; cum se esse faterentur, altera, & tertia vice eandem quæstionem movi cum ultimi supplicii intentatione; & duci perseverantes jussi, nec enim mihi videbatur dubium, quidquid id esset, quod faterentur, saltem pertinaciam, & obstinationem inflexibilem impunitam esse non debere. Alios, ejusdem insaniæ,

Sæculum I. A. C. 98.

insaniæ, notavi, Romam mittendos, quia cives Romani sunt; attamen crescente, ut fieri solet, accusationum, reorumque numero, oblatus est mihi libellus sine auctoris nomine, multorum nomina continens, qui se Christianos esse, aut fuisse negant; hos, postquam Imagini tuæ, quam cum Deorum statuis afferri præceperam, coram me, & mecum thus, vinumque obtulissent, & Christo maledixissent, dimittendos judicavi; ajunt enim, vere Christianos ad horum quidquam faciendum nulla ratione compelli posse. Alii cum denuntiarentur, se Christianos dixerunt, statimque eodem ore negarunt; & se quidem aliquando Christianismum professos, nunc autem ab annis tribus, alii a longiori tempore, iterumque alii a viginti annis abjurasse ajebant. Omnes denique tuam effigiem, Deosque, Christo maledicentes, adoraverunt.

Jam vero, quæ, sibi a nobis objecta, fatebantur, sequentia erant; morem sibi esse certa die ante solis ortum convenire, & Canticum in honorem Christi, quem Deum esse crederent, alternantibus choris, psallere; & ibi quidem Christianos juramenti vinculo inter se contineri, non ad fovenda vitia, sed emendanda; hæc enim juramento prohiberi, ne rapinam, furtum, adulterium committerent; ne datam fidem frangerent, ne depositum sibi commissum negarent; tumque aliquantum secede-

Sæculum I. A. C. 98.

re, rursusque ad communem mensam colligi; esse autem convivium vulgare & innoxium; & his ipsis conventiculis abstinuere, post edictionem, quam te jubente promulgaveram. Plinius hic advertit, Christianorum convivia crimine vacare, nempe propter vulgares criminationes, eos jugulatum infantem comedere. Et pergit: *Ideo necessarium duxi, duas mulieres, Christianorum mancipia, quas sceleris ministras fuisse fama ferebat, tormentis subjicere, at præter superstitionem inauditam, & pervicacissimam detexi nihil; hinc distuli judicium, & tuam explorare sententiam quam celerrime volui.*

Rem consultatione dignam duxi ob ingentem reorum numerum; nam plurimi omnis ætatis, sexus, & conditionis periclitantur. Non solum urbes, sed & oppida, & agros hæc superstitio infecit; spes tamen superesse videtur hujus pestis progressus sistendi, & insanientes ad sanitatem reducendi; constat saltem, templa fere deserta, rursus frequentari cœpisse, sacrificia solemnia, diu interrupta, repeti, passim conspici victimas, cum prius rari emptores essent; unde ingens eorum copia dignosci potest, qui errorem correcturi sunt, si pœnitentiæ locus detur.

ibid. ep. 98. Trajanus ad hanc Plinii epistolam sic respondit: *Charissime adjutor! In causis eorum, qui ad te ut Christiani delati sunt, fecisti*

Sæculum I. A. C. 98.

cisti muneri tuo satis. Nihil enim ordinate statui potest, nisi quod juxta regulam certam statuitur. In Christianos inquirendum non est, si autem denuntientur, & convincantur, puniendi sunt; ita tamen, ut si quis dicat, se Christianum non esse, &, Diis nostris sacrificando, probet, ob pœnitentiam veniam obtineat, quantumcunque de præterito suspectus fuerit. Quod attinet libellos occulto auctore oblatos, in nullo accusationis genere locum habeant; res ea est pessimi exempli, & nostro Sæculo indigna.

Hoc Cæsaris responsum persecutionis gladium Christianorum cervicibus impendentem suspendit quidem, inimicis autem eorum nihilominus prætextum nocendi reliquit. In quibusdam locis populus, in aliis Magistratus eis insidiabantur, & quamvis non esset persecutio aperta, & universalis, in singulis tamen Provinciis particulariter vexabantur Christiani. *Euf. III. hist. c. 33.*

§. IV.

S. Ignatii iter.

S. Ignatius tunc temporis Ecclesiam Antiochenam regebat, durante Domitiani persecutione servatam; S. Præsul orationi, jejunio, assiduis instructionibus vacabat, propriæ tamen virtuti diffidens, timensque, ne veram Christi charitatem *Acta Ign. gr. & lat. edit. Buir.*

Sæculum II. A. C. 106.

necdum haberet, unice ad Martyrii lauream aspirabat. Theophorus a suis nominabatur, quod est, Deum ferens, sub hoc nomine notus erat, nec huic nuncupationi resistebat. An. 106. Trajanus devictis Dacis in Orientem transiit anno Imperii sui nono, JEsu Christi centesimo sexto, per Armeniam adversus Parthos exercitum ducens. Cum esset Antiochiæ, S. Ignatius de Ecclesia sua sollicitus, in Cæsaris conspectum sisti sustinuit, cui Imperator: *Qui es tu miser! qui nostra mandata spernis, & alios tecum in interitum trahis?* postquam S. Ignatius, se vocari Theophorum, respondisset, Cæsar; quis ille est, ait: qui portat Deum? tum S. Ignatius: *Ille est, qui JEsum Christum in corde habet;* quibus verbis clare JEsu Christi Divinitatem confessus est; cui iterum Trajanus: *Non ergo credis etiam nobis Deos nostros in corde esse, qui pugnant nobiscum contra inimicos nostros?* hic S. Ignatius: *Falleris, quod Deos voces Gentilium Dæmones; unus est Deus, qui creavit cœlum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt, & unus est JEsus Christus, Dei filius unigenitus, cujus Regnum suspiro.* Tum Trajanus: *De illo loqueris, qui sub Pontio Pilato crucifixus est?* & S. Ignatius: *Ille est, qui peccatum meum cum suo auctore crucifixit, qui malitiam Dæmonis prosternit, eorum pedibus, qui se*

Ignatius Martyr.

Chri-

Sæculum II. A. C. 106.

Christum in corde gerunt, proculcandam. Cui rursus Trajanus? *In te ergo crucifixum portas?* & S. Ignatius: *Sic est, quia scriptum est; habitabo, & inambulabo in eis.* 2. Cor. 6. 16. Tandem Trajanus in hunc modum pronuntiavit sententiam: *Jubemus, ut Ignatius, qui se crucifixum portare dicit, catena vinctus Romam a militibus perducatur, & a Bestiis devoretur ad oblectationem populi.* Tum S. Ignatius ex abundanti gaudio exclamavit: *Ago tibi gratias, Domine! quod mihi charitatem perfectam erga te tribuere dignatus sis, & sicut Apostolus tuus Paulus, ferreis catenis onerari.* Hæc dicens, lætus se vinculis induebat; tumque orans pro Ecclesia sua, cum lacrymis eam Deo commendabat; & abducebatur a militibus. Mos erat, ex omnibus Provinciis insignes malefactores Romam mittere; talemque Trajanus S. Ignatium æstimabat, quod Antiochiæ, Orientis Metropoli, Doctor, caputque Christianorum esset.

S. Ignatius impellente Martyrii desiderio lætitia diffluens, iter Antiochia Seleuciam, ubi navigio erat imponendus, perfecit. Cum ipso navem conscenderunt decem milites, custodes ejus, & tres Discipulorum ejus Reus, & Agathopus ex Syria, & Philo Diaconus ex Cilicia. Post devoratas multas molestias Smirnam appulerunt; ibi S. Ignatius in terram descendere

Sæculum II. A. C. 106.

cendere gestiebat, ut videret S. Polycarpum, hujus civitatis Episcopum, veterem amicum suum; ambo enim S. Joannis Apostoli condiscipuli fuerant. Cum convenissent, gratias spirituales eidem communicavit, in catenis suis gloriatus, rogabatque, ut cum omnibus Ecclesiis ad martyrii sui consummationem preces contribueret. Smirnam Legati ab omnibus vicinis Ecclesiis ad Ignatium convenere, cupidi gratiarum ejus Martyrii participes fieri. Venit Onesimus Ephesi Episcopus, qui ille S. Apostoli Pauli Discipulus fuisse creditur, habebatque socios Crocum, Burrum, Euplum, & Frontonem. Venit etiam Damas Episcopus Magnesiæ ad Mæandrum cum comitibus Basso, & Apollonio Presbyteris, & Sotione Diacono. Simul Polybius Episcopus Trallensis adfuit. S. Ignatius, ut gratum animi sensum in has Ecclesias testaretur, singulis scripsit epistolas, quas Legati redderent.

§. V.

Epistola S. Ignatii ad Ephesios.

Edit. Cotel. Epistola ad Ephesios ita incipit: *Ignatius, alias Theophorus, Ecclesiæ in magnitudine, & plenitudine Dei Patris Benedictæ, ante Sæcula ad Gloriam permanentem, & immutabilem prædestinatæ, unitæ, & electæ in vera passione, & voluntate,*

Sæculum II. A. C. 106.

luntate Patris, & JEſu Chriſti Dei noſtri; Eccleſiæ ex æquo felici, quæ eſt Epheſi in Aſia, Salutem in JEſu Chriſto, & puriſſimam ejus Gratiam. In omnium Epiſtolarum S. Ignatii initio, ſicut in Epiſtolis S. Pauli, longæ ſalutationes ponuntur, ejusque ſtilus magis ardentiſſimæ charitatis motibus, quam regulis grammaticæ regitur. Tum pergit: *Totam veſtram Eccleſiam in Perſona Oneſimi Epiſcopi veſtri, ſummæ charitatis viri, ad me venientem ſuſcepi. Oro Deum, ut in JEſu Chriſto eum diligatis, & omnes ei ſitis ſimiles. Benedictus ille, qui talem Epiſcopum dedit vobis, vobis, inquam, qui tali Epiſcopi digni eſtis. Quod attinet confratrem meum Burrum Diaconum veſtrum, omni benedictione repletum, oro Deum, ut pro veſtra gloria, & Epiſcopi veſtri vivat. Sed etiam Crocus vivat, vobis dignus, & Deo, quem veſtræ charitatis exemplar ſuſcepi, & qui mihi per omnia ſolatio fuit; Pater JEſu Chriſti remunerabitur eum, ſicut & Oneſimum, Burrum, Euplum, & Frontonem, ex quorum charitate omnium veſtrum charitatem cognovi.* Deinde proſequitur:

Non præſumo præcipere vobis, quaſi aliquid eſſem, quamvis enim pro JEſu Chriſti Nomine vinctus ſim, tamen perfectus non ſum. Vix pro Diſcipulo æſtimari poſſum, & loquor ad vos, tanquam n. 3.

in

Sæculum II. A. C. 106.

in Doctrina mihi pares. Nam vestra excitatio mihi necessaria erat ad pugnam, vestrum exemplum mihi fidem, patientiam, constantiam suggessit. Et paulo inferius: *Bene facitis, quod voluntas vestra cum Episcopi sensu eadem sit, & dignissimi Presbyteri vestri ita cum Episcopo concordent sicut fides lyræ bene dispositæ; ex concordia vestra mirabilis consurgit Symphonia in JEsu Christi gloriam. Si tam brevi tempore tam arcta inter me, & Episcopum vestrum nata est amicitia, non fundamento innixa humano, sed spirituali, quanta vestra felicitas est, qui eidem conjuncti estis, sicut Ecclesia JEsu Christo, & JEsus Christus Patri, ut omnes in Deo unum, sitis. Nolite errare; quiscunque ab altari separatur, pane Dei privatus est. Si enim unius, alteriusve orationi magna vis inest, quanto major erit vis orationis Episcopi, & totius Ecclesiæ; si quis igitur ad congregationem non venit, superbus est, et seipsum segregat, quia scriptum est: Deus resistit superbis. Caveamus ideo ne Episcopo resistamus, ne & simul resistamus Deo; quanto magis Episcopus dissimulat, eo magis timendus est; omnes enim, quos Paterfamilias Divinus supra domum suam constituit, revereri tenemur, sicut ipsum, qui misit eos; certum igitur est, Episcopum honorandum esse, sicut ipsum Dominum. Cæterum Onesimus omnium primus ordinis, quem observatis,*

Prov. 3. 34. Sec. 70.

Sæculum II. A. C. 106.

vatis, pulchritudinem laudat, & quod veritatem diligatis, nec ullam hæresin recipiatis, neminem nisi JEsum Christum auscultantes.

Sunt Deceptores, qui Nomine Dei abutentes, indigna Deo faciunt. Hos devitate tanquam feras pessimas. Sunt canes rabidi, qui occulte mordent, cavete; hæc vulnera difficulter sanantur. Unicus est Medicus corporeus, & spiritualis, genitus, æternus, Deus, & homo, vera vita in ipsa morte, Filius Dei, & Mariæ, primo passibilis, deinde impassibilis JEsus Christus Dominus noster. Est post alia S. Ignatius prosequitur: *Fuit mihi relatum, quod apud vos transiverint homines perversam Doctrinam tenentes; vos autem occlusistis aures vestras, ne audiretis eos.* Et post pauca, inquit: *Valde oblector honore, qui mihi obtingit, dum vobiscum conversari licet hac epistola, & congaudere, quod nihil spe vitæ alterius præter Deum ametis. Incessanter etiam pro aliis oratis, quia spes est emendationis eorum, ut Deo fruantur; ad eorum igitur instructionem cooperamini, saltem bono operum vestrorum exemplo; eorum iracundiæ opponite mansuetudinem, elationi humilitatem, erroribus constantiam in fide, ferocitati humanitatem. Absit ut eos imitemur, sed fratres eorum simus per benevolentiam, Dominum autem imitari studeamus. Nulla*

v. 37.

Athan. de Synod. pag. 922. *Theod. dial. p.* 34.

sit

Sæculum II. A. C. 106.

sit inter vos contentio, nisi in desiderio plus aliis injustitiam, damnum, & contemptum patienter ferendi. Tum de JEsu Christo loquens, ait: *Pro ipso hæc vincula gero, has, inquam, margaritas spirituales; utinam cum iisdem aliquando resurgam per preces vestras, quarum semper particeps esse desidero, & inter Christianos Ephesios referri, qui semper in Doctrina cum Apostolis concordes fuere per virtutem JEsu Christi. Scio, quis sim, & quibus scribam; ego sum condemnatus, vos vero misericordiam accepistis; ego periclitor, vos in gratia confirmati estis. Apud vos transeunt illi, qui propter Deum immolantur; Discipuli estis Pauli, illius Sancti, Martyris, ter-felicis; utinam sub pedibus ejus locus mihi sit, quando Deo fruar.*

Math. 12. 33. Subjungit inferius: *Arbor ex fructu cognoscitur; ita etiam qui se Christianos profitentur, ex operibus suis cognoscentur; non enim professio fidei prodest, sed fides operibus conjuncta, & perseverantia usque in finem.*

n. 15. *Præstat tacere, & bonum esse, quam bene loqui, & non esse. Utile est alios instruere, si, quæ dicis, facias. Unicus est Dominus, qui dixit, & omnia facta sunt; & quod tacendo fecit, dignum est Patre. Qui verbum JEsu possidet, etiam ejus silentium intelligat, ut sit perfectus; sic loquens, quæ loquitur etiam aget, & si taceat, tamen suis operibus innotescet.*

S. Ignatius Martyr.

Tra-

Tractans dein S. Ignatius de illius temporis erroribus, ait: *JEsus Christus, Deus noster, conceptus est ex Maria juxta dispositionem divinam, de sanguine David, operante Spiritu Sancto, natus est, & baptizari sustinuit, ut purificaretur aqua. Princeps hujus Sæculi ignoravit Virginitatem Mariæ, & partum ejus, & Domini mortem, clarissima tria Mysteria, quæ Deus peregit in silentio.* Sæculum II. A. C. 106. n. 18. Orig. hom. 6. in Luc. Basil. hom. 25. Hier. ad Matth. 1.

S. Ignatius huic Epistolæ in hunc modum finem facit: *Si JEsus Christus hanc mihi gratiam per preces vestras concedat, scribam vobis secundo, & quæ tractare cœpi, penitius explicabo de Mysterio novi hominis JEsu Christi, de fide, & charitate, quarum virtutum scopus est; de ejus passione, & resurrectione, prout mihi Deus revelaverit. Per Dei gratiam convenitis in una fide, & in uno JESU Christo, qui secundum carnem est de stirpe David, Filius hominis, & Filius Dei; itaque Spiritu indivisibiles Episcopo, & Presbyteris obeditis, frangentes eundem panem, qui est immortalitatis radix, mortis antidotum, fons vitæ in Christo æternæ. Libenter sanguinem pro vobis darem, & pro iis, quos ad gloriam Dei misistis ad me Smirnam, ubi hæc vobis scribo. Gratias ago Deo, & Polycarpum eo, quo vos, amore prosequor. Memores mei estote, & JEsus Christus vestri. O-*

Sæculum II. A. C. 106.

rate Deum pro Ecclesia Syriæ, unde vinctus Romam abducor, ego, inquam, hujus Ecclesiæ minimus, in qua gratia Dei ad gloriam suam me posuit. Salus vobis sit in Deo Patre, & JEsu Christo, qui est communis spes nostra. Hæc est S. Ignatii Epistola ad Ephesios.

§. VI.

Epistola ad Magnesios.

In Epistola ad Magnesios post salutationem S. Ignatius ait: *Postquam mihi honor obtigit, ut propter vincula mea divinæ dignitatis Nomen geram, Ecclesiarum gloriam cano, iisque precor unionem carnis, & Spiritus JEsu Christi, vitæ nostræ æternæ; precor unionem fidei, & charitatis, quæ est super omnia; precor, quod est omnium optimum, illam unionem, quæ est inter JEsum, & Patrem, cujus gratia omnes Principis hujus Sæculi insultus feremus, & ex hac vita fugiemus, ut fruamur Deo. Omnes vos amplecti mihi visus sum in Damante Episcopo vestro, qui Deo dignus est, & in vestris dignis Presbyteris Basso, & Apollonio, & Confratre meo Diacono Sotione, cui me congaudere liceat, eo quod subditus sit Episcopo tanquam gratiæ Dei, & Presbyteris tanquam Legi JEsu Christi. Ne despiciatis ætatem Episcopi vestri, sed omnem*

omnem ei exhibete reverentiam, quia Dei potestate positus est, sicut reverentur eum sancti vestri Presbyteri, qui non spernunt apparentem juventutem ejus, cedunt autem ei prudentes in Deo; aut verius non ipsi cedunt, sed omnium Episcopo JEsu Christi Patri. Obedite igitur sincere in honorem illius, qui hoc præcipit, non enim hic Episcopus visibilis decipitur, sed invisibilis offenditur; non res hic agitur cum hominibus, sed cum Deo, qui omnia occulta penetrat.

Sæculum II. A. C. 106.

Christianos ergo esse oportet, non solum nomine, sicut illi, qui nomen quidem Episcopi noverunt, at, ipso neglecto, omnia agunt; tales bona fide id facere non puto, quia certe eorum conventus juxta præceptum non instituuntur. Omnia finem habent. Morti æque, ac vitæ proximi sumus. Quilibet vadit in locum suum. Dantur quasi duæ Monetæ, altera Dei, & altera Mundi; utrique est signaculum suum proprium, Infideles mundi Symbolum præferunt; Fideles contra in charitate signaculum Dei per JEsum Christum exhibent. Si non simus prompti ad moriendum, ut imitemur passionem ejus, vita ejus non est in nobis. Cum igitur in iis, de quibus dixi, quos ad me misistis, totius vestræ multitudinis fidem, & charitatem cognovi, exhortor omnes, ut omnia in concordia Dei faciatis; exhortor Episcopum,

Sæculum II. A. C. 106.

pum, qui Dei loco præsidet, & Presbyteros, qui Senatum Apostolorum referunt, & Diaconos mihi charissimos, quibus commissum est Mysterium JEsu Christi, qui erat ante sæcula cum Patre, & in fine sæculorum apparuit. Et post alia subjungit: *Sicut Dominus nihil fecit nec per se, nec per Apostolos suos sine Patre, cui unitus est, ita nihil absque Episcopo, & Presbyteris faciatis. Ne quidem speretis, quidquam boni privatim invenire. At omnibus vobis sit idem sensus, & spes; eadem vota, & preces sint in charitate, & gaudio irreprehensibiliter. Nihil JEsu Christo melius, qui unus est! simul currite tanquam ad unicum Dei Templum, unicum Altare, unicum JEsum Christum, qui exiit a solo Patre, in eo solo est, & ad eum solum rediit.*

Ne aberretis in opinionibus peregrinis, nec in antiquis, & inutilibus fabulis. Si adhuc Legem observamus, fatemur, quod gratiam non receperimus. Nam divini vates secundum JEsum Christum vixerunt, & ideo persecutiones passi sunt, erantque ejus gratia inspirati, ut incredulis persuaderent, unicum esse Deum, qui se per JEsum Christum, Filium suum, Verbum æternum, nunquam ex silentio egressum, manifestavit. His ultimis verbis S. Ignatius quorumdam errorem damnat, dicentium; *Sige*, id est, silentium,

tium, quod pro Persona habebant, in Deo fuisse, antequam Verbum suum proferret. Hunc errorem postea Valentinus hæreticus renovavit, & auxit. Adjungit S. Ignatius, Prophetas in Spiritu Discipulos JEsu Christi fuisse, eumque ut suum Magistrum exspectasse. Diversarum Sectarum nomina rejiciens, inquit: *Discamus secundum Christianismum vivere, qui enim aliud nomen gerit, est Deo indignus.* Et inferius: *Absurdum est JEsum Christum invocare, & tamen judaizare; quia non Christianismus in Judaismum, sed Judaismus in Christianismum conversus est.*

Sæculum II. A. C. 106.

S. Ignatius.

Quod autem dico, charissimi fratres! non ideo dico, quasi aliquem ex vobis male sentientem noverim, sed ego inter vos minimus ab insidiis vanarum opinionum vos præmunire cupio. Inferius sic prosequitur: *Quamvis vinctus sim, nihilominus minor sum unoquoque vestrum, qui estis liberi. Scio, quod vos superbia non inflet, habetis enim in corde vestro JEsum Christum, & dum laudes vestras audistis, propter modestiam vestram confundimini.* Inferius iterum pergit: *Mementote mei in precibus vestris, ut ad Deum perveniam. Mementote Ecclesiæ, quam reliqui, in Syria, cujus membrum indignum sum. Ephesiorum Legati, qui sunt Smirnæ, salutem vobis dicunt, ubi ad vos scribo, &*

Sæculum II. A. C. 106.

quo ipsi propter gloriam Dei venerunt, sicut illi, qui a vobis missi sunt; per omnia magno mihi fuerunt solatio. Polycarpus Episcopus Smirnensis, & vicinæ Ecclesiæ propter honorem JEsu Christi salutem vobis dicunt. Constantes estote in Dei concordia, & Spiritu indivisibili, qui est JEsus Christus. Talis est S. Ignatii Epistola ad Magnesios.

§. VII.

Epistola ad Trallenses.

Epistolæ S. Ignatii ad Trallenses, post factam salutationem, talis est ingressus: *Scio, quod vestra intentio sit pura, corda unita, patientia non mutabilis, sed quæ ex consuetudine quasi altera natura facta est; ita mihi compertum est ex Polybio Episcopo vestro, qui venit ad me Smirnam per voluntatem Dei, & JESU Christi, & congavisus est mihi propter vincula, quæ ex amore JEsu Christi gero; ex ejus charitate, totius vestræ Ecclesiæ dilectionem mensus sum.* Tum inferius: *Quamdiu subditi estis Episcopo vestro, tanquam JEsu Christo, vivere mihi videmini, non secundum hominem, sed secundum JEsum Christum.* Et iterum: *Necessarium igitur est, sicut moribus vestris observatis, ut absque Episcopi consensu, & approbatione nihil fiat, sed ut subjiciamini*

Sæculum II. A. C. 106.

mini etiam Presbyteris, tanquam Apostolis. Atqui etiam Diaconi, JESU Christi Mysteriorum Ministri omnibus, & omni modo accepti sint; nam eorum Ministerium non ad cibum, & potum attinet, sed servitium Ecclesiæ Dei; ideo Diaconi omnem culpam tanquam carbones ignis refugiant; omnes autem honorent Diaconos, tanquam a JEsu Christo constitutos; Episcopum vereantur, tanquam Patris imaginem; Presbyteros, tanquam Dei senatum, & Apostolorum societatem; si hos aufferas, nulla erit Ecclesia. Vos in rebus istis mecum sentire nullus dubito. Nam vestræ charitatis exemplar excepi, & apud me habeo Episcopum vestrum, cujus vel externa species ædificat; in cujus animi lenitate tantam vim inesse existimo, quam ipsa revereatur impietas. not. V. Cotel.

De Deo magnifice sentio, sed meam simul pusillitatem reputo, ne opprimar a gloria. Modo enim mihi maxime timendum est, & cavendum ab iis, qui laudando elationis periculum mihi creant. Qui enim laudant, offendiculo mihi sunt. Libenter quidem pro Christo patior, sed nescio, an tanto honore dignus sim. Multi non vident, quam ferociter me invidia oppugnet, modestia igitur mihi necessaria est, qua Princeps hujus mundi debellatur. Nunquid non possum vobis cælestia

Sæculum II. A. C. 106.

scribere? sed cum adhuc infantes sitis, timeo, ne noceam, &, quod intelligere non valetis (ignoscite mihi) vos suffocet. Nam quamvis vinctus sim, & possim cælestia cognoscere, Angelorum dispositionem, Principatuum ordinem, res visibiles, & invisibiles, ideo tamen non sequitur, quod vel Discipuli nomen merear. Multa adhuc in nobis desiderantur, ut Deo digni simus. Deinde S. Ignatius eos exhortatur, ut a veneno hæreticorum caveant, Episcopo, & unitati Ecclesiæ adhæreant. Tum sic prosequitur:

n. 9. *Nolite ergo audire, si quis aliud afferat, quam JESUM Christum, qui est de stirpe David, qui vere ex Maria natus est, qui manducavit, & bibit, qui vere sub Pontio Pilato persecutionem tulit, vere crucifixus, & mortuus est in oculis omnium, quæ sunt in cælo, in terra, & in inferno; qui vere resurrexit a mortuis per potentiam Patris sui, qui nos etiam resuscitabit, nos, inquam, qui in eum credimus. Quod si tantum apparenter passus est, sicut non nulli impiorum dicunt, illos incredulos puto, qui ipsi potius non nisi apparenter aliquid sunt; quare enim vincula gero? quare cum bestiis pugnare gestio? aut forte in vanum morior? minime profecto, non mentior contra Dominum.*

His

Sæculum II. A. C. 106.

His subjungit: *Vellem, ut auscultetis me in charitate, ne aliquando Epistola mea testimonium sit contra vos. Etiam pro me orate, qui vestra charitate in misericordia Dei indigeo, ut forte, quæ mihi præparatur, dignus sim, & non reprobus inveniar. Smirnensium, & Ephesiorum charitas vos salutat. Mementote in orationibus vestris Ecclesiæ in Syria, inter quorum membra annumerari indignus sum, cum sim omnium ultimus. Valete in JEsu Christo; Episcopo, & Presbyteris juxta præceptum Dei subditi estote, alterutrum uno corde diligite. Utinam spiritus meus vos sanctificet, non in præsenti modo, sed etiam quando Deo fruar. Adhuc quidem periclitor; sed fidelis est Pater, ut per JEsum Christum vota mea, & vestra adimpleat. Utinam in ejus oculis immaculati sitis.* Ita Epistola ad Trallenses finitur.] n. 12.

§. VIII.

Epistola S. Ignatii ad Romanos.

S. Ignatio Smirnæ Ephesii occurrerunt, via recta Romam ituri, & illuc ante ipsum perventuri; his Epistolam tradit ad Ecclesiam Romanam, in qua post salutationem, & magna elogia ita loquitur: *Quod instantissimis precibus a*

Sæculum II. A. C. 106.

Deo petii, ut viderem vultus vestros, tanquam Electorum Dei, tandem obtinui; cum enim jam JEsu Christi vinctus sim, hisce brachiis vos amplecti spero, si sit voluntas ejus, & mea felicitas, ut usque in finem perseverem. Bene procedunt initia, dumodo consumem Martyrium, & nihil me ab hac Beatorum sorte impediat. Timeo, ne vestra charitas mihi noceat, facile enim facere potestis, quod vultis; at mihi difficile erit ad Deum pervenire, si mihi parcitis. Nolo erga vos respectu humano duci; sed Deo placere cupio, sicut vos placetis. Nunquam mihi melior occasio ad Deum perveniendi obveniet, nec vobis, si quiescitis, sanctius opus operandi oportunitas. Si propter me nil moveatis, coronabor, si vero me secundum carnem diligitis, ad hujus vitæ pugnas, molestias, & pericula retrahor. Majus mihi bonum procurare non potestis, quam pro Deo immolari, dum altare ad idipsum paratum stat. Ex his verbis colligi potest, quantum S. Ignatius timuerit, ne Christiani Romani suo auxilio eum a morte eriperent. Tum prosequitur:

Nunquam invidiæ vitio laborastis, & aliis morum præcepta dedistis; quæ ergo docuistis, exemplo firmate. Hoc solum a vobis peto, ut mihi precibus vestris virtutem impetretis contra hostes internos, externos-

Sæculum II. A. C. 106.

ternosque, ut non solum me Christianum nominem, sed effectu esse velim; nec alii tantum me Christianum putent, sed reipsa talem inveniant. Tum post alia: *Ad Ecclesias scribo, me libenter pro Deo mori, dumodo vos impedimento non sitis. Obtestor vos, ne me importune ametis. Sinite, ut bestiarum pabulum fiam, hæ enim me ad Deum deducent. Frumentum Dei sum, bestiarum dentibus molar, ut purissimus Christi panis inveniar. Magis enimvero irritate bestias, ut sint mihi in sepulchrum, & nihil corporis mei relinquant, ne post mortem cuiquam oneri sim. Tunc verus JEsu Christi Discipulus ero, si nec corpus meum Mundus videat. Rogate Deum pro me, ut his instrumentis cadam Deo hostia. Non autem impero vobis sicut Petrus, & Paulus; ipsi enim erant Apostoli, ego damnatus sum, ipsi liberi erant, ego adhucdum servus, si autem Martyr occumbam, libertus JEsu Christi ero, & per eum liber resurgam. Jam nunc in vinculis disco, nihil de hujus temporis vanitate concupiscere.*

A Syria usque Romam terra, marique, diu ac noctu cum bestiis pugno, alligatus decem Leopardis, id est, militum manipulo, quibus si benefeceris, pejores fiunt. At eorum perversitate instruor; nec tamen 1. Cor. 4. 4. *ideo justificatus sum. Utinam bestiis fruar mihi præparatis, utinam feroces inveniam,*

Sæculum II. A. C. 106.

veniam, ipse urgebo, ut me cito devorent, ne mihi, quod quibusdam aliis contingat, quos attingere non sunt ausæ; & si invadere me nolint, cogam. Ignoscite mihi! scio, quid mihi prosit. Jam Discipulus esse incipio. Nulla me creatura nec visibilis, nec invisibilis a JEsu Christi amplexu arcebit; ignis, crux, bestiarum catervæ, separatio ossium, divisio membrorum, totius corporis destructio, atrocissima Dæmonis tormenta veniant super me, dummodo JEsu Christo fruar.

Hujus mundi deliciæ, nec hujus Sæculi Regna mihi quidquam prodessent. Præstat pro JEsu Christo mori, quam dominari universæ terræ. Et iterum post alia pergit: *Princeps hujus mundi quærit me rapere ad se, & voluntatem meam, qua Deo inhæreo, pervertere, nullus vestrum ejus accedat partibus, sed magis ex mea, & Dei parte stet. Ne loquamini JEsum Christum, si mundum amatis. Non vos corripiat invidiæ malum. Cum apud vos præsens fuero, si quid aliud rogarem, nolite facere; sed his, quæ modo scribo, credite. Scribo vobis vivens, & mori desiderans. Amor meus crucifixus est. Habeo in me non ignem materialem, sed aquam vivam, quæ loquitur in me, & dicit intus: Vadamus ad Patrem. Non appeto nutrimentum corruptibile, aut hujus vitæ oblectamenta; sed desidero panem Dei,*

Sæculum II. A. C. 106.

Dei, panem cæleſtem, panem vitæ, qui eſt caro JEſu Chriſti, Filii Dei, qui in fine natus eſt ex ſanguine David, & Abraham; cupio potum divinum, ejus ſanguinem, qui eſt charitas incorruptibilis, & vita ſine termino.

Denique ſubjungit: *Memores eſtote in orationibus veſtris Eccleſiæ Syriæ, cujus Deus loco mei paſtor eſt; JEſus Chriſtus ſolus eam reget, & veſtra charitas. Ego vero erubeſco, quod illius Eccleſiæ membrum eſſe dicar, quia indignus ſum, omnium minimus, & abortivus. Attamen per miſericordiam Dei, ſum aliquid, ſi ad ipſum pervenire poſſim. Spiritus meus vos ſalutat, & charitas Eccleſiarum, quæ me non tanquam peregrinum, ſed fratrem exceperunt; illæ enim, quæ per Legatos ſuos ad me non venerunt, tamen pro rata impendiorum partem contulerunt. Hanc Epiſtolam vobis ſcribo Smirnæ, ab Epheſiis quibusdam beatis confratribus noſtris ferendam. Chariſſimus confrater Crocus mecum eſt cum pluribus aliis; quantum attinet ad illos, qui ante me ex Syria Romam ſunt profecti propter gloriam Dei, notos vobis eſſe credo; dicite illis me non procul abeſſe, ſunt Deo digni, & vobis. Bene facietis, ſi eos veſtra benevolentia juveritis. Hæc ſcripſi vobis nono Calendas Septembris, id eſt, vigeſima quarta Auguſti. Salutem vobis dico, & precor*

usque

Sæculum II, A. C. 106.

usque in finem JEſu Chriſti patientiam. Ita finit Epiſtolam ad Romanos, quæ inter ejus Epiſtolas alias eſt celeberrima.

§. IX.

Epiſtola ad Philadelphios.

S. Ignatius Smirna ductus eſt Troadem, ubi Epiſcopus Philadelphiæ in Aſia ad eum inviſit; inde ſcripſit ad hanc Eccleſiam, ad Smirnenſem, & ad S. Polycarpum. In Epiſtola ad Philadelphios præmiſſa ſalutatione hortatur ad unionem cum Epiſcopo, Presbyteris, & Diaconis, & tunc ait: *Epiſcopum veſtrum Miniſterium publicum non a ſe ipſo, nec ab hominibus, nec ex vana gloria, ſed in charitate Dei Patris, & Domini JEſu Chriſti accepiſſe, mihi compertum eſt. Ejus manſuetudinem valde miratus ſum. Silentium ejus plus movet, quam vani aliorum ſermones. Vita ejus Dei præceptis, ſicut lyra chordarum concordia regitur. Ideo gratulor ei voluntatem Deo addictam, virtutis perfecte ſtudioſam, ejus conſtantiam, & iracundiæ fugam per Dei viventis Clementiam.* Tum ſuadet, ut diviſiones, & hæreticorum doctrinam horreant. Et pergit: *Non quidem Diviſiones animorum eſſe inter vos deprehendi, ſed tamen quasdam Perſonarum diſtinctiones; omnes, qui*

n. 3.

Dei

Sæculum II. A. C. 107.

Dei sunt, & JEsu Christi cum Episcopo consentiunt, omnesque qui facti pœnitentes ad unionem Ecclesiæ redibunt, a Deo recipientur, ut in JEsu Christo vivant. Ne erretis, fratres mei! si quis auctorem schismatis sequitur, non habebit partem in Regno Dei; si quis Doctrinam peregrinam recipit, non erit passionis JEsu Christi particeps. Solliciti ergo sitis, ut omnes unam solam Eucharistiam sumatis, una est enim Caro Domini JEsu Christi, & unus calix in unione sanguinis sui, unum altare, sicut unus Episcopus cum Presbyteris, & Diaconis confratribus meis, ut quæcunque facitis, juxta præceptum Dei faciatis. (*) Tum hortatur, ut Prophetis æque ac Apostolis credant. Et prosequitur:

n. 6.

Si quis vobis Judaismum prædicat, nolite audire; melius est Doctrinam Christianam ex ore circumcisi accipere, quam Judaicam ex ore incircumcisi, uterque autem, nisi JEsum Christum prædicent, sunt mihi sicut columnæ, & sepulchra, quæ nihil nisi nomen inane cujusdam hominis exhibent. Paulo inferius inquit: *Ago gratias Deo, quod propter vos mea mihi conscientia nihil objiciat, & nullus vestrum vel secreto, vel*

(*) Heterodoxi realem præsentiam carnis Christi in Eucharistia negantes, ex his S. Ignatii verbis saltem aliter, quam Ecclesia antiqua, loqui convincuntur.

Sæculum II. A. C. 107.

vel publice gloriari possit, me cuiquam eorum vel parum, vel multum oneri fuisse. Pro omnibus, quibus prædicavi, oro, ne ob

n. 7. *hoc ipsum gravius eis judicium contingat; quamvis enim aliqui me voluerint decipere secundum carnem, spiritus tamen, qui a Deo est, non decipitur, scit ille, unde ve-*

Jo. 3. 8. *niat, & quo vadat, & arcana revelat. Quando apud vos eram, clamabam, extollens vocem meam, uniti estote Episcopo, Presbyteris, & Diaconis; id vero me dicere suspicati sunt, quia quorumdam divisionem prævidebam, at ille, cujus amore vinctus sum, testis mihi est, quod hoc mihi*

Const. Ap. II. 27. *per homines non fuerit cognitum, sed Spiritus hoc mihi manifestavit dicens: nihil sine communicatione Episcopi fiat. Custodite carnem vestram tanquam Templum Dei. Amate unionem, fugite dissensiones, imitatores estote JEsu Christi, sicut ipse Patris sui.*

n. 10. Post hæc JEsu Christi Dignitatem, & Mediationis ejus necessitatem ostendit, & subdit: *Cum per preces vestras, & viscera charitatis resciverim, Ecclesiam Antiochenam Syriæ esse in pace, oportet vos tan-*

S. Ignatii Epistolæ. *quam Ecclesiam Dei Diaconum eligere, quem illuc tanquam Dei Legatum mittatis, ut gaudii eorum propter unionem particeps fiat.* Ex his verbis colligendum, Ecclesiæ Antiochenæ pacem, interna potius Fidelium dissensione, quam externa Paga-

Paganorum perſecutione fuiſſe turbatam. Tum ſubjungit: *Beatus ille in JEſu Chriſto, cui hujus miniſterii honor obveniet. At idipſum & vobis gloriæ erit. Si hoc pro Nomine Dei facere vultis, non erit vobis impoſſibile, quod aliæ de vicinia Eccleſiæ fecerunt, qui aut Epiſcopos, aut Presbyteros, aut Diaconos miſerunt.* Sæculum II. A. C. 107.

Quod Philonem Diaconum ex Cilicia tangit, notiſſimi meriti virum, qui mihi in Prædicatione fidei usque in præſens miniſtrat, ſicut etiam Reum, & Agathopum virum in paucis probum, qui me ex Syria comitatur, ſpreto vitæ periculo, hi omnes teſtimonium vobis reddunt; & ego pro vobis Deo gratias ago, quod eos ſuſceperitis eo modo, quo vos a Domino ſuſcipi precor, illos autem, qui eos contempſerunt, per JEſu Chriſti gratiam reſipiſcere. Fratrum Troadenſium charitas vos ſalutat, ubi ad vos ſcribo, Burri uſus Miniſterio, quem Epheſii, & Smirnenſes honoris cauſa mecum dimiſerunt. Utinam JEſus Chriſtus, in quem ſperant, eos ſecundum carnem, animam, fidem, charitatem, & concordiam diligat. In JEſu Chriſto communi noſtra ſpe ſalutem vobis dico.

§. X.

Epiſtola ad Smirnenſes.

§. Ignatius in Epiſtola ad Smirnenſes totus in eo eſt, ut illos maxime in fide

Sæculum II. A. C. 107.

Incarnationis roboret, contra hæreticos Dacitas, seu Phantasticos. *Observavi*, inquit: *quod sitis perfecti in fide inconcussa, quasi affixi cruci Domini JEsu Christi in carne, & in Spiritu, & per sanguinem ejus in charitate firmati, certissime tenentes, quod Christus vere de stirpe David secundum carnem sit, & Filius Dei secundum voluntatem, & omnipotentiam ejus, vere* Matth. 3. 15. *natus ex Virgine, a Joanne baptizatus, ut adimpleret omnem justitiam, vere in carne pro nobis sub Pontio Pilato, & Herode Tetrarcha crucifixus.* Paulo inferius sic prosequitur: *Vere Christus passus est, sicut vere seipsum resuscitavit; non autem, sicut quidam increduli dicunt, tantum apparenter passus est; hi, qui hoc dicunt, tantum apparenter Christiani sunt, & secundum obstinaciam eorum fiet eis, cum Phantastici, & Dæmoniaci sint; ego vero scio, quod Christus in carne fuerit etiam post resurrectionem suam, & adhucdum in carne sit; nam tunc, cum Christus ad illos venit, qui cum Petro erant, dixit: prehendite, & tangite me, & videte, quod non sim spiritus incorporeus, & statim tetigerunt eum, & crediderunt, de veritate carnis, & spiritus ejus convicti. Ideo propter testimonium veritatis mortem contempserunt, eaque devicta triumpharunt. Est ergo indubitatum, quod Christus biberit, & manducaverit cum eis, corpus habens, & Spiritu Patri unitus.* Hæc

Sæculum II. A. C. 107.

Hæc vobis do monita, charissimi fratres! sciens fidem vestram, ut ab his bestiis in figura humana ambulantibus cavere possitis, cum talibus nedum nulla vobis sit familiaritas, sed, si possibile est, etiam occursum devitate; sufficiat vobis pro iis orare, ut convertantur, si fieri potest; difficillima enim est eorum conversio, sed non supra virtutem JEsu Christi, qui est vere vita nostra. Si JEsus Christus non nisi ad speciem externam vixit, & mortuus est, etiam cur vincula mea geram, causa inanis esset, & ficta; absit! quare autem me ipsum morti, igni, gladio, & bestiis tradidi? nempe in persecutione gladii Deo conjungimur, & inter bestias Deo unimur. Quid me juvat ab hominibus laudari, si n. 7. *blasphematur Dominus meus ab iis, qui eum carne indutum negant, qui ita docet, Christum ex toto destruit, & cadaver supponit. Non judico expedire, ut eorum nomina hic apponam, qui increduli sunt; absit ut eorum mentionem faciam, usque dum convertantur.* Et iterum inferius addit: *Observate, quomodo isti Dei voluntati resistant; absque charitate sunt; non est ipsis cura viduarum, orphanorum, afflictorum, eorum, qui sunt in carceribus, aut in libertate, nec eorum, qui esuriunt, vel sitiunt; de oratione, & Eucharistia non participant, quia negant Eucharistiam esse Domini nostri JEsu Christi carnem, eam*

Sæculum II. A. C. 107.

ipsam, quæ pro peccatis nostris passa est, & quæ per Bonitatem Patris resuscitata est. Ab his ergo separamini, & nec privatim, nec publice colloquimini. Et iterum inferius inquit:

n. 8.

Fugite divisiones, omnium malorum originem. Obedite Episcopo, sicut JEsus Christus obedit Patri suo; obedite Presbyteris, sicut Apostolis. Diaconos honorate, tanquam ex præcepto Dei constitutos. Nemo aliquid facere, quod Ecclesiæ est, sine assensu Episcopi præsumat. Illa est legitima Eucharistia, quam facit Episcopus, aut is, cui ipse commisit. Ubi Episcopus comparet, ibi & multitudo congregetur, sicut ubi JEsus Christus est, ibi est Ecclesia Catholica. Sine assensu Episcopi nec baptizare, nec Agape celebrare licitum est. At quod cum approbatione Episcopi fit, gratum Deo est, ut omnia legitime fiant, & valide. (*) Et post pauca: *Qui honorem dat Episcopo, honorabitur a Deo; qui aliqua inscio Episcopo attentat, Dæmoni servit.*

S. Ignatii Epistolæ.

n. 10.

Tum gratias dicit pro auxiliis sibi, & tribus sociis Philoni, Reo, & Agathopo collatis. Excitat, ut Antiochiam mittant, & ait: *Expedit pro Dei honore, ut Ecclesia vestra legatum seligat, qui missus in*

(*) Quid ad hæc Novatores, qui e suis Ecclesiis Episcopatum sustulerunt?

Sæculum II. A. C. 107.

in Syriam cum illis vestro nomine de pace restituta lætetur, & quod pristinus splendor, & unio reducta sit. Res tanti mihi esse videtur, ut quemdam ex vobis cum litteris ablegetis, qui cum Antiochenis Deum glorificet, ob pacis reditum, & quod vestris precibus ex procella in portum evaserint. Pergit deinde: *Fratres ex Troade salvere vos jubent; inde vobis hæc scribo per Burrum, quem dedistis mihi comitem cum fratribus nostris Ephesiis; is magno mihi fuit levamini in omnibus; utinam omnes ipsum imitarentur, quoniam Ministrorum Dei exemplar est; Dei gratia eum remunerabitur. Salutem ex me dicite digno vestro Episcopo, venerabilibus Presbyteris, & confratribus meis Diaconis, omnibus & singulis in Nomine JEsu Christi, & carnis ejus, passionis ejus, resurrectionis ejus corporalis, & spiritualis, & in Nomine unionis, quæ est inter Deum, & vos. Salutem dico familiis fratrum meorum, cum uxoribus, & liberis, & virginibus, quæ viduæ dicuntur;* Hic Diaconissas intelligit, quæ viduarum nomine veniebant, eo quod plerumque tales essent. Tunc Epistolam sic claudit: *Proficite in virtute Spiritus. Philo, qui mecum est, salutat vos. Salutate mihi Domum Taviæ, pro qua Deum oro, ut in fide, & charitate tam quoad corporalia, quam spiritualia confirmetur. Charissimæ Alcææ,*

Coteler. hic const. Ap. VI. cap. 17. Epiph. expos. n. 21.

Sæculum II. A. C. 107.

incomparabili Dapho, & Eutecno, & cæteris singulatim salutem dico. Deus in sua Gratia vos conservet. Ita clauditur Epistola ad Smirnenses.

§. XI.

Epistola ad S. Polycarpum.

S. Ignatio adhuc aliis Asiæ Ecclesiis scribere volenti subito navigatio indicitur, ut Troade Neapolim Macedoniæ peterent. Igitur pro temporis angustia soli
n. 8. S. Polycarpo Smirnensium Episcopo scripsit rogans eum, ut Asiæ Ecclesias suo nomine per epistolam consolaretur. In hac
n. 3. Epistola S. Polycarpo dat monita illis similia, quæ S. Paulus Timotheo. *Officio tuo*, inquit: *magna applicatione corporis, & animi fungere. Unionem sollicite serva, nihil ea melius. Omnes alios tolera, sicut te Dominus tolerat. Omnium defectus suffer, sicut facis, cum charitate. Semper orationibus vaca. Pete a Deo sapientiæ augmentum. Vigila, cum Spiritum possideas, qui nunquam dormit. Singulis suggere, quæ tibi Deus inspiraverit. Omnium infirmitates porta, tanquam perfectus Athleta. Majori labori major merces tribuitur. Si Discipulos tantum morigeros diligis, nullum tibi erit meritum. Magis mansuetudine etiam omnium pessimos reducere satage. Non omni plagæ*

omnis

Sæculum II. A. C. 107.

omnis medicina salutaris est; calida humidis curanda sunt.

Numero tertio sic pergit: *Ne te perturbent illi, qui fide digni videntur, & errores docent; obfirmato sis animo sicut incus malleatoris ictibus resistens. Boni Athlethæ est vulnerari, & vincere.* Et paulo inferius: *Viduæ non negligantur; tu post Dominum Protector earum esto; nihil sine tua voluntate fiat; tu vero sine Dei voluntate nihil facias. Congregationes sint frequentes; singulos suo nomine ibi exquire. Servos non contemnas, sed illi non inflentur, potius pro Dei gloria serviant, ut ab eo meliorem libertatem obtineant; ope communitatis manumitti non postulent, ne fiant passionum suarum mancipia. Dolosas machinationes fuge, immo ne quidem de his loquere. Sororibus meis dices; ut Dominum ament, & cum maritis suis corpore, & spiritu contentæ vivant; fratres meos in nomine JEsu Christi exhortare, ut diligant eas sicut Christus Ecclesiam. Si quis continentiam servare potest in honorem carnis Domini, servet, sed sine ostentatione, si in eo gloriatur, non ipsi quidquam proderit. Si supra Episcopum se extollit, perversus est. Quod ad Neo-nuptos spectat, cum auctoritate Episcopi contrahant, ut matrimonium ineant secundum Deum, & non secundum cupiditatem. Omnia ad honorem Dei fiant.*

n. 3.

Sæculum II. A. C. 107.

Tum S. Ignatius pergit, sermonem ad totam Smirnensium Ecclesiam dirigens; sciebat enim epistolam suam, soli quidem Episcopo inscriptam, publice in conventu Fidelium de more prælegendam. Sic ergo ait: *Episcopum audite, ut & Deus vos exaudiat. Libenter vitam darem pro illis, qui subditi sunt Episcopo, Presbyteris, & Diaconis, utinam cum illis pars mea sit in Deo. Omnia vobis sint communia, labores, pugnæ, cursus, ærumnæ, somnus, vigiliæ.* Tum rursus S. Polycarpum alloquens occasione pacis in Ecclesiam Antiochenam postliminio reversæ, ait: *Beate Polycarpe! oportet Concilium convocare, & quemquam ex tibi charissimis seligere, qui Legatus Dei haberi possit, & cum honore in Syriam mitti, ut fervor charitatis vestræ illi Ecclesiæ notus fiat. Christianus non sibi vivit, sed Deo.* Tum sequitur Epilogus in hunc modum:

S. Ignatius Martyr.

Omnibus Ecclesiis scribere non potui, festinanter navigium conscendere jussus, ut Troade Napolim cursus dirigatur, sicut Deus disponit; ideo Ecclesiis remotius positis scribes de voluntate Dei certus, & hortaberis, ut & ipsi idem faciant; quibus commodum erit, terra Antiochiam quempiam mittent, alii scribent, iisque, qui a vobis mittentur, litteras committent, ut inde vobis propter opus, immortali memoria dignum, gloria, quam meremini, prove-

Sæculum II. A. C. 107.

proveniat. Singulos Fideles saluto, & uxorem Epitropii cum tota familia & liberis. Charissimum meum Attalum valere jubeo; salutem dico illi, qui legatione ad Syros honorabitur; Gratia Dei semper cum ipso erit, & cum Polycarpo, qui eum mittit. Precor, ut semper valeatis in JEsu Christo Deo nostro & per eum in unione, & protectione Dei maneatis. Saluto charissimam Alcæam. Dominus vos custodiat. Ita concluditur Epistola ad S. Polycarpum. Hæ sunt septem Epistolæ S. Ignatii, toti antiquitati notæ, nempe ad Ephesios, Magnesios, Trallenses, Romanos, Philadelphios, Smirnenses, & S. Polycarpum, quæ in Ecclesiis Asiæ publice legebantur.

Euſ. III. hiſt. c. 36. Hier. ſcript. Ign.

§. XII.

Martyrium S. Ignatii.

Cum S. Ignatius Troade navigasset Neapolim, venit Philippos, & pedestri itinere totam Macedoniam pertransiit usque Epidamnum, alias Dyrrachium, urbem ad mare Adriaticum positam; ibi repetita navi in mare Thuscum devectus est; cum Puteoli in conspectu essent, cupiebat ibi descendere, ut S. Pauli vestigiis inhæreret, at vento contrario prohibitus est; nec aliud licuit, quam fratribus ibi degentibus felicitatem gratulari. Tum die una, & nocte ferentibus ventis Portum Augusti

Sæculum II. A. C. 107.

ad ostia Tiberina subierunt; gemiscentibus S. Ignatii sociis, quod jam jam ipsis esset eripiendus; illi omnis mora longa videbatur, quod mundum relinquere, & Deo conjungi anhelaret. Portu Romam iverunt, ubi fama S. Martyris adventum multum ante præceperat; igitur Fideles obviam processerunt inter gaudium, & timorem medii; gaudium movebat S. Ignatii, excellentissimi viri, præsentia, at tristitiæ causa erat, quod, eum ad mortem duci, scirent. Quibusdam ex amoris fervore dicentibus; populi infidelis animos esse deliniendos, ne viri justi necem peterent, silentium imposuit. Omnes Ecclesiæ Romanæ Fideles, statim in Spiritu cognitos, salutavit, rogans, ut erga se magna charitate essent, nec sibi summam felicitatem vadendi ad Dominum inviderent; & plura, ut hoc obtineret, quam in Epistola sua congerebat. Tum genua flectens cum omnibus fratribus Filium Dei deprecabatur, pro Ecclesiis, pro cessatione persecutionis, pro mutua fratrum charitate; qua oratione peracta, festinanter ad Amphitheatrum producitur, & bestiis traditur; nam in hanc diem solemnia incidebant, dicta Romanis Sigillaria, decimo tertio Calendas Januarii, id est, vigesima Decembris celebrari solita; ingens populi concursus fuit; at bestiæ, quamprimum S. Martyris facta est copia,

sine

Sæculum II. A. C. 107.

sine cunctatione invadentes eum devorarunt; nihil ejus corporis nisi ossa grossiora relictum, factumque, quod optaverat, ut nemini post mortem corpus ejus molestiæ causa esset. Pauca, quæ de ossibus ejus superfuere, linteo involuta Antiochiam, ut pretiosissimus thesaurus translata sunt, magno omnium Fidelium, quocunque sacræ Reliquiæ perveniebant, solatio. Tandem capsæ inclusa in cæmeterio ad Portam Daphnes sepulta sunt. Qui historiam Martyrii S. Ignatii scripserunt, narrationi finem faciunt his verbis: *Hæc facta sunt decimo tertio Calendas Januarii Sura, & Senecione secundo Consulibus* (annus est JEsu Christi centesimus septimus) *quorum nos spectatores fuimus cum lacrymis; domi deinde tota nocte vigilavimus, & multis genu-flexionibus, & orationibus a Deo flagitavimus, ut roboraret infirmitatem nostram, & quid de Sancto factum esset ostenderet; tum dormitavimus, & quibusdam visus est S. Ignatius tanquam præsens, & nos amplectens; aliis videbatur pro nobis orans, & qui tanquam grandi defunctus labore cum magna fiducia, & ineffabili gloria Domino præsentaretur. Hæc visio multo gaudio nos recreavit; itaque Deum glorificantes, & Sanctum laudantes diem, & annum ejus Martyrii vobis annotavimus, ut eodem tempore convenientes de generosi hujus*

Chrys. pag. 504. tom. 5. ed. ox. Hier. script. Ign.

An. 107.

Sæculum II, A. C. 107.

hujus Athletæ meritis partem accipiamus, & in ſanctæ ejus memoriæ cultu Domino noſtro JEſu Chriſto laudem & gloriam demus.

§. XIII.

Epiſtola S. Polycarpi.

edit. Coteler. Inter hæc S. Polycarpus, quid poſt ejus diſceſſum S. Ignatio accidiſſet, ignorans, in Epiſtola reſponſoria ad Philippenſes, quid eo factum eſſet, requirebat. Hæc S. Polycarpi Epiſtola toti antiquitati nota, & venerabilis adhuc exſtat, & ſic ſonat: *Polycarpus, & Seniores, qui cum eo ſunt, Eccleſiæ Dei, quæ eſt Philippis. Miſericordia, & pax multiplicetur in vobis, ex parte Dei omnipotentis, & Domini JEſu Chriſti Salvatoris noſtri. Magnam partem percepi illius gaudii, quod vobis in Domino obtigit, dum veræ charitatis exemplar apud vos excepiſtis, &, ſicut decebat, deduxiſtis eos, qui vinculis ſacris onerati erant; ſunt enim tales catenæ vere a Deo Electorum diademata.* Hic de eo loquitur, quod S. Polycarpum, & ſocios ejus ex itinere recepiſſent hoſpitio. *Nec minus mihi gaudio eſt, quod fides veſtra*

n. 4. *ſolida, & a primis temporibus nota usque in præſens duret, & in Domino noſtro fructus ferat.* Ulterius in hac Epiſtola S. Polycarpus in multis Philippenſes

Sæculum II. A. C. 107.

penſes inſtruit, & particulariter jubet, ut uxores amore ſincero viros ſuos diligant, cæteros vero omnes in puritate cordis æquali charitate proſequantur. Liberos ſuos in timore Dei inſtruant. Viduæ, (hoc præcipue de Diaconiſſis eſt intelligendum) in iis, quæ ad fidem ſpectant, ſint modeſtæ, id eſt, ne plus quam oportet, ſapiant. Inceſſanter pro omnibus orent. Calumniam, detractionem, avaritiam, omne malum fugiant, ſcientes, quod ſint Dei altaria, qui omnia, quæ in nobis ſunt, perſpicit, & quem nihil, neque ſecretiſſimæ cordis cogitationes latent. Similiter Diaconi irreprehenſibiles ſint, ſicut Dei, & JEſu Chriſti Miniſtri, non hominum. Non ſint calumniatores, nec verbo duplices, nec avari, ſed in omnibus circumſpecti. Sint compatientes, ſolliciti, in veritate Dei ambulantes. Juvenum prima cura ſit puritatem ſervare, & mala frœnare deſideria. Subditi ſint Senioribus, & Diaconis ſicut Deo, & JEſu Chriſto. Virgines conſcientiæ puritatem ſine macula cuſtodiant. Presbyteri tenero amore, & compatienti omnes complectantur, errantes corrigant, ægrotos viſitent, viduæ, orphani, & pauperis curam gerant. Abſit ab eis ira, præcox, vel iniquum judicium, & avaritia. Malum de altero non facile credant, nec ſint nimis rigi-

n. 5.

di,

Sæculum I. A. C. 107.

di, cum sciant omnes nos esse peccatores.

Tum hortatur, ut illos, qui scandalo sunt, & falsos fratres arceant, qui Nomen Domini fallaciter crepantes, seducunt simplicium animos. Et prosequitur:

1. Joan. 4. 5. *Quiscunque JEsum Christum venisse in carne non confitetur, Anti-Christus est. Quiscunque veritatem crucis non confitetur, ex Dæmone est. Quiscunque verbum Dei in mala sua desideria detorquet, & dicit, nullam resurrectionem, nullum judicium futurum, filius primogenitus Satanæ est. Igitur vanos sermones, & falsas multorum doctrinas abjiciamus, & hanc solam teneamus, quam ab initio docti sumus. Vigilemus, oremus, jejunemus.* Post quædam alia inquit: *Obsecro vos, ut obediatis verbo justitiæ, & in omnibus patientiam habeatis, cujus exempla vestris oculis usurpastis; exempla dico, non solum beati Ignatii, Zosimi, & Rufi, sed etiam aliorum e medio vestri, & ipsius Pauli, & cæterorum Apostolorum; cum certissimum vobis sit, hos magnos viros non in vanum cucurrisse, sed in illum locum pervenisse, qui ipsis a Domino destinatus erat, cujus passionis fuere participes.*

Zosimus, & Rufus primi Ecclesiæ Philippensis fundatores fuisse creduntur; his

his S. Polycarpus adjungit S. Ignatium tanquam jam mortuum, eum martyrio occubuisse conjectans, quamvis id nec-dum certe ipsi in notitiam venisset. S. Polycarpus inferius mentionem adducit de quodam Valente, qui Philippis fuerat Presbyter, & suo se ordine indignum reddiderat. *Admodum*, inquit, *me affligit ejus, & uxoris ejus calamitas, & oro Deum, ut eis veram pœnitentiam largiatur. Ne eos tanquam inimicos reputetis, sed tanquam membra infirma; hos ab errore revocare satagite, ut totum vestrum corpus salvetur. Vos in sacris litteris bene versatos esse confido, nihilque eorum, quæ necessaria sunt, ignorare.* Et paulo post: *Orate pro omnibus Sanctis. Orate etiam pro Regibus, pro Principibus, Potestatibus, pro iis, qui vos persequuntur, & odio habent, & pro inimicis crucis Dominicæ, ut fructus fidei vestræ notus fiat universo mundo.*

Petitis a me, vos, & Ignatius, ut, si quis in Syriam proficiscatur, etiam vestras litteras illuc deferat, quod fiet tempore opportuno, sive ipse eam, sive alius, quem mittam vestro, & nostro nomine. Epistolas Ignatii, quas ad nos dedit, & omnes alias, quas habebamus, sicut postulatis, mitto vobis, quas ad præsentis calcem invenietis. Erunt vobis

Sæculum II. A. C. 111.

Martyr. 18. *Dec.*

n. 11.

n. 12.

n. 13.

Sæculum II. A. C. III.

bis perutiles, nam fide, patientia, & omnibus, quæ proximo ædificationi esse possunt, plenæ sunt. De iis, quæ Ignatio & sociis ejus contigerunt, nos certiores reddite. Hujus Epistolæ lator est Crescentius, quem vobis commendavi, & iterum commendo, vita enim ejus apud nos, sicut & apud vos acta, nulla reprehensione digna est. Vobis etiam commendo sororem ejus, quando veniet ad vos. Dominus vos cum omnibus vestris in sua gratia conservet. Amen.

Hier. Scrip. Hæc S. Polycarpi Epistola adhuc trecentis, postquam scripta fuit, annis in Asia Ecclesiis prælegebatur.

§. XIV.

Successio Episcoporum.

Euf. Chron. An. 107. S. Ignatio in Sede Antiochena succedens Hero, ejusdem Ecclesiæ Diaconus, rexit eam viginti annis. Cerdo Epiſcopus Alexandriæ eodem anno Christi centesimo septimo obiit, postquam sedisset annis undecim. Successit ei Primus, qui sedit annis decem. Evaristus Papa anno sequenti centesimo octavo obiisse creditur, & certum est Alexandrum ei successisse, & Alexandro Sixtum, & ipsi Telesphorum, Martyrii palma decoratum, cujus Regiminis initium nonnulli ponunt anno centesimo undecimo; dura-

Id. 4. hist. c. 1. *An.* 107.

Euf. Chron. An. 108.

Telesphorus Papa.

duratio enim Regiminis singulorum est incerta. Jerosolymæ Justus Episcopus obiit anno centesimo undecimo, cui successit Zachæus, deinde Tobias, Benjamin, Joannes, Mathias, & alter Benjamin alio nomine Philippus dictus. Hi sex Episcopi non ultra tredecim annos sederunt propter continuas persecutiones, & quantum quisque eorum sederit, sicut etiam de Romanis ignoratur. Ad eadem Trajani tempora referunt S. Onesimi Episcopi Ephesini, & Discipuli S. Pauli mortem; eum in vinculis Romam abductum, & lapidatum fuisse ajunt, & ibidem primum quidem sepultum, at deinde ejus Reliquias Ephesum translatas.

Sæculum II. A.C. 111.

Euf. Chron. An. 112. *Id. 4. hist. c. 5.*

An. 111.

Ado festiv. Ap. Martyr. 16. *Febr.*

§. XV.

Papias.

Idem circiter tempus Papiæ Episcopi Hierapolitani in Phrygia fama percrebuit, viri in omni Disciplina doctissimi, & in Scripturis versatissimi. Discipulus erat Joannis Presbyteri Ephesini, & S. Polycarpo amicitia junctus; ipsos Apostolos non viderat, sed eorum Discipulos, & nonnullos ex Discipulis Domini, eorumque traditiones sollicite retinuerat. *Non mihi placebant*, ait de seipso, *illi, qui multa loquuntur, sed qui veritatem docent, nec illi, qui peregrina præcepta, sed præcepta nobis a Domino data referebant,*

Euf. III. hist. c. ult.

Sæculum II. A. C. III.

& quæ ab ipsa veritate procedunt. Si quis eorum ad me venisset, qui audiverit antiquos, interrogabam de sermonibus eorum: Quid dicebat Andreas, aut Petrus, aut Philippus, aut Thomas, aut Jacobus, aut Joannes, aut Matthæus, aut quis alius ex Domini Discipulis? vel quid dixerit Aristion, vel Presbyter Joannes antiquus Domini Discipulus. Nam ea, quæ in libris inveniebam, non ita mihi proficere videbantur, quam quæ viva voce discebam. Hæc sunt verba Papiæ, ubi attendendum, alium esse Presbyterum Joannem, de quo loquitur, & alium Apostolum.

Papias quinque libros de expositione sermonum Domini scripserat, quibusdam immixtis parabolis peregrinis, & fabulis; inter alia docebat, post resurrectionem mortuorum JEsum Christum corporaliter in terra mille annis regnaturum; quod nempe quasdam traditiones male intellectas in sensu litterali accepisset, quæ in sensu figurato dictæ erant. Nam vis judicandi huic viro erat exigua, prout ejus scripta testantur, nihilominus ejus antiquitas, & singularis in traditiones amor ei tantam auctoritatem conciliarunt, ut maximi nominis viri in errore millenariorum eum fuerint secuti, nec eum idcirco Ecclesia Sanctis accensere ommiserit.

Martyr. 12. Febr. Hier. ep. 28. ad Lucin.

§. XVI.

Sæculum II.
A. C. 115.

§. XVI.

Bellum Judæorum.

Anno Trajani decimo octavo, JEsu Christi centesimo decimo quinto Judæi, quasi Rebellionis œstro perciti, Alexandriæ, in tota Ægypto, & Cyrenes Regione Ductore quodam Andrea, aut Andria seditione commota Romanorum, Græcorumve funera commiscuere; nec morte sedabatur rabies, sed occisorum carnes manducabant, exenteratorum intestinis lumbos suos cingebant, sanguine seipsos illinebant, & detractis inimicorum pellibus propria tegebant corpora. Multi a capite medii serra dissecti, alii ante bestias projecti, aliique digladiando in mutuas cædes compulsi. Hac Judæorum rabie ultra ducenta viginti hominum millia sublata sunt. In Cypro insula sub cujusdam Artemionis auspiciis circiter ducenta quadraginta millia neci data. Hinc lex ab Insulanis lata; quiscunque Judæus in Cyprum quomodocunque perveniret, capite lueret; factumque postmodum, ut qui bona fide, legem hanc ignorantes, aut, tempestate adacti, illuc fuissent delati, nihilominus morte efficerentur.

An. 115.

Epit. Dion. Traj. p. 254. Euf. IV. c. 2.

Anno sequenti Trajani decimo nono, JEsu Christi centesimo decimo sexto, Lupo,

Euf. ibid. An. 116.

Sæculum II. A. C. 116.

po, Ægypti Præfecto, commiſſum eſt prœlium, quo Judæi ſuperiores evaſerunt; hinc Gentiles, ut ſe eorum furori eriperent, quanta poterant celeritate Alexandriam, tutum nempe receptaculum, contendunt, & ne Judæorum, in urbe degentium, fraudibus paterent, ad unum omnes jugulant. Judæi Cyrenaici, auxilio fratrum ſuorum Alexandrinorum privati, Ductore quodam Lucua, quem Regem ſuum vocitabant, diripere, & vaſtare Ægyptum cœpere; his Imperator Marcium Turbonem cum exercitu, & navibus objecit; diuturnum fuit bellum, frequentes conflictus, quibus Turbo infinitam pene Judæorum multitudinem cæcidit, qui non ſolum ex Cyrenaica, ſed & Ægypto in auxilium Lucuæ venerant. Timens vero Imperator, ne Judæi Meſopotamiæ in illius Regionis habitatores irruerent, Lucio Quieto mandata dedit, ut hac hominum fæce Provinciam purgaret; is, ſtrenue imperata faciens, ingentem Judæorum numerum una acie fudit, & victoriæ præmium ab Imperatore Judææ Præfecturam tulit. Ita Judæorum pervicacia graviora in dies mala eorum cervicibus conciebat, cum interim JEſu Chriſti Eccleſia magis magisque dilatata effloreſceret.

§. XVII.

Sæculum II.
A. C. 117.

§. XVII.

Trajani Mors. Hadrianus.

Imperator Trajanus obiit anno JEsu Christi centesimo decimo septimo, postquam imperasset annis novemdecim, sex mensibus, & diebus quindecim. Successorem habuit Ælium Adrianum filium suum adoptivum, Adriani Afri Patruelis sui naturalem. Imperator Adrianus fuit vanæ curiositatis amator eximius, omnium Gentilium Superstitionibus addictissimus. Imperii initia Romæ multorum sanguine fœdavit; quos inter etiam Christianos fuisse verosimile est.

Epit. Dion. An. 117.

Hadrianus Imperator.

Epit. Dion.

§. XVIII.

Successio Episcoporum.

Primus Alexandriæ Episcopus fatis cessit anno JEsu Christi centesimo decimo octavo, cujus Successor fuit Justus, sedítque annis undecim. Nonnulli S. Telesphori Papæ Martyrium anno Christi centesimo vigesimo secundo ponunt; ipsi successerunt Hyginus, Pius, & Anicetus. Jerosolymæ post Philippum Seneca Episcopus fuit anno Christi centesimo vigesimo quinto, hujus Successores fuere Justus, Levi, Ephrem, Jose seu Joseph, & Judas, numero decimus quintus, ex circumcisis ultimus. Horum septem Epis-

Euf. Chron. An. 118. *Euf. IV. hist. c.* 5. *Id. Chro. An.* 125.

Hyginus.
Pius.
Anicetus Papæ.

An. 125.

Sæculum II. A. C. 117.

coporum Regiminis ſpatium non niſi annos duodecim conficit; quot annis vero ſinguli ſederint, non liquet.

§. XIX.

Hæretici. Saturninus. Baſilides.

Euſ. IV. hiſt. c. 7. *Iren.* 1. 6. 22.

Inter Hæreticos multos ſub Hadriani imperio Saturninus, Baſilides, & Carpocras eminebant, Menandri Diſcipuli, qui Simonis Magi Diſcipulus fuerat. Saturninus origine Antiochenus in Syria docebat. Cum Menandro Magiſtro ſuo docebat; unicum eſſe Patrem omnibus ignotum, qui Angelos, Archangelos, virtutes, & poteſtates creaſſet, ſeptem vero Angelos mundum condidiſſe, & ipſum hominem. Judæorum Deum iſtorum Angelorum Patri rebellium unum eſſe. Chriſtum inviſibilem, & incorporeum ſub figura humana apparuiſſe, ut Judæorum Deum exterminaret, homines impios perderet, juſtos ſalvaret; principio enim tam bonos, quam malos ab Angelis creatos dicebat. Matrimonium, & generationem tanquam Satanæ inventum damnabat; ipſum Satanam Angelum eſſe mundi conditoribus adverſarium ajebat. Multi Sectatorum ejus nihil, quod animatum fuiſſet, comedebant, qua auſteritatis ſpecie ſimplicibus fucum faciebant. Prophetias partim ab Angelis mundi auctoribus,

ribus, partim a Satana, rursusque a Judæorum Deo profectas asserebant. Sæculum II. A. C. 117.

Basilides Alexandriæ ortus erat, & Hæresis venena in Ægypto spargebat. Se Glauciæ Discipulum S. Petri interpretis esse jactabat. Fabulas fabulis accumulavit, Mysteria illis longe altiora, quam Saturninus attulisset, promittens. Errorum ejus summa hæc erat; Patrem, qui nemini debet originem, produxisse *Nous*, id est, intelligentiam, hanc produxisse *Logos*, id est, verbum, & ab hoc productam fuisse *Phronesin*, id est, prudentiam, ab hac rursus productas esse *Sophiam*, & *Dynamim*, nempe sapientiam, & potentiam, ab his productas fuisse Virtutes, Principes, & Angelos, qui denique primum cælum condidissent; a primis his Angelis alios fuisse creatos, qui secundum cælum condidissent, a secundis provenisse, qui tertium, & ab his, qui quartum cælum produxissent, & sic successive a posterioribus semper Angelis creatorum cælorum numerum ad trecentos sexaginta quinque cælos pervenisse, cui, secundum ejus quidem sententiam, dierum unius anni numerus correspondaret. Ultimi ordinis Angelorum caput esse Judæorum Deum, qui, cum sibi omnes nationes subjicere attentasset, omnium aliorum Principum concitasset invidiam; tum vero Patrem, seu Deorum supremum

Clem. VII. Strom.

Sæculum II. A. C. 117.

misisse *Nous* seu primogenitum suum, ut genus humanum a potestate Angelorum mundi conditorum liberaret. Hunc *Nous* esse Christum, qui sub figura humana in terra apparuisset, & vocatus JEsus esset. Cumque esset quædam virtus corporis expers, talem, quæcunque placuisset, assumpsisse figuram; ita fuisse factum, ut, quando Judæi Christum voluerint crucifigere, ipse formam Simonis Cyrenæi, qui crucem portaverat, assumpserit, suam vero Simoni communicaverit; hinc Simonem pro JEsu a Judæis fuisse cruci affixum, JEsum autem facti spectatorem, & irrisorem adstitisse. Post hæc rursum invisibilem, ad Patrem, qui eum miserat, ascendisse.

Epiph. hær. 24. n. 3.

Ex harum fabularum congerie concludebant, nec confiteri, crucifixum esse Deum, nec adorare, licitum esse, illosque, qui facerent, adhuc illis Potestatibus, qui corpus creassent, subditos esse. His erroribus inhærentes, martyrium declinabant, Idolothytis vescebantur, & fidem suam pro opportunitate rerum dissimulabant ex principio ipsis admodum familiari: alios nosce, te autem nemo. Basilides etiam, sicut Pythagoras, quinquenne silentium Discipulis suis imperabat; Doctrinæ suæ arcana sollicite occultari jubebat, quippe cæteros homines sibi comparatos, non pluris quam porcos, &

Epiph. hær. 24. n. 4.

canes

canes æstimabat, ante quos, suadente Evangelio, res sacræ, seu Margaritæ non essent projiciendæ. Docebat etiam, animam peccata, quæ antea commisisset, in hac vita luere; docebat Metempsychosin, carnis resurrectionem negans, quod æterna felicitas corporibus non esset promissa. Alio errore tradebat, in quolibet homine circa animam rationalem plures spiritus esse, qui varias passiones moverent. Hisque motibus non esse resistendum, sed potius obediendum, id est, omnis generis spurcitias esse admittendas. Magnam librorum molem a Basilide compositorum esse oportet, cum S. Clemens Alexandrinus explicationum ejus librum vigesimum tertium citet.

Sæculum II. A. C. 125.

Clem. 2. Strom.

4. Strom. p. 506.

Corpus humanum in trecenta sexaginta quinque membra dividebat, ut singula singulis virtutum cælestium attribuere posset; ejus cura quædam imagines conficiebantur, his nominibus, maxime vero nomine *Abraxas*, inscriptæ, quo nomine supremum Numen indicare volebat, quia litteræ græcæ, quibus constat, numerum ter centesimum sexagesimum quintum explent. Hodiedum marmora, quibus hæ figuræ inscriptæ, invenire est, cum notis peregrinis, quæ vel operationibus magicis, vel curationibus superstitiosis aptæ credebantur: Basilides obiit Alexandriæ circa annum JEsu Christi

Sæculum II. A. C. 125.

centesimum trigesimum. Ejus errores, ipso adhuc vivente, a Castore Agrippa, qui confictis mysteriis lucem affudit, confutati sunt.

§. XX.

Carpocras. Gnostici.

Clem. 3. Strom. init. Epiph. hær. 27. n. 5.

Carpocras Alexandrinus erat, sicut Basilides, & ejusdem ferme farinæ Hæreticus. JEsum Christum dicebat esse Filium Joseph, aliorum hominum more natum, & sola virtutis prærogativa distinctum. Angelos mundum creasse; atque iis, qui pervenire usque ad Deum vellent, omnium Angelorum Dominum, omnia mundi & concupiscentiæ opera esse adimplenda; in omnibus enim cupiditati morem esse gerendum, hanc esse illam par-

Matth. 5. 25.

tem adversam, cui Evangelium nos concedere jubet, quamdiu cum illa in via sumus. Animam, quæ concupiscentiæ resistit, hujus culpæ pœnas dare, dum post mortem in alia, aliaque corpora migrare cogeretur, usque dum omnia consummasset; consultissimum esse, si in hoc, quo sumus corpore, istud naturæ debitum solveretur, omnia opera carnis perficiendo. Nullam ajebant actionem ex se, sed tantum opinione hominum esse malam, vel bonam, ex quo sequebatur, omne genus impudicitiæ non solum esse permissum, sed etiam præceptum; quod autem verbis docebant, id operi-

Sæculum II. A. C. 125.

operibus complebant, in omnem luxuriam effusi. Sectatores Carpocratis, sicut etiam Basilidis magnificum Gnosticorum Nomen sibi assumpserunt, quod idem est, ac Sapientes, & illuminati; hoc nomine Catholici Christianorum perfectissimos honorabant.

Epiph. hær. 26. *n.* 5. 4.

Gnostici a jejunio abhorrebant, dicentes, ab auctore hujus mundi esse inventum; vinum potabant, carnibus, & cibis ad delicias conditis vescebantur, balneo & suffitu diu noctuque corpora emolliebant. Sæpius nudi in signum libertatis preces peragebant. Apud eos vigebat uxorum communio; si quemquam suæ sectæ hospitem suscepissent, primum in domo etiam paupere, lautam nihilominus parabant mensam, qua sublata, ipse maritus hospiti uxoris copiam faciebat; & infame commercium fraternæ charitatis pallio involvebatur. Suos conventus, sicut Catholici solebant, etiam *Agapes* nominabant, atque inebriati, extinctis luminibus in promiscuam libidinem effundi dicebantur. Attamen generationem impediebant, quantum poterant, & accusabantur, quod mulierum abortus procurarent, multasque alias nefandas abominationes committerent, quas, si cui libuerit, amplius in S. Epiphanio legere est, is enim hujus sectæ reliquias in Ægypto vidit. Quæ hic San-

Clem. Alex. Strom. 3. *p.* 430.

Sæculum II. A. C. 125.

Sanctus, aliique ipso antiquiores auctores de Gnosticis referunt, omnem fidem superarent, nisi aliunde esset compertum, quousque apud Gentiles præsertim in Ægypto, morum corruptio excreverit. Magna Philosophorum pars solis voluptatibus inquirendis vacabant; ipse Plato inter omnes sapientissimus habitus, uxorum communionem, certis tamen regulis restrictam, tanquam societatis civilis perfectioni conducentem proposuerat. Omnes autem hæreses istæ ex Philosophiæ, & Religionis detortis principiis pullulabant.

L. 5. de repub.

Clem. Alex. 3. Strom. p. 248.

Carpocras filium reliquit nomine Epiphanium, humanioribus litteris, & Philosophia Platonica instructum; his principiis innixus juvenis, librum scripsit de justitia, in quo Dei justitiam definiebat esse, communionem cum æqualitate. In hoc libro evincere volebat, rerum omnium communionem sine exceptione esse legis naturalis, & divinæ; Bonorum autem proprietatem, & matrimoniorum distinctionem sola lege humana introductam. Hic aperte legem veterem, & particulatim ultima duo præcepta Decalogi de malis desideriis impugnat; sed nec minus Evangelium, quod tamen ipse, utpote Christiani Nomen gerens, profitebatur, cum JEsus Christus legem Moysis approbet, & adjungat: *Quiscunque intui-*

Matth. 5. 28.

intuitus fuerit mulierem, ut concupiscat eam, commisit adulterium in corde suo. Epiphanius iste adolescens decimum octavum ætatis annum vix prætergressus, mortuus est; post ejus obitum Samii in Insula Cephalonia, unde mater ejus ortum traxerat, divinos honores eidem exhibuerunt. In hujus insulæ quodam loco altaria, & templa splendida ipsius honori erecta, in novilunio festum ejus sacrificiis, libationibus, hymnis, & conviviis celebrabatur. Gnosticorum ritus Idololatria, & Magia erant infecti. JEsu Christi imagines apud se servabant, ex illa, si ipsis fidem habeamus, desumptas, quam Pilatus efformari jusserat. At præter Christi imaginem, etiam effigies Pythagoræ, Platonis, & Aristotelis venerabantur, & eundem, quem Gentiles Idolis suis cultum, exhibebant.

Sæculum II. A. C. 125.

p. 428.

Iren. 5. *c.* 25.

§. XXI.

Calumniæ in Christianos.

Cum omnes illius temporis hæretici Christianorum Nomen præferrent, exoticæ eorum opiniones etiam bonis Christianis contemptum, & nefanda, quæ perpetrabant, mortale odium conscisce-bant; nec enim Gentilibus vacabat bonos, & genuinos Christianos ab hæreticis, & falsis discernere. Hinc calumniæ Judæis potissimum auctoribus fabricatæ, quæ

Euf. lib. 4. *c.* 7. *Orig. cont. Celsum lib.* 6. *p.* 293. *Min. Felix Oct.*

Sæculum II. A. C. 125.

quæ tunc quidem apud omnes fidem invenerunt. De Christianis scilicet ferebant; si quis in societatis eorum communionem reciperetur, & ad mysteria initiaretur, illi panem præsentari ejus magnitudinis, ut sub crusta infans lateret; cumque initiandus panem hunc cultro discindere vellet, vulnerari infantem, statimque omnes præsentes infantis corpusculum discerpere, comedere, & sanguinem lambere; Neo-Christianum vero hujus sceleris complicem, eo ipso obligari, ut secretum teneat. Aliud etiam referebant; nempe in conventu Christianorum, quando certis diebus ad epulas congregabantur, eos ibi devorare suas proles, uxores, matres, sorores, & ideo omnis sexus, & ætatis homines convenire; post mensas, cum vino, & epulis incaluissent, quemdam eorum cani, fune ad candelabrum alligato, bolum projicere, ea distantia, ut canis escæ inhians, eam attingere nequeat aliter, quam everso candelabro, & luminis extinctione; tum vero faventibus tenebris quemlibet nullo pudore prohibitum, prout sors, & fortuna tulisset, belluinæ libidini satisfacere. Hæc de Christianorum cœtibus passim narrabantur, & inter plebem infidelium nemo erat, qui hæc in dubium revocaret.

Præ-

Sæculum II. A. C. 125.

Præter hos rumores populares etiam litteratorum nonnulli Religionem Christianam rationibus, & scriptis impugnarunt. Celsus Philosophus de grege Epicuri tempore Imperatoris Hadriani librum publicavit cum titulo: Discursus de veritate, quo Judæos simul, & Christianos oppugnabat. Primum Judæos aggrediebatur tanquam Christianorum radicem, multasque in Moysen fabulas afferebat; tunc in Dialogo Judæum, contra JEsum Christum, & Evangelium disputantem, inducebat, & vehementer urgebat Judæos, qui Christiani facti essent, quod relictis legibus, & moribus patriis decepti, nomen antiquum, & vitæ rationem mutassent; tandem Celsus resumpta Pagani Persona Judæorum, & Christianorum disputationibus illudebat, easque nihil ad rem facere, se vero utrosque convincentibus rationibus refutare existimabat. Falso se omnes Christianorum libros legisse, eorumque religionem sibi perspectam crepabat. Opus ejus in mera Satyra, & summo adversariorum contemptu consistebat. Novam occasionem calumniandi Ecclesiam sumebat a varietate Hæreticorum; ajebat enim; Christianos, postquam Religionem extendissent, in multas factiones jam dispesci, unoquoque suam, quam amplexus esset, propugnante, cumque ita inter se dimicarent,

Orig. cont. Cels. lib. 1. 2. 3. 6.

Ap. Orig. l. 3. *p.* 118.

Sæculum II. A. C. 125.

carent, nihil amplius eis esse commune, quam inane nomen, quoad omnia alia divisis.

§. XXII.

Apologiæ Quadrati & Aristidis.

Cum igitur Celsus Ethnicus scripto Christianam Religionem fuisset aggressus, etiam Christiani pro sua defensione calamum stringere cœperunt, & talia scripta Græco nomine Apologiæ dicebantur. Primus omnium pro Christiana fide in aciem progressus est Quadratus. Imperator Hadrianus, per Imperii Provincias proficiscens, venit secunda vice Athenas, Imperii sui anno octavo, JEsu Christi vigesimo quarto supra centesimum, ibique hiemem transigens, mysteriis Eleusiniis initiari voluit; tunc temporis Athenienſium Episcopus erat dictus Quadratus, Successor Publii, qui S. Dionysio Areopagitæ successerat, martyrio coronati. Erat Quadratus Apostolorum Discipulus, & Ecclesiam Athenienſium, persecutionis terrore dispersam, fide magna, & zelo congregaverat. Ipse ergo Imperatori Hadriano pro Religione Christiana Apologiam tradidit, ex qua optimi ejus ingenii, & Apostolicæ æquitatis signa emicabant. Ut ostenderet, quanta differentia inter JEsu Christi miracula, & aliorum impostorum præsti-

An. 124.

Euſ. Chron. an. 124. *Dion. Cor. ap. Euſ. IV. hiſt. c.* 23. *Hier. ſcript. id. ep.* 84. *ad Magn.*

Euſ. Chron. an. 127. *Id. IV. hiſt. c.* 3.

Sæculum II. A. C. 125.

præstigias intercedat, ajebat: *Opera autem nostri Salvatoris semper erant permanentia, quia vera erant; a morbis sanati, & a morte resuscitati non solum sanati, & resuscitati videbantur, sed etiam tales permanserunt, nec solum tanto, quanto tempore Salvator in terris vixit, sed etiam multo, postquam assumptus fuit, tempore, ita ut quidam eorum ad nostra usque tempora perduraverint.* Tantulum nobis fragmentum de Apologia Quadrati, & non amplius supereſt; de illa autem quam non multo post Aristides etiam Athenienſis, & Philoſophus compoſuit, omnino nihil. *Euſ. & Hier. ibid.*

§. XXIII.

Hadriani Epiſtola Chriſtianis favens.

Serenius Granianus, cum esset Proconsul Asiæ, in animum Imperatoris induxerat, grandi injustitia non vacare, ultimæ plebis clamoribus tot innocentium Christianorum sanguinem dari, & homines, quibus nihil nisi invidiosæ Sectæ nomen noceret, ad mortem condemnare. Perstrinxit veritas Imperatoris mentem, scripsitque multis Provinciarum Rectoribus, & inter alios Minutio Fundano, tunc Asiæ Proconsuli, in hunc modum: *Illustris Serenii Graniani, cui succesſisti, epiſtolam accepi. Judico rem examine di-* *Euſ. IV. hiſt. 8. 9.* *id. IV. hiſt. 8. 9.*

Sæculum II. A. C. 125.

gnam esse, ne quid turbetur, & calumniarum occasio tollatur. Si ergo Provinciales suas accusationes, quas contra Christianos afferunt, etiam probare parati sint, & respondere coram tribunali tuo, hac sola via utantur; accusationes autem vagæ, & soli clamores non audiantur; rationi enim convenit, ut si quis alium accusare vult, tu ipse cognitionem causæ suscipias. Si quis Christianos accuset, eosque contra leges egisse probet, tunc secundum meritum culpæ judica; si quem autem criminari deprehenderis, severe punias, & sollicite cura, ut justitiæ satisfiat. Hæc fuit Hadriani Epistola, qua tamen persecutionum ignis penitus extinctus non est, cum alii prætextus Christianorum hostibus superessent.

§. XXIV.

Judæorum Seditio. Barcoqueba.

Hadriano Imperatore in Provinciis Imperii remotis morante, Judæi arrepta occasione Rebellionis signa denuo extu-

Dio in Had. p. 162.

lere. Miserat Hadrianus Jerosolymam novos colonos, qui urbem ex cineribus excitarent, dixeratque Æliam Capitolinam; templum quoque Jovis, in loco, ubi Templum Dei sanctum steterat, erectum. Judæi atrociter dolebant, quod sanctam Civitatem Ethnicis, & Idololatris occupatam cernere cogerentur, & prolis suæ circum-

circumcisio lege Cæsarea vetita esset; aliquanto tempore timore Hadriani, in vicinia agentis, dissimularunt; dum interim omnia gerendo bello necessaria tacite pararent. Inter alia molimina plures specus, & subterranea itinera effoderunt, ut possent latere, inter se communicare, secreto convenire, &, si premerentur, effugere; habebant enim hæ latebræ plura ostia inæqualiter distantia, quibus aer, & lux inciderent. Hi quidem conatus primo Romanis nulla attentione digni visi sunt, at paulo post tota Provincia commoveri, Judæi in omnibus aliis Regionibus dispersi, simul conspirare, magnas Romanis calamitates secreto, & publice inferre, ita ut Judæorum machinationibus universus orbis concuti videretur. Rufus Judææ Præses, copiis ab Imperatore submissis, hanc ipsam Judæorum desperationem prætexens, eos crudelissime habuit; multitudo pene innumera ferro extincta, nec enim mulieribus, aut infantibus parcebatur; prædia eorum Romanis colonis addicebantur. In hac seditione Judæorum caput erat quidam Barcoqueba, latro, & hominum flagitiosissimus; at nominis, quod sibi assumpserat, claritas multos decepit, nam Syriace idem significat, quod filius stellæ, ajebatque, se esse illam stellam Jacob a Balaam prænuntiatam, quæ Ju-

Sæculum II. A. C. 125.

Spart. in Adri. p. 7.

Euf. 4. c. 6.

Num. 24. 17.

Sæculum II. A. C. 125.

dæos liberatura, & Gentiles sub jugum missura erat, scilicet Messiam. Barcoqueba Christianos in armorum societatem cum Judæis adversus Romanos trahere omni conatu volebat, quod cum facere respuerent, eosdem crudelissimis tormentis enecabat.

Just. Apol. 1. p. 72.

Spart. in Adr. p. 7.

An. 129.

Euf. Chron. an. 129.

Hadrianus cum aliquo tempore Antiochiæ fuisset, a civibus offensus, ex Syria in Arabiam profectus est anno Imperii sui duodecimo, JEsu Christi centesimo decimo nono. Eodem anno Hero Episcopus Antiochenus, S. Ignatii Successor martyrii lauream est adeptus, postquam hanc Ecclesiam rexisset annis viginti. Successit ei Cornelius inter Antiochenos Episcopos numero quartus, & sedem hanc Apostolicam tredecim annis tenuit.

§. XXV.

Jerosolymæ Ruina ultima.

Cum Tinnii Rufi vires debellandis Judæis non sufficerent, Imperator nova copiarum subsidia misit, Ductore Julio Severo, ex magna Britannia accersito. Is perpensa Judæorum multitudine, & desperatione, rei summam pugnæ unius fortunæ committere non est ausus; at, prensata occasione, Ducibus prævalens, & militibus, divisas cohortes aggressus, nunc commeatus intercipiebat, nunc privabat

Epit. Dion. Hadr. pag. 163.

Sæculum II. A. C. 125.

vabat neceſſaria ſuorum communicatione; ſic tandem attritos, longiori quidem mora, ſed minori periculo, ſi paucos admodum excipias, omnes internecione delevit. Quinquaginta munimenta validiora, & nongenta octoaginta quinque oppida, non computatis humilioribus, devaſtata; quinquies centena octoginta millia hominum prœliis, & excurſionibus conciſa. Eorum vero, qui igne, fame, lue perierunt, numerus iniri non potuit. Venditorum in ſervitutem ingens copia, & illi, qui vendi non poterant, in Ægyptum translati. Ita Judæa in deſertum redacta. *Hieron. in Zach. 11. 5. l. 3.*

Ab hoc tempore lege cautum eſt, ne quis Judæus Jeroſolymam intraret, immo nec eminus aſpiceret. Urbs abhinc ſolis Gentilibus habitata, alio nomine Ælia dicebatur; ſupra portam, quæ Bethlehem reſpiciebat, inſculptus marmori porcus poſitus eſt, animal Judæis inter omnia immundiſſimum, Romanis autem dignum, quod ſignis militaribus inſertum præferrent. Cum vero non minus eſſet odium in Chriſtianos, quam in Judæos, Hadrianus Jovis ſimulacrum in loco Reſurrectionis JEſu Chriſti, Venerisque ſtatuam marmore exciſam in monte Calvariæ ſupra rupem, ubi crux ſteterat, erigi juſſit. Bethlehem lucum *Tamuz* ſeu Adonidis honoribus poſuit, eique caver- *ibid. IV. hiſt. 6.* *Paul. ad Severum ep. XI.* *Hier. ep. ad Paul. 13. c. 2.*

Sæculum II. A. C. 125.

cavernam, ubi JEsus Christus natus erat, sacram dixit; quibus omnibus nihil obstantibus locus ille notus, & celebris permansit; caverna, & præsepe monstrabatur, & sciebant Gentiles etiam, hunc esse specum, ubi natus esset JEsus, quem Christiani adorabant. Hujus belli exitus, & secunda Jerosolymæ ruina incidit in annum Hadriani decimum octavum, JEsu Christi centesimum trigesimum quartum.

Orig. in Cels. 1. *p.* 39.

Euf. Chron. ann. 135.

An. 134.

Epiph. de mens. n. 14. 15.

Ajunt, quemdam, nomine Aquila, Sinope in Ponto ortum, ab Hadriano missum, qui Jerosolymam ex cineribus educeret. Is quidem erat Religione Ethnicus, sed visis Christianorum miraculis, qui Pella Jerosolymam redierant, conversus est, & baptizatus; post hæc nolens relinquere astrologiæ studium, cui erat addictissimus, Ecclesia ejectus est; tumque, indignatione commotus, circumcisionem in se admisit, & Judæum professus est. Exinde linguam hebraicam didicit, multumque profecit, ita ut novam Scripturæ versionem ediderit, errores septuaginta interpretum corrigere superbe affectans, textibus, qui de JEsu Christo loquuntur, adulteratis. Hucusque Ecclesia Jerosolymitana potissimum ex Judæis conversis constiterat, legalia cum libertate Evangelica servantibus; jam vero cum Judæis ibi manere non liceret, & positis custodi-

Serv. hist. 2.

bus

bus ab ipso aditu arcerentur, in ea Ecclesia soli Christiani origine Gentiles numerabantur; & ita antiquæ Legis, & servitutis reliquiæ abolitæ sunt. A Passione Domini usque ad hanc secundam excisionem sub Hadriano, id est, ab S. Jacobo Apostolo usque ad Judam Episcopi Jerosolymitani ex circumcisione quindecim fuerant, quamvis, quanto quisque tempore sederit, nesciatur. Marcus ex Gentilibus Episcopis fuit primus, numero decimus sextus. Sæculum II. A. C. 125. *Euſ. IV. c. 5.*

§. XXVI.

Hæreſis Valentini.

Circa id tempus Hæresiarcha Valentinus, de cujus origine nihil certi est, apparuit. Primo fidem Catholicam in Ægypto, Patria sua, ut putatur, & etiam Romæ prædicavit. Cum esset in insula Cypro perversus est. Erat homini ingenium, & eloquentia supra vulgus, quæ dona spem Episcopatus accenderant, cum vero quidam Martyr ei fuisset prælatus, invidia motus, Doctrinam Catholicam impugnare cœpit. (*) Libris Græcorum, & præsertim Philosophiæ Platonicæ studuerat; itaque Doctrinam *Euſeb. in Chron. an.* 141. *Tertull. cont. Valent. c. 4. præſcr. cap.* 30.

(*) Tunc Martyres dicebantur, non solum qui ipsam mortem, sed etiam quamcunque ærumnam pro nomine Christi tulissent.

Sæculum II. A. C. 125.

Idearum, & numerorum myſteria, cum Theogonia Heſiodi, & S. Joannis Evangelio, quod ut ſolum authenticum recipiebat, commiſcens, Religionis Phantasma ædificavit, hæreſi Baſilidis, & Gnoſticorum haud abſimile; nam ejus Diſcipuli etiam Gnoſticos ſe dicebant, quia omnes, qui plus cœteris ſapere ſibi videbantur, hoc nomine gloriabantur.

Illius temporis Hæretici eo laborabant morbo, quod ipſis Eccleſiæ Catholicæ, & Doctrinæ ejus ſimplicitas displiceret, & Majeſtati divinæ, quam Ens eſſe ſupremum agnoſcebant, aliquid ſplendoris ſuperaddere vellent. Ideas corporum, & Spirituum confundebant; aliqua ſacræ Scripturæ accipiebant in ſenſu reali, & rudi, quæ metaphorice accipienda erant, omnibus nominibus Perſonas affingebant, quibus alterutrum ſexum tribuebant, & quaſi corpora humana, quamvis easdem plus Angelis ſpirituales crederent. Denique ſomnia ſua, detortis S. Scripturæ explicationibus, confirmare nitebantur.

§. XXVII.

Theologia Valentinianorum, & Eones.

Valentinus, omnibus præcedentibus ſtolidior, longam Genealogiam multorum *Eonum*, aut *Ajonum*, prout ipſe nominabat, pertexuit, nomen detorquens, quod

Sæculum II. A. C. 125.

quod sæpe in Scriptura occurrit, & nihil aliud significat, quam Sæcula; ex his ipse sibi Personas finxit. *Eonum* omnium primus, & perfectissimus in invisibili, & inexplicabili altitudine habitabat, quem dicebat *Proon*, præexistentem, multisque aliis nominibus, sæpissime vero *Bythos*, id est, altitudo. Multis sæculis, omnibus ignotus extiterat in silentio, & quiete, habens secum solam cogitationem, quam Valentinus dicebat *Ennoiam*, & aliis nominibus *Charis*, gratiam, aut *Sige*, silentium, & summo Enti quasi conjugem sociaverat. Tandem Bythos, id est, æterno Patri producere placuerat rerum omnium principium; & cum Consorte *Sige* genuerat *Nous* filium unicum, similem, & æqualem sibi, solumque, qui eum comprehenderet, capacem. Hic filius erat Parens, & rerum omnium Principium. *Nous* Græce significat intelligentiam, est autem vocabulum generis masculini, ideoque his hæreticis filium significabat, cui, quamvis esset unicus, sororem *Alethejam*, seu veritatem dabant. Hoc geminum par *Bythos*, & *Syge*, *Nous*, & *Aletheja* formabant quadratum totius ædificii fundamentum. *Nous* genuerat alios duos *Eones Logos*, & *Zoe*, id est, verbum, & vitam, & hi duo iterum produxerant *Anthropos*, & Ecclesiam. Hi octo *Eones* inter cœteros

Iren. 1. *c.* 1. *Tertull. adv. Val. c.* 7. 8. 9.

Sæculum II. A. C. 125.

omnes erant præcipui. Valentinus eos expreſſos putabat ab initio Evangelii S. Joannis; Nomen Dei ipſi erat *Bythos*, Gratia *Sige*, Principium *Nous;* veritas, verbum, vita, & homo propriis vocibus occurrunt, ſola vox Eccleſia, neſcio quo fato, ibi deſideratur. Sed Genealogiam proſequamur.

Verbum, & vita, ut Gloriam Patris augerent, decem alios *Eones* produxerant, id eſt, quinque paria; nam bini ſemper erant; Homo, & Eccleſia duodecim alios *Eones* ediderant, inter quos erant Paracletus, fides, ſpes, charitas, & ultimi duo *Teletos*, Perfectus, & *Sophia*, ſapientia. Ecce! triginta *Eones*, qui omnes ſimul conſtituebant *Pleroma*, ſeu inviſibilem, & ſpiritualem plenitudinem. Horum triginta *Eonum* figuram fuiſſe, ajebat Valentinus, illos vitæ occultæ Salvatoris noſtri triginta annos. Iidem Eones ab ipſis inveniebantur in parabola

Matth. 20. vinitorum, quorum aliqui in vineam ire juſſi ſunt hora prima, alii tertia, alii ſexta, nona, & undecima; quia unum, tria, ſex, novem, & undecim numerum conficiunt trigeſimum. Sed neque Myſterio vacabat diviſio *Eonum* in octo, decem, & duodecim; nam duodecim notati fuerant per annos duodecim, quos numerabat Salvator, quando cum Legis Doctoribus disputavit; & per numerum duodecim

cim Apoſtolorum; alii deſignabantur per duas primas litteras Nomini JEſu, cum *jota* pro decem, & *Etha* pro octo computetur. S. Paulus, ſi Valentino fides, clariſſime *Pleroma* denotabat, quando dixit, in JEſu Chriſto omnem plenitudinem Divinitatis habitare. Sæculum II. A. C. 125. *Coloſſ.* II. 9.

In fabularum ſuarum contextu ajebant Valentiniani, Sophiam Eonum ultimum, aut melius ultimam, ex *Pleromate* ergreſſam, voluiſſe cognoſcere primum Patrem, cumque hac ſua voluntate tentaſſet impoſſibile, haud dubie fuiſſe perituram, niſi a virtute, cujus eſt *Pleroma* cuſtodire, fuiſſet ſervata; eſt autem huic virtuti nomen *Horos*, ſeu terminus, aliter *Stauros*, id eſt, crux, præter alia nomina. *Horos* igitur Sophiam in Pleroma reduxit; at conatus, quem adhibuerat, ut inde exiret, & deſiderium videndi Patrem, quod elicuerat, quædam erat ſubſtantia Spiritualis, debilis, & informis, quæ extra Pleroma remanſerat; hanc ſubſtantiam vocabant *Enthymeſis*, alias *Achamoth*, aut magis *Hachamoth*, ex vocabulo Hebraico, quod ſignificat Sapientiam in plurali. Poſtquam mater hujus Achamoth Sophia Pleromati, & Sponſo ſuo *Teletos* reſtituta fuiſſet, *Nous* per Patris Providentiam novum par produxerat, quo præcaveretur, ne quid tale impoſterum cuiquam Eonum, ſicut Sophiæ

Sæculum II. A. C. 134.

phiæ accideret; novum hoc par erant Christus, & Spiritus S., qui Pleroma, & omnium Eonum unionem firmaverant. Christus eos Patrem cognoscere docuerat, seu potius hoc contentos esse, quod scirent, eum esse incomprehensibilem; S. Spiritus eos docuerat, Patrem laudare, & in perfecta tranquillitate acquiescere. In tanto gaudio omnes simul Eones, Patri gratitudinem suam testaturi, cum ejus consensu, & consentientibus etiam Christo, & Spiritu S. JEsum, seu Salvatorem, produxerant, & quisque, quod præstantissimum haberet, in hanc creaturam contulerat, ita ut esset quasi flos totius Pleromatis, gerebatque nomina omnium Eonum præsertim Christi, & verbi, quia ab omnibus processerat. Ita illud S. Pauli explicabant; omnia in JEsu Christo esse unita; addebant præterea, in majorem Salvatoris honorem simul Angelos ejusdem cum ipso naturæ, & tanquam custodes ejus, fuisse productos. Hæc omnia erant ex sacra Scriptura. Et ulterius fingebant, lapsum ultimi, & duodecimi *Eonis* fuisse præfiguratum per lapsum Judæ inter Apostolos duodecimi, & per morbum mulieris fluxu sanguinis afflictæ annis duodecim; sub hac Sophiam latuisse, cujus substantia in infinitum defluxisset, nisi virtus filii, id est, *Horos* continuisset eam, & sanasset.

Valentini stolida Theologia.

Coloss. 1. 9.

Matth. 9. 20.

Inte-

Interim *Achamoth* extra Pleroma exulabat, miserabilis abortus, informis, & imperfectus; Christus illius misericordia motus, extensa substantia dedit ei formam entis, at intelligentiam non auxit; tum retrahens suam virtutem reliquit eam desolatam, quod miseriam suam agnosceret, seque extra Pleroma videret constitutam, sine spe illuc perveniendi; multis ergo passionibus obruitur, tristitia, timore, angustiis; tandem conversa est ad eum, qui sibi vitam dederat, quod materiæ, & totius hujus mundi visibilis causa fuit; nam motus iste conversionis animas produxit, tristitia, & timor materiam, ex lacrymis ejus fluvii, & maria facta sunt, ex timore stupido, & insensibili facta est terra. Sed hæc aliqua explicatione indigent. Sæculum II. A. C. 134.

§. XXVIII.

Fabulæ de Auctore hujus mundi.

Postquam Achamoth illum conatum elicuit, ut se ad Auctorem suum converteret, Christus misit ad eam Salvatorem cum potestate Patris, & omnium Eonum; ille cum sociis Angelis venit, Achamoth scientiam largitus est, eamque suis passionibus liberavit, quas tamen passiones non redegit ad nihilum, sed condensavit, & ex his affectibus incorporeis conden-

Sæculum II. A. C. 134.

condensatis materiam eduxit corpoream, eamque duplicis speciei, unam malam, quæ erat effectus passionum, alteram, quæ erat effectus conversionis, & passionibus tantum obnoxia. Achamoth hoc modo libertati reddita, in risum solvi cœpit, & per hunc risum lux facta est. Cum lætitia diffluueret, amplexa est Angelos Salvatoris socios, concepitque ex eis fructum spiritualem ipsis similem. Habemus jam tres substantias, unam spiritualem, seu *pnevmaticam*, natura sua bonam, & incorruptibilem; alteram animalem, seu *psychicam* damnationi, vel saluti natam, prout bonum, vel malum egerit, tertiam materialem seu *hylicam*, non tantum corruptibilem, sed necessario perituram, & salutis incapacem. Achamoth erat in se substantia spiritualis, sed alias duas nempe animalem, & materialem ipsa formaverat, & ex substantia animali *Demjourgum*, id est, Auctorem, & Deum eorum omnium, quæ extra Pleroma sunt, eduxerat. In hoc rerum ordine isti hæretici mundi auctorem collocabant, dicebantque *Demjourgos*, a nomine inter Catholicos Theologos recepto, quod significabat operarium. Iste, si Valentino credimus, septem cælos condiderat, quibus ipse præerat; Paradisus, si ab infimo numerare incipias, erat numero quartus; Achamoth super omnes hos cælos habitabat;

tabat, sed infra Pleroma, nempe in Regione media. Auctor mundi spiritualia non capiebat, nec ea omnia, quæ supra ipsum erant, ideo se solum esse Deum putabat, & per Prophetas dicebat: Ego sum Deus, & non est alius præter me. Ipse erat Creator *Cosmocratoris*, seu Principis hujus mundi, scilicet Diaboli, & omnium spirituum malignorum, qui ex Achamoth tristitia exstiterant. Cosmocrator hunc mundum inhabitabat, & quia erat substantia spiritualis, ea, quæ supra ipsum erant, cognoscebat. Sæculum II. A. C. 134. *Isaiæ* 45. 6.

Demjourgus, hoc mundo creato, etiam hominem condidit materialem, seu *choicum*, ex materia invisibili, & eidem inspiravit animam, creans eum juxta imaginem, & similitudinem suam, ad imaginem in quantum esset materialis, ad similitudinem, in quantum esset animal. Tum hominem induit tunica pellicea, id est, carne sensibili. Homini etiam dedit sementem spiritualem, quam Achamoth ab Angelis acceperat, & in sinum Auctoris mundi deposuerat, ipso inscio, ut hanc animæ, & corpori materiali communicaret, ubi progerminaret, & crescceret. Hæc sementis spiritualis nihil aliud erat, quam quod isti hæretici Ecclesiam nominabant, & imago Ecclesiæ superioris, quæ in Pleromate residebat. Salvator ex iis, quæ salvaturus erat, optima sibi assum-

Sæculum II. A. C. 134.

assumpserat, esse spirituale ab Achamoth acceperat, Auctor mundi eum Christo animali induerat, ita ut etiam corpus ipsius esset psychicum, invisibile, & impassibile; sed nihil materiæ sumpserat, eo quod materia salutis capax non esset. Fuere, qui dicerent; Auctorem mundi Christum aliquem condidisse, natura sibi similem, qui per Mariam transiisset sicut aqua per canalem, & Salvatorem cum perfectionibus omnium Eonum Pleromate egressum, in hunc Christum, cum baptizaretur, descendisse, seque, cum Pilato præsentaretur, iterum abstulisse, ita ut solus Christus animalis passus fuerit. Rerum omnium finis, inquiebant: tunc erit, quando omnes homines spirituales per *Gnosen*, seu veram scientiam formati, aut perfecti fuerint, & omnis spiritualis sementis ad culmen perfectionis pervenerit; tunc Achamotheorum Mater e Regione media in Pleroma transferetur, & Salvatori ab omnibus Eonibus producto copulabitur; Ecce Sponsum, & Sponsam! homines spirituales animabus suis exuti, & purissimi spiritus facti, etiam Pleroma intrabunt, & erunt Angelorum, qui Salvatorem circumdant, conjuges. Auctor mundi in Regionem mediam ascendet, ubi prius erat mater ejus, & animas justorum comites habebit; attamen nihil animale Pleroma intrabit.

Tunc

Tunc ignis, qui in mundo latet, appare- Sæculum II.
bit, accendetur, omnem materiam consu- A. C. 134.
met, & ipse cum materia consumetur, & in nihilum recidet.

Hæc est integra fabula Theologica Valentinianorum, quam prolixius esse referendam mihi visum est, quia postmodum plures hæretici notissimi præcipuos Valentini errores aut propagarunt, aut renovarunt; & consultum duxi semel ostendere, quantum etiam prima ingenia aberraverint, quando in explicatione Scripturæ, sensui, & judicio proprio inhæserunt, contempta Traditionis Apostolicæ, & Auctoritatis Ecclesiæ infallibili regula. Cæterum levi brachio Valentiniani refutari non poterant, quia in Secreta eorum Doctrinæ penetrare vix erat possibile; profundo silentio eam ab *Tertull. in Valent. c. 1. 2. 3.* oculis prophanorum, id est, eorum omnium, qui hujus Sectæ non erant, abscondebant; illis, qui admitti petebant, per multas januas transeundum, multa siparia removenda erant, antequam ad hoc Sacrarium perveniretur. Hujus Sectæ Doctores non nisi multis precibus exorati, & oblata multa pecunia curiosis altissima sua Mysteria vendebant. Certe mora, & labore opus erat.

Sæculum II, A. C. 134.

§. XXIX.

Moralia Valentinianorum.

Ex tali Doctrina deducebant conclusiones sequentes: Psychici, quales secundum ipsos erant Catholici, scientiæ perfectæ incapaces, non aliter quam fide simplici, & operibus salvari poterant; ipsis solis opera erant ad salutem utilia; ipsis continentia, & Martyrium conveniebant. Secundo, carnales homines, quidquid faciant, non salvabuntur. Tertii generis homines erant spirituales, quales Valentiniani se ipsos, & quidem solos reputabant; ipsi operibus ad salutem non indigebant, cum essent natura boni, & gratia ipsis adeo propria, ut tolli non posset; gratia in eis erat sicut aurum, quod luto non corrumpitur. Hinc sine scrupulo Idolothytis vescebantur; in festis Gentilium, & gladiatorum spectaculis comparebant. Nonnulli sine modo nefanda libidine polluebantur, rationem dantes, reddendum carni, quod carnis est, & spiritui, quod spiritus est. Multæ mulieres, postea ad fidem Catholicam conversæ, se ab ipsis corruptas fassæ sunt. Catholicorum simplicitatem, & ignorantiam ridebant, quod peccata oris, & etiam cogitationis timerent. Super omnia passionem Martyrii damnabant, dicentes stultitiam esse pro Deo mori.

Christus,

Sæculum II. A. C. 134.

Christus, inquiebant: *semel pro nobis mortuus est, semel occisus est, ne nos occideremur. Si mortem reciprocam petit, nunquid sperat per meam mortem salvari? aut forte Deus sanguinem hominum sitit, qui sanguinem taurorum, & hircorum respuit. Deus magis vult pœnitentiam peccatoris, quam mortem. Res profecto commiseratione digna! videre, quod Secta omnibus innoxia tam dire habeatur, & tot innocentes sine causa perimantur.*

Tertull. Scorp. c. 1. Psal. 49.

Variis modis Novitios suis Mysteriis initiabant; aliqui hujus Sectæ quasi cubiculum nuptiale adornabant, & præscriptis verborum cæremoniis matrimonium celebrabant, dictum ab ipsis spirituale, & ad imitationem Eonum unionis comparatum. Alii, Discipulos ad aquam perductos, baptizabant in nomine Patris omnibus ignoti, & in nomine veritatis, Matris omnium, & in nomine illius, qui in JEsum descenderat; in unione, redemptione, & communione Potestatum. Alii baptismum aquæ superfluum dicebant, & sufficere credebant, si initiandorum capita mixtione oleo, & aqua spargerentur, & succo balsami ungerentur. Alii rejectis omnibus exterioribus cæremoniis docebant, Mysteria virtutis invisibilis, & ineffabilis expleri non posse creaturis sensibilibus, & corruptibilibus;

Sæculum II. A. C. 134.

Redemptionem esse negotium totum spirituale, & interne per cognitionem perfectam perfici. Valentinus Romam venit sedente S. Pontifice Hygino, ibique mansit sub Pontificatu Pii, Aniceti, & usque ad Eleutherii successoris ejus tempora.

§. XXX.

Hæretici alii.

Successu temporis Hæresis Valentini in multas Sectas abiit, quas inter tres obscuræ quidem famæ nihilominus propter opinionum singularitatem notari merentur. Nempe Sethitæ, qui Sethum peculiari honore colebant, ipsumque esse JEsum Christum arbitrabantur. Cainitæ, qui illos pro viris sanctis, & perfectis habebant, quos Scriptura condemnat, quales sunt Cain, Core, Sodomitæ, & Judas proditor. Ophitæ, qui sapientiam, serpentem factam esse, asserebant, & pro JEsu Christo serpentem adorabant. Cerdo alius hæreticus etiam Romam venit Hygino Pontifice, ibique diu moratus, jam hæresin suam occulte docebat, jam ad Ecclesiam rediens in speciem pœnitentiam agebat. In Syria docere cœperat, traditiones Simonis Magi, & Saturnini secutus. Duo ponebat principia, id est, duos Deos, bonum unum, & malum

Iren. 1. *c.* 34. 35. *Epiph. hær.* 37. 38. 39.

Iren. 1. *c.* 28. *&* 3. *c.* 4. *Cyp. ep.* 74. *ad Pompej. Epiph. hær.* 41. *Epiph. hær.* 41. *apud Tert. præscr.* 51.

lum alterum, quem ultimum mundi Creatorem, & Legis Auctorem faciebat. Christum asserebat esse Filium boni Dei, ipsum autem non vere fuisse natum, aut passum. Solam animæ resurrectionem, & non carnis admittebat; solum Evangelium S. Lucæ, nec istud integrum recipiebat. Sæculum II. A. C. 134.

§. XXXI.

S. Symphorosæ Martyrium.

Imperator Hadrianus Tibure in Romæ vicinia domum campestrem, seu verius Palatium, Regia opulentia dignum ædificavit, quo omnia, quæcunque in Provinciis rara, vel arte præcipua essent, congessit. Cum ædificium consummasset, illud cæremoniis, apud Gentiles usitatis, voluit consecrare; & primo sacrificia obtulit, ut oracula Idolorum eliceret; responderunt Dæmones in hunc modum: *Vidua Symphorosa cum septem filiis singulis diebus nos cruciat, dum invocat Deum suum, si ipsa cum filiis suis sacrificet, spondemus, omnia, quæ petieris, concedere.* Hadrianus, comprehendi jussam, cum filiis primo accessu leniter hortatur, ut sacrificet; cui Symphorosa: *Maritus meus Getulius, & frater ejus Amantius, cum essent tui Tribuni, tormenta pati pro JEsu Christi nomine ma-* *Acta Mart. Sincera. p. 18*

Martyr. 10. Jun.

Sæculum II. A. C. 134.

luerunt, quam Idolis sacrificare, & morte sua Dæmones tuos superarunt; occidi potuerunt, vinci non potuerunt. Supplicium quo affecti sunt, eis quidem coram hominibus ignominiam, coram Angelis vero gloriam peperit, jamque in cælo vita æterna fruuntur.

Tum Imperator ad Symphorosam: *Aut Diis omnipotentibus cum filiis tuis sacrifica, aut ego te ipsam cum filiis in Sacrificium offerri jubebo.* Symphorosa: *Dii tui non possunt me accipere in Sacrificium, sed si pro Nomine JEsu Christi Dei mei concremata fuero, flammas, & cruciatus Dæmonum tuorum acerbiores reddam.* Imperator: *Aut tibi sacrificandum Diis meis, aut misere pereundum. Elige!* Symphorosa: *Falleris, si me timore posse mutari credis; cum marito meo, quem pro Nomine JEsu Christi interfeciſti, quiescere desidero.* Sic locutam Hadrianus ad templum Herculis duci jubet, ubi colaphis cæsa, & capillis suspensa est; tandem in sancta confessione constans, appenso ad collum saxo in fluvium projici jubetur. Hujus corpus frater ejus Eugenius, vir inter Tiburtinos Senatorii ordinis, tulit, & prope urbem sepelivit.

Altera die Imperator septem ejus filios simul omnes, ante conspectum adduci jussos, ad sacrificandum hortabatur, sed

Sæculum II. A. C. 134.

sed frustra, videns igitur quod minis nihil proficeret, septem palos circum Herculis templum poni jubet, eosque trochleis distentos alligari, ubi vario mortis genere perempti sunt; Primo, nomine Crescenti, guttur, secundo Juliano pectus, tertio Nemesio cor transfixum est. Tres sequentes Primitivus, Justinus, & Stacteus diversis corporis partibus transverberati. Septimus Eugenius a capite ad umbilicum usque diffissus. Sequenti die Imperator ad templum Herculis venit, ejusque jussu eorum corpora deposita, & in præaltam fossam conjecta. Pontifices Gentilium hunc locum deinde septem *Biothanates* dixerunt, quod græce, voce Magis familiari, mortuos significat morte violenta, & speciatim ultimo supplicio affectos. Persecutione deinde per octodecim menses remittente, debitus honor Martyribus redditus, eorumque corpora sollicite in via Tiburtina octo ab urbe milliaribus sepulta. Hodiedum Ecclesiæ, ad eorum memoriam exstructæ, rudera videntur, in loco, septem fratres, nominato.

Tertull. de an. c. 57.

Martyr. Rom. Usuardi Ado 21. Jun.

Roma Soter. lib. 4. c. 17.

§. XXXII.

Mors Hadriani. Antoninus Imperator.

Imperator Hadrianus in filium adoptaverat Lucium Cejonium Commodum

Sæculum II. A. C. 134.

Verum, qui ante ipsum diem clausit. In hujus locum Titum Aurelium Fulvium Bojonium, alias Arrium Antoninum, in memoriam Avi sui materni dictum, adoptavit. Hadrianus sub finem Imperii ob multos Romanorum clarissimos sublatos crudelitatis notam incurrit. Tandem Tibure in domo sua ex hydropisi cœpit decumbere, & cum remedia nihil eum juvarent, mortem impatientissime desiderabat. Jamque venenum, jam pugionem petenti, quamvis danti non impunitatem modo, sed etiam mercedem promitteret, nemo erat, qui dare vellet. Medicus ejus, ut importunas preces, vel imperia toxicum parandi effugeret, seipsum interfecit. Habebat Imperator apud se quemdam barbarum de natione Yazigarum, nomine Mastorem, cujus opera propter ejus vires eximias, & audaciam in venatione uti solebat; huic partim minis, partim promissis persuasit, ut se supra mamellam, loco, quem Hermogenes Medicus indicaverat, si sine dolore mori vellet, percutere condixerit, at barbarus subito horrore contremiscens, re infecta aufugit; tum vero Imperator in lamenta solvi, quod sibi moriendi copia adimeretur, cui adhucdum vitam aliis aufferendi potestas esset. Denique optimum factu visum, si sobrietatem, cui assueverat, frangeret, cœpitque, quidquid

Epit. Dion. Had. p. 267. Spart. in Had.

quid cibi, vel potus nocere posset, stomacho ingerere; itaque, postquam exclamasset: Multitudo Medicorum occidit Regem, extinctus est. Annum ætatis agebat sexagesimum secundum, & imperaverat viginti, & uno. Successorem habuit filium suum adoptivum Arrium Antoninum cognominatum Pium, qui illico Imperii habenas capessivit, anno JEsu Christi centesimo trigesimo octavo. Sæculum II. A. C. 138. Antoninus Pius Imperator. An. 138.

§. XXXIII.

Successio Episcoporum.

Cornelius Episcopus Antiochenus defunctus est anno centesimo quadragesimo primo, postquam hanc Ecclesiam gubernasset annis tredecim. Successit ei Hero, seu Eros, qui sedem tenuit annis viginti septem. Anno sequenti Eumenes Episcopus Alexandrinus mortuus est, eique successit Marcus secundus. Nonnulli initium Regiminis Aniceti Papæ eodem anno ponunt, anno scilicet centesimo quadragesimo secundo, alii in annum centesimum quinquagesimum differunt; majori vero certitudine tenemus hoc anno centesimo quinquagesimo Celadionem successisse Marco juniori in sede Alexandrina, eamque sedem tenuisse annis quatuordecim. An. 141. *Euf. Chron. An.* 143. *Euf. Chron. An.* 150. An. 150.

Sæculum II. A. C. 150.

§. XXXIV.

Hæresis Marcionis.

Anicetus Papa.

Marcion hæreticus eodem ferme tempore, Antonino Principe, circa annum centesimum decimum quintum post JEsu Christi Passionem, quod ad annum centesimum quadragesimum octavum reducitur post incarnationem, innotuit. Erat is ex Ponto, & urbe Synope, Episcopi Catholici filius. Annos juventutis in solitudine, & continentia exegit; postmodum autem virginem defloravit, quam rem tantopere Pater ejus doluit, ut filium Ecclesia expulerit; erat enim pietate, sanæ Doctrinæ amore, & laboris Episcopalis studio illustris Senecio. Multum quidem rogavit, & veniam petiit Marcion, sed hanc a Patre obtinere non potuit, tum juvenis aliorum cavillationes impatienter ferens, Romam profectus est, & ad Seniores, ex illis superstites, qui ab Apostolorum Discipulis eruditi fuerant, accessit; ipsi autem in societatem eum recipere noluerunt. Igitur livore, & indignatione superante, malo se consilio permisit, & Cerdonem impostorem secutus est. Postea S. Presbyteris insultans ajebat: *Quare me non suscepistis?* illis vero respondentibus; id se facere non potuisse sine ejus Patris consensu; unam esse fidem, & unam concordiam;

Tertull. in Marc. lib. 1. c. 19.

Epiph. hær. 42. init. Tertul. præscr. 51.

diam; viro digniſſimo Collegæ ſuo contraria ſe facere non oportere; ipſe indignatione, & ſuperbia abreptus, inquiebat: *Scindam Eccleſiam veſtram, & ponam diviſionem perpetuam.* Sæculum II. A. C. 150.

Marcion Doctrinæ Magiſtri ſui Cerdonis inhærens, duo Principia conſtituit, unum bonum, alterum malum; in hujus dogmatis probationem afferebat illa verba Evangelii: *Non eſt enim arbor bona, quæ facit fructus malos, neque arbor mala faciens fructum bonum.* In eundem ſenſum illam ſimilitudinem detorquebat; novum veſtimentum non eſſe aſſuendum veteri; nec vinum novum mittendum in utres veteres; quibus volebat evincere, nullam eſſe connexionem Legis veteris cum nova, & veterem a JEſu Chriſto eſſe rejectam. Ajebat etiam; ſupremum Deum eſſe inviſibilem, & ſine Nomine; Creatorem vero mundi eſſe Deum Judæorum, & unumquemque horum Deorum promiſiſſe ſuum Chriſtum; noſtrum quidem, qui ſub Tiberio apparuiſſet, fuiſſe bonum; at illum Judæorum a Creatore promiſſum necdum veniſſe. Antiquum Teſtamentum damnabat, tanquam a malo principio profectum. Librum compoſuit, quem dicebat Anthyteſes, ſeu repugnantia Legis, & Evangelii. Dicebat præterea, JEſum Chriſtum ad inferos deſcendentem, non attuliſſe ſalutem

Iren. c. 1. 29.

Luc. 6. 43.

Luc. 5. 36.

Epiph. hær. 42. n. 3.

Tertull. in Marc. l. 1. c. 14. 15.

Sæculum II. A. C. 150.

ſalutem Abel, Henoc, Noe, aliisque viris juſtis veteris Teſtamenti, utpote Dei Hebræorum amicis, ſed illius Dei inimicis, nempe Caino, Sodomitis, & Ægyptiis. Hunc Hebræorum Deum pro Creatore, & auctore materiæ, & carnis habebat, cujus ideo reſurrectionem negabat; damnabat etiam matrimonia, nec alios, quam continentiam profitentes, ad Baptismum admittebat. Diſcipuli ejus animalium carne, & vino abſtinebant, & in Sacrificio ſolam aquam adhibebant. Sabbato jejunabant in odium Creatoris; & in odium carnis ſponte ſua prætextu martyrii, ſe mortis periculo exponebant. Hæreſis iſta magnum Sectatorum numerum nacta eſt, & dilatata multis ſæculis duravit.

Iren. l. c. 29.

§. XXXV.

Apelles Hæreticus.

Inter Marcionis Diſcipulos celeberrimus fuit Apelles, qui in peccatum luxuriæ lapſus cum fæmina, & a Magiſtro ſuo excommunicatus, ut ſe ejus oculis eriperet, Alexandriam fugit. Docebat, a Deo factos eſſe Angelos, & multas Poteſtates, & præterea quamdam virtutem, quam ipſe Dominum vocabat, quæ condidiſſet Mundum, ad mundi ſuperioris imitationem, cujus autem perfectionem aſſequi non potuiſſet, ideoque eam ſuæ Creationis

Tertull. præſcr. 30. Epiph. hær. 44.

nis pœnituisse. Rursus dicebat; JEsu Christo nequidem tale corpus apparens fuisse, quale putabat Marcion, nec veram carnem, sicut docemur ex Evangelio, sed cum descendisset de cœlo, sibi ipsi corpus cœleste, & aereum formasse, &, cum post resurrectionem ascendisset, ejusdem corporis materiam resolvisse, solumque spiritum in cœlum fuisse reversum. Hinc etiam carnis resurrectionem negabat, & alia Marcionis dogmata, & errores defendebat. Sæculum II. A. C. 150.

Erant ipsi quædam scripta peculiaria, quæ apellabat Pharenoses, seu revelationes, & continebant somnia puellæ cujusdam, nomine Philumenes, quam ipse quidem habere spiritum propheticum credebat, alii vero fuisse Dæmoniacam. Apelles ad provectam pervenit ætatem, & in sua senectute magnam gravitatem, & severitatem tam ætate, quam vivendi ratione præferebat. Cum aliquando Rodon Doctor Catholicus in Disputatione eum convicisset, quod multa docuisset incongrua, dicere compulsus est; Religionem non esse subjiciendam examini; quemlibet in ea opinione, quam semel esset amplexus, firmum esse oportere; eosque, qui spem suam in JEsum Christum crucifixum collocassent, salvandos, dummodo bonis operibus pleni fuerint inventi. *Tertull. præscr. c. 6. & 30.* *Euſ. V. c. 13.*

§. XXXVI.

Sæculum II. A. C. 150.

§. XXXVI.

S. Justinus Philosophus Christianus.

Eadem ferme tempestate, qua Marcion, vivebat S. Justinus Philosophus Christianus, cujus opera usque ad nos pervenerunt. Erat ex Provincia Samariæ, & urbe Sichem, quæ etiam dicebatur Flavia propter Græcorum coloniam a Vespasiano, vel ejus filiis, illuc missam; non tamen ipse erat Samaritanus, sed Græcus Gentilis, & incircumcisus. Christianam Religionem suscepit post longam causæ discussionem, & postquam prius omnes Philosophorum sectas probasset, quod de se ipso in hunc modum narrat:

Dialog. cum Tryph. init. p. 218. edit. a. 1615.

Primum adhæsi cuidam Stoico; at cum post multum temporis nihil de Deo discerem, de quo ipse sciebat nihil, dicens, hanc cognitionem non esse necessariam, dimisi eum, & adivi Peripateticum, hominem suo quidem judicio subtilissimum; primis diebus patienter me tulit, at deinde rogavit, ut certum ipsi Minervæ constituerem, ne nostra colloquia essent inutilia; quo petito offensus, dereliqui eum, quod nec Philosophi nomine dignum judicarem. Attamen cupiditate sciendi incensus, quid Philosophiæ proprium, & singulare inesset, accessi Pythagoricum, cujus magna fama apud omnes, nec sibi ipsi de propria scientia

Sæculum II
A. C. 150.

tia fama minor existimatio erat. Postquam intellexit, quod ejus Discipulus esse cuperem, sit vero, ait: Num Musicæ, Astronomiæ, Geometriæ studuisti? vel putas te quicquam eorum capere posse, quæ hominem ad Beatitudinem perducunt, nisi prius has scientias acquisiveris, quæ animam ab objectis sensibilibus abstrahunt, percipiendis intelligibilibus aptam reddunt, & contemplandæ pulchritudini, & Bonitati essentiali idoneam? Fatentem me, his scientiis non dedisse operam, dimisit; has enim ipse putabat necessarias.

Immodice dolebam, spem meam fuisse frustratam, eo magis, quod huic Pythagorico magnam esse scientiam crederem, sed alia ex parte longa mora, addiscendis his scientiis necessaria, me absterruit; igitur ad Platonicos convertor. Hujus Philosophiæ sectator quidam erat in nostra civitate, vir amans rationis, & inter suos præcipuus. Ex multis cum ipso colloquiis non mediocriter proficiebam; multum delectabar rerum incorporearum cognitione, & Idearum contemplatio quasi pennis intellectum meum in sublime tollebat. Itaque modico tempore sapiens factus mihi videbar, & insana spes lactabat brevi videndi Deum; hic enim est Philosophiæ Platonicæ scopus. Ita comparatus, quærebam solitudinem. Aliquando in littore maris ambulans, dum respicio, vidi senem,

Sæculum II. A. C. 150.

nem, mea prementem vestigia; species ejus mixta lenitate, & gravitate reverentiam creabat; cum miscuissemus colloquia, inter alia inquit: video, quod ames sermones, non vero opera, & veritatem; & quod quæras scientiam, & verba magis, quam operationem.

S. Justinus deinde longum Dialogum refert, in quo sibi vir ille demonstrasset; Philosophos, quos maxime in pretio haberet, Platonem, & Pythagoram in principiis errasse, nec eos satis cognovisse Deum, nec animam rationalem. Vera sapientia fuisse præditos Prophetas, a Deo inspiratos, quod ex eorum vaticiniis, & miraculis liqueret; His mediis Prophetas populis fidem feciſſe, ita ut veritatem in orbem induxerint auctoritate, non vero disputationibus, & intricatis argumentationibus, quarum pauciſſimi hominum capaces essent. (*) Iisdem Prophetis monstrantibus, nos deduci in cognitionem Dei Patris, rerum omnium Auctoris, & Filii ejus Christi in mundum missi; hunc a nobis exorandum, ut viam lucis aperiat, & veritatem doceat. Ex

pag. 224.

ejus-

(*) Fortissimum contra Novatores argumentum; fidem inductam fuisse, & conservatam Ecclesiæ Auctoritate, non vero solius S. Scripturæ, cujus intelligendæ, æque ac subtilis disputationis pauciſſimi capaces sunt.

ejusmodi Senis sermonibus S. Justinus ferventem amorem concepit in Prophetas, & JEsu Christi amicos, cognovitque in hac sola Doctrina consistere Philosophiam certam, & utilem. Sæculum II. A. C. 150.

In alio libro inquit: *Ipse ego, cum Doctrinæ Platonicæ amore tenerer, nihilominus, calumnias, quæ in Catholicos evomerentur, audiens, & quod mortem non timerent, nec ea omnia, quæ generi humano terrorem incutere solerent, intellexi, esse impossibile, hos Christianos in vitiis, & amore voluptatis vivere; enimvero apud me perpendebam; quomodo homo voluptatibus immersus, & ita intemperans, ut etiam gulæ causa carne humana vescatur, tamen mortem quærat, ut se ipsum his bonis privet? & quis talis non potius vitam hominis esse perpetuam optaret, seque Magistratibus Gentilium, & mortis periculo subduceret! quam ut se ipsum deferret, lucis usura privandum?* Ita S. Justinus suæ conversionis argumenta narrat. Postquam Christianorum numero adscriptus est, Philosophi vestitum, sicut etiam multi alii, non deposuit. *Apol. 1. p. 50. edit. 1615.*

§. XXXVII.

Apologia I. S. Justini.

Apologiam pro Christianis scripsit Justinus anno J. C. centesimo quinquagesimo, cui intrepide hunc titulum

Sæculum II. A. C. 150.

præposuit: *Imperatori Tito Ælio Hadriano Antonino, Pio, Augusto, Cæsari; & filio ejus Verissimo Philosopho; & Lucio Philosopho, filio Cæsaris secundum naturam, & Imperatoris per adoptionem, Scientiarum Cultori; Sacro Senatui, & universo populo Romano; in defensionem omnis generis hominum, qui contra jus, fasque odio, & persecutionibus patent; Justinus Prisci Bachii filius, Flaviæ, seu Napoli Palæstinæ, oriundus, ex numero eorum, qui innocentes ad necem quæruntur, hunc supplicem libellum offert.* S. Justinus hic primo Imperatoris Nomina ponit, qui utpote filius adoptivus Hadriani, ejus nomina gerebat; tum duos filios adoptivos Imperatoris nominat; primus erat Marcus Annius Verus, quem Imperator Hadrianus nominabat Verissimum, & qui etiam nomina Aurelii, & Antonini acceperat, postquam fuerat ab Antonino Pio adoptatus; alter ejus filius, nempe Imperatoris Antonini Pii, erat Lucius Cejonius Ælius Commodus Verus Antoninus, filius Lucii Cejonii Commodi Veri, quem Hadrianus adoptatum, Ælium Verum dixerat. Imperatores præsertim a temporibus Hadriani Philosophiæ, & litterarum famam ambiebant, & Nomine Philosophi celebrari gaudebant; quare hunc in modum S. Justinus Apologiam orditur:

Solo

Sæculum II. A. C. 150.

Solo rationis ductu, iis, qui vere pii, & Philosophi dici merentur, missis antiquorum opinionibus, si falsæ sint, nihil vel in pretio, vel in amore præter veritatem esse, intelligimus. Vos, Cæsares! ubique Pii, & Philosophi, ubique Justitiæ custodes, ubique scientiarum fautores auditis; an hæc jure, vel assentatione de vobis affirmentur, res ipsa docebit. Absit enim, ut hac oratione vobis adulari velimus, sed potius ad exactam rationis trutinam obtestamur vestram justitiam, ne vel præjudiciis, vel in superstitiosos propensioni, vel humano affectui, vel a multo tempore divulgatis criminationibus cedentes, pronuntietis sententias, nomine vestro, & sapientia indignas. Nobis vero omnino persuasum, neminem hominum nobis nocere posse, quamdiu non convincimur, esse nocentes. Occidere potestis, nocere non potestis. Ne autem quis existimet, temere hæc a me in medium proferri, rogamus, ut de criminibus nobis objectis diligentissime quæstio instituatur? si jure probentur, secundum meritum puniamur, & etiam ultra meritum; quod si nihil in nobis puniendum invenire sit, sana ratio vetat, ne ob falsos rumores innocentiam vexetis; vel ut verius dicam, famam vestram corrumpatis, dum non ex justitiæ præscripto, sed invidiæ sensu pœnas infligitis. Legitimam judiciorum formam

Sæculum II. A. C. 150.

in eo consistere scimus, ut subditi actorum, & verborum suorum fideliter rationem reddant, Principes autem non vi, & tyrannide, sed pietate, & sapientia judicent. Nobis ergo incumbit, vitam nostram, & Doctrinam totius mundi oculis exhibere, ne, quæ crimina in nostram innocentiam ex ignorantia committuntur, si ultra siluerimus; nostra culpa & negligentia committantur; vestri autem officii est, Principes! justos vos esse Judices, toti orbi palam facere; si enim post hanc institutionem necdum, quod justitia postulat, egeritis, nulla erit excusatio, quæ vos coram Deo defendat.

p. 54. Ostendit ulterius Justinus; summam esse injustitiam Christianos propter solum Christianorum Nomen condemnare, ita ut, qui se Christianum fateatur, convictus, qui neget, absolutus esse censeatur; quamvis multi essent, qui falso hoc Nomen præferrent, JEsu Christi præcepta non servantes; sicut etiam multi essent Philosophi, quibus si Nomen abstuleris, omnem simul Philosophiam deleveris. Inferius inquit; Dæmones Idololatriæ auctores mortem Socrati conscivisse, quia eorum Regnum ex ratione impugnasset; jamque eosdem persequi Christianos, incarnatæ nimirum Discipulos Rationis, 56. quæ est JEsus Christus. Subjungit: *Eo quod Dæmones non adoremus, Atbei dicimur;*

mur; enimvero quod attinet tales Deos, nullum Christianorum esse existimo, qui non liberrime Atheum se profiteatur, nullatenus autem quod attinet Deum verum, qui Justitiæ, Castitatis omniumque cæterarum virtutum, sine ullius vitii commixtione, Pater esse dignoscitur. Cum eodem Patre Filium, qui ab eo missus est, honoramus, & adoramus; ille est, qui nos omnem veritatem docuit, & Spiritum Propheticum. Addit; vitam æternam in Dei societate unicam Christianorum spem esse; eosque post mortem exspectare judicium, non a Radamantho & Minoe, sicut Plato edixisset, celebrandum, sed a JEsu Christo; huic Tribunali omnes homines corpore, & anima esse sistendos, & improbos pœna æterna puniendos. Sæpe Philosophorum, & Poetarum dicta adducit, quod eorum apud Paganos multum valeret auctoritas, ut ostenderet JEsu Christi Doctrinam nec fide indignam, nec a sana ratione alienam. His subjungit sequentia:

Sæculum II. A. C. 150.

p. 57.

Quando auditis, nos Regnum exspectare, imprudentes creditis, nos de Regno humano loqui, cum loquamur de Regno Dei. Idipsum ex eo clarescit, quod Christianam Religionem ultro profiteamur, optime gnari, hanc professionem in Imperio vestro capitalem esse; si enim Regnum terrestre speraremus, profecto negaremus

p. 58.

Sæculum II. A. C. 150.

fidem noſtram, occultaremus, nos ipſos ſervaremus, ut eo frui poſſemus; nunc vero, cum ea, quæ ſperamus, bona non ſint hujus Mundi, vitam noſtram parvi pendimus, cujus jacturam facere ſerius, aut citius ineluctabile eſt. Nullum hominum genus paci in veſtro Imperio conſervandæ Chriſtianis aptius eſt, quos fides ſua docet, Mortalium neminem, nec impium, nec avarum, nec proditorem, nec virum probum Dei oculos poſſe effugere, at unumquemque ſecundum actionum ſuarum meritum, aut Salutem æternam, aut æterna manere ſupplicia. Si hujus rei veritas omnibus eſſet cognita, nemo, ut opinor, ad modicum tempus vitium eligeret, cujus finem eſſe ignem æternum ſciret; immo nihil eſſet tam arduum, quod homo prudens non libenter ſuſciperet, ut cupiditatem contineret, & virtutem acquireret, ſicque promiſſa a Deo præmia obtineret. Nec legibus veſtris, nec ſuppliciis impii cohibentur, quia ſciunt, vitia ſua, & crimina latere vos poſſe, qui nihil ſupra hominem eſtis; ſi vero firmiter crederent, Deum eſſe, a cujus vultu nihil eorum, quæ agimus, vel cogitamus, abſcondi poſſit, nunquid vos ipſi mihi concedere deberetis, tunc ſaltem metu pœnarum tales ad frugem reduci poſſe. Vos vero, Principes! timere videmini, ne omnes probi fiant, & ita vobis homines deſint,

Sæculum II. A. C. 150.

desint, quos puniatis; quæ indoles profecto carnificem magis, quam bonos Principes deceret.

§. XXXVIII.

Doctrina Christiana.

Tum S. Justinus Doctrinam Christianam explanans, ait; a Christianis adorari primo loco æternum Patrem, rerum omnium Conditorem, secundo loco Filium ejus JEsum Christum, sub Pontio Pilato crucifixum, & tertio honorari Spiritum Propheticum. Ut, Christianos non insanire, demonstraret, licet hominem adorent crucifixum, ait; hominem hunc, esse Rationem supremam, quæ suis sequaces ex toto converteret; aliquando enim, subinfert: *Lascivia delectebamur, nunc vero puritatem amamus; aliquando artis magicæ arcana scrutabamur, nunc solius Dei Bonitati confidimus; aliquando media divitias cumulandi, & aliena rapiendi quærebamus, nunc nostra in Confratrum levamen communia facimus. Inimicos nostros odio capitali prosequebamur, nec nisi cum confratribus juxta veterem consuetudinem comedere dignabamur; at post adventum JEsu Christi omnes familiariter convivimus, & pro inimicis nostris preces ad Deum fundimus. Cæterum omnes vires convertendis nostris Persecutoribus impendimus, ut JEsu Christi* p. 61.

Sæculum II. A. C. 150.

præceptis collum inclinantes, eadem a Deo bona sperent, quæ nos speramus. Et rursus: *Multos digito monstrare possemus, qui, cum antea moribus essent violentis, & furiosis, postquam se nobis junxerunt, partim proximorum suorum moderatione, partim sociorum in itineribus singulari patientia, aut in negotiis commissis perspecta eorum integerrima fidelitate, mutati, & ad humanitatem reducti sunt.*

S. Justinus deinde quædam præcepta moralia JEsu Christi referens, inquit: *Sermones ejus erant breves, & sententiæ concisæ, non enim erat Sophista, sed verbum ejus erat virtus Dei.* Et postquam S. Evangelii textus de castitate adduxisset, & probasset, Christum etiam solas cogitationes damnare, subjungit: *Multi sunt utriusque sexus, qui ab infantia Doctrinam JEsu Christi secuti, ad annum sexagesimum, vel septuagesimum puritatem servarunt, & fidem meam oppignero, tales inter omnes conditionis Christianos invenire esse. Enumerandæ autem eorum infinitæ multitudini, qui ab impudenti morum licentia ad vitam castigatam transierunt, quis sufficiat?* Pergit deinde præcepta Evangelii declarare de inimicorum dilectione, eleemosina, bonorum abdicatione, patientia, debita Principibus obedientia, & addit: *Unicum itaque adoramus Deum, vobis vero cum gaudio in cæteris*

Sæculum II. A. C. 150.

cæteris omnibus obedimus, Imperatores, Mundi Dominos agnoscimus, & ut vobis cum suprema Potestate rectam imperandi rationem indat, Deo vota facimus. Si vero, dum pro vobis Deum precamur, & vobis totam Religionis nostræ rationem clarissime exponimus, nihilominus sanguis noster vobis vilescit, id tamen damno nostro non fiet; certissima enim fide tenemus, unumquemque in igne æterno juxta operum suorum merita pœnas daturum, & Deo pro mensura Potestatis, sibi commissæ, rationem redditurum.

Ulterius de Generatione Verbi differens, ita loquitur: *Credimus nostram Doctrinam ubique terrarum recipiendam esse, quia vera est, & nobis a JEsu Christo tradita, qui solus est Filius Dei proprie genitus, ejus Verbum, ejus Primogenitus, & Virtus, & ejus voluntate factus homo.* Inferius hæc habet: *Qui Filium cum Patre confundunt, nec ipsum Patrem nosse dignoscuntur, & nesciunt, quod Pater totius universi Filium habeat, qui cum sit Verbum, & Primogenitus Dei, idem cum ipso Deus est, qui olim Moysi, aliisque Prophetis in forma ignis, & specie incorporea apparuit, qui novissime sub vestro Imperio juxta voluntatem Patris, pro salute eorum, qui in eum credunt, ex Virgine homo factus est; qui contemni, & pati voluit, ut mortem morte sua, & resurrectione vinceret.*

p. 68.

p. 96.

Sæculum II.
A. C. 150.

§. XXXIX.

Argumenta ex Prophetiis.

EXinde veritatem Religionis Catholicæ ex Prophetiis, quas Judæi æque, ac Christiani legebant, confirmat. Qui homines Prophetæ fuerint, & memoratu digniſſima eorum vaticinia, JEſum Chriſtum tangentia, refert. Ut vero earum prædictionum, quæ Domini Paſſionem prænuntiabant, certiſſimum eventum demonſtret, diſcere hæc poteſtis, inquit: *p.* 72. ex actis, ſub Pontio Pilato conſcriptis. Ad eadem acta lectores remittit, ut mi- *p.* 74. raculorum Chriſti veritatem comprobet, cœcos nimirum, & leproſos ſanatos, mor- *p.* 8. tuos ad vitam reſuſcitatos. Cum autem S. Juſtinus timeret, ne rerum futurarum præſcientia divina, quæ ex Prophetiis apparet, a Gentilibus fatum eſſe crederetur, errorem circa fatum refutat, & liberum hominis arbitrium ex his demonſtrat, quod quædam actiones ſint vituperio, aliæ laude dignæ; quod ſæpe homines mores ſuos in melius, aut in pejus mutaſſe dicantur; quod ſublata libertate nec vitio, nec virtuti locus foret; itaque bonum, & malum in arbitraria hominum opinione conſiſteret; additque, id affirmari, cum rectæ rationi adverſetur, ſine ſumma impietate, & ſumma *p.* 82. injuſtitia non poſſe. Ait deinde; Dæmonum

num instinctu latam fuisse pœnam mortis in eos, qui libros Hystaspis, Sybillarum, aut Prophetarum legerent; *qua tamen lege*, inquit: *ab eorum lectione, & expositione nos deterreri non patimur.* Nullum hujus Hystaspis scriptum nobis est; sed nomen ejus Persam fuisse indicat; versus autem, qui Sybillarum nomine supersunt, & tunc temporis pro genuinis habebantur, sunt partus suppositius. S. Justinus tempus, quo hæc scripserit, indicat, dum dicit, JEsum Christum sub Cyrenio natum fuisse ante centum, & quinquaginta annos. Ait etiam ante Christi Nativitatem Christianos fuisse, eo quod JEsus Christus sit Verbum Dei, & summa Ratio, de qua totum genus humanum participat; eosque qui secundum lumen rationis vixerunt, esse Christianos, quibus Socratem accenset, putans eum in omnibus rectam rationem fuisse secutum; quod tamen veritati non invenitur consentaneum.

Sæculum II. A. C. 150.

p. 83.

Postquam illustriora Prophetarum vaticinia de gemino JEsu Christi adventu, Jerosolymæ excidio, & Gentilium vocatione retulisset, sic pergit: *Tot, tantaque, quæ sub oculis omnium sunt, sufficere, ut reor, debent, ad fidem Religioni Christianorum adstruendam prudentibus, iisque, qui sincere veritatem amant, & quibus aut mentis levitas, aut pravi affectus judicandi facul-*

Sæculum II. A. C. 150.

facultatem non abstulerunt. Illi vero, qui fabulas Poetarum juventuti vestræ discendas tradunt, quæro, quibus argumentis eas probent? dum nos easdem fabulas in Generis humani perniciem ope Dæmonum fuisse excogitatas demonstramus. Qui Poetarum figmenta docebant, erant Grammatici, unicum ferme juventutis Romanæ studium. Tum Gentilium Philosophos multa dogmata ex Prophetis, sicut speciatim Platonem ex Moyse hausisse asserit, &

p. 92. hæc subjungit: *Inter nos Christianos veritates ad Religionem spectantes docere possunt etiam illi, qui litteras non noverunt, sermone quidem rudes, & barbari, at in Spiritu fideles, & sapientes.*

§. XL.

Gentilium Crimina tolerata.

Inferius S. Justinus conqueritur, solam Christianorum Religionem infestari, dum interim omnium sectarum errores, & superstitiones tolerarentur. *Sunt,* in-

p. 68. quit: *qui arbores, alii, qui fluvios, glires, catos, crocodilos, & multas Bestiarum species adorant; sed nec Imperii Romani subditi omnes etiam eosdem Deos colunt; in alio loco, alii sunt Dii; ita ut vos ipsi, inter vosmetipsos collati, impietatis in Deorum quemquam argui debeatis. Qua igitur fronte Christianis objicitis, quod Deos vestros non adoremus, nec mortuis libatio-*

Sæculum II. A. C. 150.

libationes, coronas, sacrificia offeramus? cum minime vos lateat, inter illos, qui Christiani non sunt, quid pro Deo, vel Bestia, vel victima habendum sit, nullatenus convenire. Ulterius objicit, quod seductores, qui post JEsu Christi Ascensionem pro Diis coli, & adorari voluerunt, publica pœna non fuerint affecti; *qualis fuit,* inquit: *Simon Samaritanus ex oppido Gitton, qui sub Imperio Cæsaris Claudii palam veneficus, & Dæmonio obsessus, Romæ in vestra Imperiali urbe pro Deo habitus est, & divinis honoribus cultus; eidem enim statuam in Tyberi, inter duos pontes mediam, erexistis, cum inscriptione latina: Simoni Deo sancto; qualis fuit Menander Simonis Discipulus, qui magnam populi multitudinem Antiochiæ pervertit; qualis est ante oculos nostros Marcion, docens, alium adorandum esse Deum, rerum omnium Creatore majorem. Hi omnes Christianum Nomen jactitant; an vera sint, quæ de ipsis feruntur, ipsos nempe faces extinguere, carnem humanam devorare, abominationes, quas nominare nefas est, perpetrare, nescimus quidem; id vero minime ignoramus, tales a vobis, qui innoxios Christianos hac luce privatis, nullatenus morte dignos existimari, quamquam eorum de Religione opiniones sine manifesto Deorum vestrorum contemptu tolerari, vel dissimulari minime possint.*

p. 69.

p. 91.

Apud

Sæculum II. A. C. 150.

Apud Gentiles moris erat, proles ſuas, quas aut premente paupertate, aut alia de cauſa alere nollent, exponere, quam inhumanitatem Philoſophorum ſententia comprobabat. Hujus rei occaſione S. Juſtinus in hunc modum loquitur: *Nos Chriſtiani impios eſſe illos parentes credimus, qui infantes ſuos projiciunt, videmus enim plerumque tales ideo educari,* (*) *ut proſtituantur. In omnibus Pro-*

Plato S. Reſp. p. 461.

p. 70. *vinciis turbæ infantum videntur, pudendo commercio deſtinatorum, quibus non aliter, quam pecorum gregibus alimenta præbentur; vos vero, cum tales toto veſtro Imperio exterminare oporteret, ex his tributa veſtra augetis; & illis, qui his miſeris ad explendam libidinem abutuntur, execrabili caſu poteſt contingere, ut proprias proles inceſtent.* Omnia quæ de his S. Juſtinus ſcripſit, non refero; hæc autem ſufficiunt, ut dignoſci queat, quales Romanorum mores fuerint ſub Principe inter reliquos facile ſapientiſſimo. Tum

p. 71. ita proſequitur: *Nos ne forte infantes, ſi exponerentur, pereant, & infanticidii nos reos faciamus, hunc ſolum in finem matrimonia inimus, ut proles inde ſuſcepta alatur; aut vero in perpetua continentia a nuptiis abſtinemus. Alexandriæ Chriſtianus, ut perſpectum vobis faceret, laſciviam, cujus*

(*) Nempe qui a Republica educabantur.

Sæculum II. A. C. 150.

cujus incusamur, a nostris Mysteriis quam longissime abesse, libellum supplicem Felici Præsidi obtulit, quo petebat licentiam, ut a quodam Chirurgo excecaretur; hanc enim ad hoc opus esse necessariam ajebant; cum Felix his precibus respondere nollet, juvenis propriæ conscientiæ testimonio acquievit.

§. XLI.

Baptismus & Eucharistia.

Tandem cum S. Justinus calamum ea de causa potissimum strinxisset, ut Christianorum cœtus, & cæremonias a calumniis, & criminationibus liberaret, arcana Religionis, quamvis alias illa Gentilibus revelare non liceret, publicare non timuit. De Baptismo igitur ita loquitur: *Jam exponemus, quomodo Deo consecrati simus; & per Christum renovati, ne forte idipsum malitiose reticuisse credamur.* p. 93. *Si qui veritatem nostræ Doctrinæ agnoverunt, & huic Doctrinæ conformem vitam instituere promittunt, hos ad jejunandum, & orandum, & ut a Deo remissionem peccatorum suorum commissorum petant, obligamus, nosque simul cum iis oramus, & jejunamus; tum ad aquam ducuntur, ibique regenerantur, sicut nos regenerati sumus, in aqua enim lavantur in Nomine Domini Dei Patris rerum omnium, & Salvatoris nostri JEsu Christi sub Pontio Pilato*

Sæculum II. A. C. 150.

Pilato crucifixi, & Spiritus ſancti, qui per Prophetas omnia, quæ Chriſtum tangebant, prædixit. Hanc ablutionem vocamus illuminationem, quia per eam animæ illuminantur.

p. 94.

p. 97.

Hac ablutione facta novum Fidelem, ſeu ut appellare ſolemus, ſuſceptum in fratrum numerum ad locum ducimus, ubi omnes congregati ſunt ad communem orationem, quam offerunt pro ſe, pro illuminato, & pro fratribus abſentibus, ubicunque ſint, ut poſtquam veritatem agnovimus, per opera, & Præceptorum obſervationem ad ſalutem æternam pervenire valeamus. (*) *Finitis precibus oſculo nos ſalutamus. Tum illi, qui fratribus præeſt, panis, & poculum cum vino, & aqua porrigitur; hæc ille accipiens, laudem, & gloriam dat Patri per Nomen Filii, & Spiritus S. & prolixam Gratiarum actionem pronuntiat pro donis, quæ nobis gratificatus eſt. Quando preces, & Gratiarum actiones complet, omnis aſſiſtentium multitudo elevata voce reſpondet: Amen, quod eſt Hebraice; ita fiat. Tandem illi, qui apud nos dicuntur Diaconi, omnibus aſſiſtentibus conſecratum panem, vinum, &*

(*) His S. Juſtini verbis contra Lutherum nihil efficacius, ad probandum, obſervationem præceptorum, & opera ad Salutem æternam non eſſe inutilia.

Sæculum II. A. C. 150.

& aquam distribuunt, & absentibus deferunt.

Illam escam appellamus Eucharistiam, nec ulli de ea participare licet, nisi dogmata nostræ Doctrinæ credat, nisi in remissionem peccatorum, & in novam vitam ablutus sit, & vitam juxta normam Præceptorum JEsu Christi ducat; nec enim ea tanquam panem vulgarem, & potum ordinarium sumimus, sed, sicut per verbum Dei JEsus Christus caro factus est, & carnem, & sanguinem pro nostra Salute assumpsit, ita hoc alimentum, per orationem verbi ejus sanctificatum, fit caro, & sanguis ejusdem JEsu Christi incarnati, quod alias per alterationem, quæ in nutritione contingit, in carnem nostram, & sanguinem nostrum verteretur. Postea eadem Mysteria alter alteri in memoriam reducimus; quibus opes sunt, pauperes adjuvant, & semper conjuncti vivimus, in omnibus his Sacrificiis benedicimus Creatorem per Filium ejus JEsum Christum, & Spiritum Sanctum.

Die, quæ appellatur solis, ita Diem Dominicam Pagani nominabant, *omnes sive in civitate, sive ruri habitent, in unum locum conveniunt; ibi Scripta Apostolorum, & Prophetarum leguntur, quamdiu ratio temporis admittit; cessante lectore, qui Congregationi præest, pro concione dicit, & ad ea, quæ lecta sunt, præclarissi-*

Sæculum II. A. C. 150.

ma documenta, opere complenda, populum hortatur. Tunc ſurgimus omnes, & ad orationem vertimur, quam ſequitur, ſicut dixi panis, vini, & aquæ ſacrificium, & Prælatus preces, & Gratiarum actionem, prout poteſt, perficit, toto populo reſpondente, Amen. Tunc ſanctificata inter præſentes diſtribuuntur, & abſentibus per manus Diaconorum deportantur. Opulentiores libere, prout volunt, ſtipem largiuntur, & quod eo modo colligitur, apud Prælatum deponitur, quibus collectis ipſe orphanis, viduis, illis, qui per infirmitatem, vel quacunque aliam cauſam ad inopiam redacti ſunt, captivis, & peregrinis ſuccurrit; ut verbo complectar omnia, Prælato omnium illorum, qui qualicunque neceſſitate premuntur, cura incumbit. Mos eſt, ut die ſolis conveniamus, quia hæc eſt prima dies, qua Deus Mundum condidit, & eadem die JEſus Chriſtus reſurrexit, ſuis Diſcipulis apparuit, & ea, quæ vobis expoſuimus, docuit.

Itaque, Principes, ſi inſtitutum noſtrum, & Religio, quam expoſuimus, rectæ rationi concordare videtur, profecto veſtra conſideratione, & reverentia dignam eſſe oportet; ſi vero eam eidem rationi adverſari exiſtimatis, rejicite; tantum ne ideo tot innocentes animas, ne quidem veſtris in tribunalibus ullius culpæ convictas, morti addicite; hoc enim vobis certiſſimum, & infalli-

Sæculum II. A.C. 150.

infallibile denuntiamus, si tam apertam, clarissimamque judiciorum iniquitatem non corrigatis, nihil esse, quod strictissimum Dei judicium a vestris cervicibus possit avertere. Nos autem dicemus: voluntas Dei in omnibus adimpleatur. Magni, & illustrissimi Cæsaris Hadriani Patris vestri Epistola preces nostras firmare potuissemus, at consultius esse duximus, si soli postulatorum nostrorum æquitati inniterewur. Tum hanc Hadriani ad Minutium Fundanum datam epistolam descriptam apponit. Ita prima S. Justini Apologia clauditur. Qualis hujus Apologiæ fuerit effectus, nescitur; attamen sub his Principibus permulti Martyres in toto Romano Imperio numerantur.

§. XLII.

Martyrium S. Felicitatis.

Circa hæc tempora a Gentilium Sacerdotibus Romæ, commota seditione, Felicitas, illustrium natalium fæmina, cum septem filiis est comprehensa. Vidua hæc erat, quæ, defuncto marito, continentiam Deo voverat, & piorum omnium ædificatione diu, noctuque orationi vacabat. Popæ Imperatorem Antoninum adeunt; hanc viduam cum filiis suis Diis insultare, eorumque iracundiam concitare. Antoninus Publio Romæ Præfecto imperat; hanc fæminam cum filiis

Greg. hom. 3. in Ev. acta Martyr. sincera p. 21.

Sæculum II. A. C. 150.

ſuis ad mitigandam Deorum iram ſacrificare cogat. Præfectus, privatim ad ſe adduci juſſam, blanditiis terrores miſcens, ad obedientiam permovere fruſtra conatus, ad ultimum hortabatur, ne ſaltem filios ſecum perditos vellet; at conſtantiam fæminæ non fregit. Altera die in area Martis pro Tribunali ſedens, eam cum filiis ſiſti jubet, ipſa vero immota, & verſa ad filios, *oculos in altum levate filii!* inquiebat, *cælum aſpicite! ibi JEſus Chriſtus vos cum Sanctis ſuis exſpectat. Fideles in ejus amore eſtote, & pro ſalute animarum veſtrarum certate.* Talia loquentem juſſu Præfecti alapa percutiunt, dicentis: *Audacula! hæc tu in mea præſentia contra Principum mandata filiis ſuadeas?* Tum ſeptem filios diviſim ad ſe vocat; primus nomine Januarius Chriſtum intrepide confeſſus eſt, virgis cæſus, & in carcerem miſſus. Secundus nomine Felix pariter confeſſus, ductus eſt in carcerem, ſicut etiam alii quinque Philippus, Silanus, Alexander, Vitalis, Martialis, omnes in confeſſione fidei conſtantes. Poſtquam Præfectus habitæ quæſtionis tabulas ad Antoninum detulit, juſſit ille ſingulos diverſis judicibus tradi diverſe puniendos. Horum judicum unus primogenitum inter fratres plumbatis, id eſt, loris, in quorum extremitatibus glandes plumbeæ inſertæ, cædi jubet; in quo tor-

tormento efflavit animam. Sub alio judice secundus, & tertius fustibus contriti. Sub alio quartus in prærupta præcipitatus; & sub alio quintus, sextus, & septimus capitis obtruncatione sublati. Sub alio rursus etiam Mater decollata. Talis horum Martyrum exitus fuit. Sæculum II. A. C. 158.

Constat tamen, Imperatorem Antoninum Pium aliqua Edicta publicasse, Christianis faventia; cum plures Provinciarum Rectores ad eum de Christianis scripsissent, respondit; Christianos, si nihil contra bonum Reipublicæ molirentur, non esse vexandos. Eadem mandata urbibus, nominatim Lariſſæ, Thessalonicæ, Athenis totique Græciæ dedit. *Marc. apud Euſ. IV. hiſt. cap. 15. V. Valeſ. not. Melito. ap. Euſ. IV. hiſt. c. 26.*

§. XLIII.

Quæstio Paschatis celebrandi. S. Polycarpus Romæ.

Antonino imperante, anno JEsu Christi centesimo quinquagesimo octavo, S. Polycarpus Episcopus Smyrnensis Romam venit, dum Anicetus Papa gubernabat Ecclesiam. Huic itineri occasionem dederant diversæ de celebrando Paschate opiniones. Romæ, Alexandriæ & in toto Occidente consuetudo erat Pascha celebrandi Die Dominica; in Ecclesiis autem Asiæ semper decima quarta mensis primi, in quamcunque hebdomadis diem incidis- An. 158.

Sæculum II. A C. 158.

Euſ. IV. hiſt. c. 14. Chron. Alex. ann. 158. Iren III cap. 3. Euſ. IV. hiſt. c. 14. Socr. V. hiſt. c. 21. Euſ. V. hiſt. c. 23. Beda rat. temp. 42.

ſet, celebrabatur, quod erat mori Judæorum conforme, ajebantque, hanc ſe traditionem a S. Joanne Apoſtolo habere. SS. Anicetus, & Polycarpus, collatis ſententiis, protinus in hoc conſenſerunt, ne propter hanc quæſtionem, quæ diſſenſionis caput eſſe videbatur, vinculum charitatis rumperetur; cœterum nec S. Anicetus S. Polycarpo, ut a more ſuo recederet, nec S. Polycarpus S. Aniceto perſuadere potuit, ut morem Aſiæ imitaretur, cum S. Anicetus diceret, ſe veterum anteceſſorum ſuorum conſuetudinem licite mutare non poſſe. Hoc pacto SS. viri communicarunt, & S. Anicetus S. Polycarpi hoſpitis honori dedit, ut ipſe Euchariſtiam conſecraret; S. Polycarpus enim ab omnibus tanquam vir vere Apoſtolicus colebatur, eratque Spiritu Prophetiæ præditus. In pace igitur a S. Aniceto diceſſit, & tunc quidem hæc pax omnibus Eccleſiis communis fuit, tam Paſcha die decima quarta, quam Die Dominica celebrantibus.

Iren. III. c. 3.

S. Polycarpus, cum adhuc Romæ eſſet, in hæreticum Marcionem quadam die incidit, cui interroganti, an ſe noviſſet, reſpondit: novi primogenitum Satanæ. Idem, ſi forte quamdam propoſitionem Doctrinæ Catholicæ adverſam referri audiret, aures occludere, & exclamare ſolebat: Bone Deus! in quæ me

Iren. apud Euſ. V. hiſt. c. 20.

ſervaſti

servasti tempora? & ubicunque sive sedens, sive stans audivisset blasphemiam, ex hoc loco fugiebat. Valentinus hæreticus, qui sub Pontifice Hygino Romam venerat, adhuc ibi sub Aniceto degebat. Mulier nomine Marcellina Gnosticorum de secta multos Romæ pervertebat, at S. Polycarpus Romæ tunc commoratus, plures a Valentino, & Marcione seductos in sinum Ecclesiæ reduxit; Ipsi Valentinus, & Marcion errores suos ficte abjurarunt, & in Ecclesiam recepti sunt; Marcion etiam pecuniam dedit, quæ ipsi reddita, dum secundo ejectus est. Sæculum II. A. C. 158.

§. XLIV.

Hegesippus.

Eodem tempore Hegesippus Romæ erat; is natus Judæus, fide Christi susceptа, quinque libros de Historia Ecclesiastica a Passione JEsu Christi ad sua usque tempora scripsit, in quibus sincere Traditiones Apostolicas stilo simplici collegerat; quamvis enim esset doctissimus, Apostolos sicut vivendi ratione, ita & scribendi methodo imitabatur. In itinere Romam constitutus multis Episcopis collocutus est, eosque omnes in eadem Doctrina, & Regulis concordes invenit. Corinthi, ubi aliquanto tempore mansit, sæpius cum Primo urbis Episcopo conversatus est, quod utrique perjucundum accidit, & Hege- *Euſ. IV. hiſt. c. 8. 14. 22. Hieron. de ſcript.*

Sæculum II. A. C. 161.

sippus cognovit, Ecclesiam Corinthiorum illo usque in vera, & sana Doctrina constanter perseveraſſe. Ubi Romam venit, illic usque ad Eleutherii, qui tunc sub Papa Aniceto Diaconus erat, Pontificatum permansit. Satis constat, Anicetum Papam anno centesimo sexagesimo primo e vivis exceſſiſſe, & quod Soter ejus Succeſſor ad annum centesimum septuagesimum sederit, qui Eleutherii primus fuit. Universim Hegesippus testatur, suo tempore nullam sedem Episcopalem, incipiendo ab Apostolis, neque ullam urbem fuiſſe, ubi non fideliter ea omnia, quæ lex præcipiebat, Prophetæ docuerant, & ipse Dominus prædicaverat, servarentur. Hegesippum Ecclesia inter Sanctos numerat, scripta vero ejus omnia perierunt, si paucula fragmenta excipias, quæ nobis servavit Eusebii industria.

An. 161.

Soter Papa.

Martyr. Rom. 7. Apr.

§. XLV.

Mors Antonini. M. Aurelius Imperator.

Aurelius Antoninus Philosophus Imperator & Lucius Verus

Imperator Antoninus Pius vivere desiit anno JEsu Christi centesimo sexagesimo primo; anno ætatis septuagesimo, Imperii vigesimo secundo. Succeſſerunt duo ejus filii adoptivi, Marcus ejus nepos, & Gener, & Lucius. Marcus erat filius Annii Veri Imperatricis Fauſtinæ fratris,

fratris, cujus filiam duxerat eodem nomine Fauſtinam dictam; propter adoptionem aſſumpſit nomen Aurelii Antonini, nobisque potiſſimum ſub nomine Marci Aurelii notus eſt. Sæculum II. A. C. 161.

Lucius filius erat Lucii Ceionii Commodi, ab Hadriano adoptati, dicebatur etiam Verus, & Antoninus, ſub nomine autem Lucii Veri notiſſimus eſt; Lucillam Marci Aurelii filiam duxerat. Tunc primum factum, ut Roma duos Imperatores veneraretur. In Lucii indole nihil laude dignum reperias; at Marcus Aurelius vir eximiæ virtutis, & rebus gerendis aptiſſimus erat, Philoſophiam aperte profeſſus; nihil enim illa melius in genere morum Gentiles noverant, hinc ſæpius Marcus Antoninus Philoſophus dicitur; quod autem Philoſophiam amaret, non ideo minus erat ſuperſtitioſus. Octennis Imperatoris Hadriani juſſu Saliorum Marti conſecratorum ſocietati adſcriptus fuerat; in hac omnia munia gradatim obivit, multos ipſe ſuſcepit, alios dimiſit, nemine verba ſolemnia ſuggerente, quæ ipſe memoria retinuerat. In rebus Religionem ſpectantibus opinionis conformitatem cum Numa affectabat, ex cujus ſanguine ſe ortum ducere credi cupiebat; hinc antiquæ Romanorum Religionis obſervantiſſimus volebat videri, & illarum legum, quibus invectio Religionum peregri-

Capitol. in M. p. 29.

Sæculum II. A. C 161.

regrinarum vetabatur. Philosophiæ secta, cui nomen dederat, erat illa Stoicorum, inter omnes maxime superstitiosa, in iis, quæ semel placuerant, judicii inflexibilis, in delinquentes severitatis inexorabilis.

Capitol. p. 32 Ita animo comparatum M. Aurelium, mirum non est, Christianos fuisse persecutum; quamquam alias Clementis nomen ambiret, & delicta infra meritum punire solitus esset; siquidem nullum mandatum, quo universim eos damnaret, contra Christianos edidit, attamen persecutiones in multis Provinciis vehementissimas toleravit. In collectione sententiarum de moribus, ab hoc Imperatore scripta, quam habemus, sic differit; omnem hominem omni tempore ad mortem debere esse paratum, non simplici obstinatione sicut Christianos, sed judicio nostro, comitante ratione, & gravitate, ita, ut aliis sine clamosa ambitione persuadeamus, rationabilem esse causam, ob quam instanti malo mortem præferamus. Ex his verbis constat, quam parum causa, ob quam Christiani fortiter mortem tolerarent, ipsi fuerit perspecta. Aliunde vero a Philosophis Gentilibus in Christianos incitabatur, quorum solidas virtutes illi patienter ferre non poterant, eo quod eorum inanem garritum proderent. Inter Christianorum hostes tunc insignis

M. Anton. lib. XI. n. 3.

insignis fuit Crescentius Cynicus, in S. Justinum odio lethali flagrans. Erat is Patria Megalopolita, bipedum flagitiosissimus, cui tamen nec sordida avaritia, nec libidinis infamia nocuit, quo minus ab omnibus honoraretur. Ab Imperatore in annuam pensionem accipiebat sexcentos asses aureos, nummis argenteis mille ducentis æquivalentes. Christianos Atheismi incusabat, de Religione judicans, quam nesciebat. Sæculum II. A. C. 161.

Just. Apol. p. 47. Tatian. in Gent.

§. XLVI.

Mors Cynici Peregrini.

Alius quidam Cynicus tunc temporis insolens exemplum dedit, quousque vana hominem ostentatio possit impellere. Is fuit Peregrinus, alio nomine Proteus, Parii in Troade natus, patria propter crimina expulsus; nam adulterii, & veneris, adulterio pejoris, convictus fuerat; constans etiam omnibus erat, eum Patrem suum suffocasse, quod mortem ejus exspectare longum nimis credidisset. Per varias terras profugus, venit in Palæstinam, ubi Christianis adscriptus est; cumque ingenio valeret, tantam sibi peperit existimationem, ut ad prima Ecclesiæ subsellia promoveretur; propter fidem Christianam missus est in carcerem, ex quo virtutis opinio mirum quantum excrevit;

Luc. de mort. Pereg.

Sæculum II. A. C. 161.

crevit; omnem lapidem moverunt Christiani, ut eum liberarent, cum autem nihil efficerent, omne captivo auxilii genus impenderunt; primo mane anus, viduas, orphanos ad carceris ingressum exspectantes videre erat; fidelium primores, conciliatis sibi custodibus, intus cum ipso noctem piis colloquiis consummebant. Cibi non modo pro necessitate, sed ad abundantiam conferebantur. Ecclesiæ quædam Asiæ Legatos miserunt, qui eum invisérent, consolarentur, & subsidia deferrent; in his enim occasionibus Christiani nullis parcebant sumptibus. Per hanc charitatem factum, ut Peregrinus persecutionis specie multam pecuniam coacervaret.

Syriæ Prætor, Philosophiæ amans, videnque hunc hominem mortem contemnere, eum libertati restituit. Tum in Patriam reversus, eos, qui se propter Parricidium adhucdum volebant in judicium trahere, bona sua civitati cedens, mitigavit, verique Philosophi nomen acquisivit. Exinde nova suscepit itinera, certus, quod per charitatem Christianorum laute esset victurus; hos equidem aliquamdiu adhuc decepit, sed aliquando carnibus lege vetitis, forte immolatis, vesci deprehensus, Christianorum communione excluſus est, cum, qualis esset, innotuisset. Hinc in bona sua restitui implo-

implorata Cæsaris auctoritate cupiit, at non obtinuit; ergo iterum ad profectiones adjecit animum. In Ægypto omnia, quæ cœteris hominum erubescenda videntur, si Cynicos excipias, sine rubore perpetravit, ut se omni respectu humano liberum ostenderet; in Italia omnium famam maledico dente laceravit, præprimis vero Imperatoris, usque dum urbis Præfectus, Cynicum hunc canem, Principis Bonitate abutentem, abegit. Sed id ipsum honori fuit apud stupidos. Inde in Græciam divertit, omnium existimationem proscindens, & populos ad seditionem excitans, quibus non obstantibus, a multis, quamdiu in Athenarum suburbiis quodam tuguriolo moraretur, magni factus est. Sæculum II. A. C. 161.

Tandem cum se consenuisse videret, & inter suos viluisse, quod nihil amplius novi faceret, vel doceret, illustrem sui memoriam ex mortis insolentia posteris relinquere statuit. In conventu ludorum Olympicorum, qui erant in Græcia præ cæteris omnibus solemnia, publice promisit, quod Olympiade sequenti seipsum esset combusturus. Stetit promisso. Primo anno Olympiadis ducentesimæ trigesimæ sextæ, finitis ludis, ingentem exstrui rogum jussit; nocte deinde veniens, multis Cynicorum de grege comitantibus, & spectantibus, rogum incendit; *Euf. Chron. An.* 166.

Sæculum II. A. C. 165.

cendit; tum abjecta pera, palliolo, & baculo, in quibus universus constabat Cynicorum instructus, primum Thus in ignem injecit, & conversus ad meridiem ait: *Dæmones Patris, & Matris meæ favete mihi, & suscipite;* his in medios ignes insiliit, flammisque in altum surgentibus, amplius de eo nihil apparuit.

An. 165.

Tragicus hic lusus contigit anno JESU Christi centesimo sexagesimo quinto.

§. XLVII.

Apologia Athenagoræ.

Eus. Chron. An. 166. *Apud Just. edit.* 1615.

Athenagoras hujus Peregrini facit mentionem in Apologia, quam edidit anno sequenti, ut creditur, centesimo sexagesimo sexto, Imperatoribus Marco Aurelio, & Lucio Vero inscriptam; in qua solos Christianos persecutione premi, conqueritur propter nominis umbram, dum omnibus aliis populis secundum suas Leges, & Religionem vivere conceditur. *Nostris Persecutoribus,* inquit: *satis non est, nobis bona nostra, honorem, & cætera omnia, quæ ab hominibus magni haberi solent, eripere; hæc enim omnia vilipendimus; fide nostra docemur, non solum eos, qui nos percutiunt, non repercutere, nec eos, qui spoliant, in judicio convenire, sed etiam, si quis nos cædat in unam maxillam, porrigere*

&

Sæculum II. A. C. 165.

& alteram, &, si quis tunicam aufferat, etiam pallium dare; hoc vero a nobis nec ferendum, nec dissimulandum, quod, postquam bonis nostris ultro cessimus, etiam nos ipsi, & vita nostra in periculum per iniquissimas criminationes adducatur, quarum suspicio ne quidem in nos cadere possit, quasque in calumniatores nostros jure meritissimo refundimus, & retorquemus. Si quis est, qui nos horum criminum possit convincere, non recusamus meritas pœnas, etiam atrocissimas; si vero in nobis, præter Nomen Christiani, crimen est nullum; vestri officii est, Maximi! & Sapientissimi Principes! justissimis legibus nos tueri. Quæ in hunc usque diem contra nos prolata sunt, in confusis rumoribus consistunt; nullus Christianorum de sceleribus objectis convictus fuit, imo nullus Christianorum scelestus est, nisi hypocrita sit. Orationem deinde in tria membra dividit, & ait: *Tria sunt crimina, quæ nobis fama vulgaris oggerit; Atheismus, carnis humanæ comestio, & incestus; si verax est fama, nec ætati, nec sexui parcite, nos omnes cum uxoribus, & parvulis exterminate. Verum enim vero si inventa sunt, & inimicorum nostrorum calumniæ, omni alio fundamento destitutæ, nisi quod probitas, & innocentia nostra ipsorum invidiæ, & nequitiæ adversetur,* p. 4.

Sæculum II. A. C. 165.

versetur, vestræ erit æquitatis, vitam nostram, Religionem, & fidelissimum, qui optimos subditos decet, in vos affectum examinare, & eodem saltem jure inter nos, & adversarios nostros judicare.

Primo Atheismi suspicionem a Christianis amovere cupiens, multorum Philosophorum exempla affert, qui nullos esse Deos palam profitebantur, nec idipsum his Philosophis fuisse crimini datum. Deinde vero declarat; Christianos unum Deum adorare, rerum omnium Creatorem, qui nunquam esse incepit, quia, id quod est, initium habere non potest, sed tantum id, quod non est; Deum autem Creatorem omnia per Verbum suum condidisse. Ostendit Poetarum, & Philosophorum illustrissimos agnovisse, summum dari Spiritum, qui omnia corpora condidisset, vel saltem gubernaret, eosque sub alio verborum apparatu eandem, quam hodie Christiani profitentur, Doctrinam tradidisse. *Quare igitur*, inquit: *aliis de Deo & dicere, & scribere, quod sentiunt, licet, dum interim Leges nobis solis resistunt, nobis, inquam, qui solide Religionis nostræ capita demonstramus, dum ea, quæ Philosophi, aut Poetæ in medium afferunt, fallibilibus tantum conjecturis nitantur.* Probat deinde, tam ex ratione, quam

quam Prophetarum auctoritate, non nisi unum Deum dari posse; unde concludit hanc orationis partem inquiens: *Quæ cum ita sint, confeciſſe me existimo, nos Christianos non esse Atheos, cum credamus unum Deum æternum, invisibilem, impassibilem, incomprehensibilem, immensum, qui alio modo, quam intellectu attingi non potest. Concipimus etiam Deum habere Filium; nec me hæc dicentem quis irrideat? quæ enim de Deo, & Filio ejus credimus, non sunt similia fabulis Poetarum, Deos fingentium, hominibus nihilo meliores. Filius Dei est Verbum Patris, id est, Idea ejus, & Virtus; nam omnia per ipsum facta sunt, & Pater, & Filius unum sunt. Filius in Patre est, & Pater in Filio per unionem, & virtutem Spiritus; Filius est cogitatio, & Verbum Patris; si ingenio vestro, quod clarum vobis est, & sublime, assequi velitis, quid Nomen Filii significet, paucis exponam.*

Sæculum II. A. C. 165.

Apologia Athenagoræ.

Filius est quædam productio Patris; quod autem non ita accipiendum, quasi Filius a Patre factus esset; nam a Principio, cum Deus esset Spiritus æternus, habebat in se Verbum, & Rationem æternam; sed a Patre processit, ut esset forma, & causa efficiens omnium rerum materialium. Et hoc est, quod dicit Spiritus Propheticus: Dominus possedit me in initio viarum suarum propter opera sua; &

Prov. 8. 22. Sec. 70.

Sæculum II. A. C. 165.

eundem Spiritum, qui agit in Prophetas, esse quemdam effluxum Dei, dicimus, qui sicut solis radius ab eo procedit. Quis

V. p. 17. *igitur calumniam eorum patienter audire*

V. p. 27. *queat, dicentium, nos esse Atheos, cum dari Deum Patrem, Deum Filium, & Spiritum Sanctum asseramus, potentia unitos, & ordine distinctos? Præterea Theologia nostra docet, dari multitudinem Angelorum, quos Creator per Verbum suum distribuit, ut Elementorum, Cælorum, & totius universi ordinem conservent. Rogo autem vos, ne miremini, quod exacte adeo Doctrinam nostram vobis explicem, id enim necessarium duxi, ut veritatem edocti, vulgi opinionibus, omni ratione, & fundamento carentibus, non accedatis.*

Tum instituta comparatione inter Philosophiam moralem Christianam, & inter vanum, sterileque Philosophorum prophanorum studium, subjungit: *Inter nos invenietis quidem homines rudes, vetulas, opifices, qui veritatem fidei suæ*

p. 12. *longis argumentationibus demonstrare nesciunt, at Doctrinæ suæ excellentiam, & utilitatem moribus referunt; argutias memoriter edicere non didicerunt, at bona opera exercent; illatas sibi injurias non ulciscuntur; petentibus largiuntur; proximum sicut seipsos amant. Quare puritatem animi, corporisque tanta cura custodimus? Certe non alia de causa, quam quod*

quod persuasum habeamus, esse Deum, bonorum Remuneratorem, & malorum Vindicem. Post hæc objectionibus satisfacit, quare Christiani Sacrificia cruenta non offerant; quare nec idola, nec quidquam aliud corporeum adorent. Poetarum de ortu Deorum fabulas, & interpretationes allegoricas, quibus Philosophi has fictiones cum ratione conciliare satagebant, refellit; Idola quædam patrasse miracula concedit, quorum causam nullam aliam, quam malorum Dæmonum operam esse ostendit. Dæmonum etiam originem, & naturam explicans, liberum Angelorum æque, ac Dæmonum firmat arbitrium. Inde ad confutandas reliquas duas criminationes convertitur in hunc modum:

Sæculum II. A. C. 165.

p. 25.

p. 27.

Quæ hactenus a me dicta sunt, ad nos ab omnis criminis suspicione absolvendos, sufficere deberent; nullam enim vobis amplius dubitandi causam superesse puto, quin homines, qui recte vitam suam instituendi normam Deum sibi proponunt, eique soli placere cupiunt, toto animo ab ipsa peccati umbra, & minus honesta cogitatione abhorreant. Si enim post hanc vitam nihil timendum, aut sperandum censeremus, tunc quidem suspicio merito in nos caderet, nos carni, & sanguini, avaritiæ, & libidini indulgere; cum vero diu noctuque Deum non solum nostris actionibus, sed etiam verbis,

p. 35.

Sæculum II. A. C. 165.

bis, & cogitationibus præsentissimum credamus; cum Deum lucem esse imensam, & in intima cordium nostrorum perspicere nullatenus dubitemus, cum post hanc mortalem vitam alteram in cælo, ista, ultra quam concipere possumus, excellentiorem speremus, aut, si cum aliis cecideriimus, & peccaverimus, hac vita alteram, infinite miseriorem, perpetuandam in flamis timeamus, mea quidem sententia verosimile esse non potest, quod nos Christiani velimus esse mali, & tremendi Vindicis judicium contemnere audeamus.

p. 36. Ut calumniam incestus facilius repellat, charitatis puritatem, & castitatem Christianorum dilaudat; *Juxta ætatis distinctionem*, inquit: *quosdam diligimus ut filios, alios ut fratres, & sorores, seniores sicut parentes nostros honoramus; itaque magna cura castitatem servamus inter illos, quos tanquam sanguine junctos colimus. Quando osculum pacis damus, caute agimus, & modestia actum Religionis decente, si enim hoc osculum vel minimo cogitationis peccato fœdaretur, nos vita æterna privaret; sed spe vitæ alterius in præsenti sæculo etiam mentis voluptatem repudiamus. Unusquisque uxorem accipit secundum Leges nostras, non alium quam liberos generandi finem habens; & imitatur agricolam, qui postquam semen terræ concredidit, in patientia messem exspectat.*

spectat. Inter nos multos utriusque sexus invenietis, qui cælibes consenescunt, quia in cælibatu perfectiori unione Deo conjungi sperant. Sæculum II. A. C. 165.

Quod vero, Christianos humanas carnes comedere, objicerent, in hunc modum diluit: *Per Legem nostram non licet nobis resistere illis, qui nos percutiunt, neque non benedicere illis, qui nobis maledicunt; nec simplici justitia vivimus, qua par pari referri posse putatur, sed bonitate, & patientia super alios excellere satagimus. Nos ita comparatos quis sanæ mentis plurimorum hominum infandæ cædis suspectos habeat? non enim aliter carne hominis vesci possumus, nisi prius a nobis occisi. Si ex nostris accusatoribus quæsieritis, an id, quod proferunt, viderint, neminem sane eorum adeo depuduisse crediderim, ut affirmare audeat. Interim sunt nobis mancipia, aliis plura, aliis pauciora, oculos certe, & sagacitatem eorum effugere non possumus, & tamen necdum ullum eorum atrox mendacium protulit. Qua fide parricidii, & nefandæ comestionis accusantur illi, qui nec supplicium hominis, etiam jure damnati, conspicere sustinent? nec lubenti animo gladiatorum, aut bestiarum spectaculis, præprimis si a vobis dentur, Principes! assistunt? his igitur spectaculis renuntiavimus, quia parum differre homicidas, & homicidiorum* p. 38.

Sæculum II. A. C. 165.

ſpectatores exiſtimamus. Mulier, partum abigens, apud nos parricidii rea eſt; & quæ infantem ſuum poſt nativitatem projectum derelinquit, infanticidam habemus; quis ergo credat, nos infantes aliquamdiu ſollicite enutritos interimere? in omnibus æqualitatem ſervamus, & rationi obedimus, non autem rationi Leges ponimus. Hæc eſt Apologiæ Athenagoræ ſumma, quæ, ſicut etiam tractatus de reſurrectione mortuorum, ad nos integra pervenit.

§. XLVIII.

S. Polycarpi Martyrium.

Non ideo autem Perſecutio ceſſavit. Anno ſequenti Marci Aurelii ſeptimo, JEſu Chriſti centeſimo, ſexageſimo ſeptimo multi Martyres Smirnæ in Aſia paſſi ſunt. Quos inter clariſſimus eſt S. Polycarpus hujus urbis Epiſcopus, qui a S. Joanne conſtitutus annos circiter ſeptuaginta hanc rexit Eccleſiam. Nonnulli SS. Martyrum ita flagellis conſciſſi, ut corporum interiora, eorumque venæ, & arteriæ conſpici poſſent, cumque ſpectatores, moti commiſeratione, eorum ſortem deflerent, ipſi ora nequidem ad ſuſpiria aperiebant, ignibus, & beſtiis ſuperiores; non nulli, ut ſaltem ſic eorum patientia frangeretur, acutis teſtarum fragmenti incubare coacti, exquiſitis tormentis cruciabantur.

Euſ. Chron. An. 167. Ibid. IV. hiſt. cap. 14. Epiſt. Eccl. Smirn.

Præ

Præ aliis ſpectantium oculos in ſe convertit juvenis, nomine Germanicus, cui Proconſul perſuadere conabatur; ſeipſum ſuiipſius miſereſceret, & juventuti ſuæ parceret; at ille impavidus ceſſantem belluam manibus laceſſens, ut cito diſcerperetur, effecit. Non nullis tamen Chriſtianorum, quamquam paucis, ferendæ morti animus deficiebat; quidam nomine Quintus ex Phrygia, nuper ex patria advectus, ad conſpectum Beſtiarum expavit; is non tantum ſeipſum ultro perſecutoribus obtulerat, ſed etiam alios attraxerat, cum vero ad Beſtiarum terrorem, Proconſulis blanditiæ acceſſiſſent, ſeductus, per Deos juravit, & ſacrificavit; quo exemplo didicerunt Chriſtiani, neminem temere ſe periculo debere exponere. Cæterorum autem conſtantia, & virtute irritati Gentiles uno clamore poſtulant; aufferri debere impios, & perquiri Polycarpum. Ipſe Polycarpus ſciens, quæ agerentur, imperturbato animo domi ſuæ manere volebat, ſed amicorum precibus flexus, in campeſtria exiit, ubi in domo quadam, haud longe diſſita, cum pauciſſimis latuit, dies atque noctes in fundendis precibus pro omnibus totius orbis Eccleſiis conſumens, hic erat enim ipſius precandi modus. Triduo antequam comprehenderetur, oranti, viſum eſt, cervical

Sæculum II. A. C. 165.

Sæculum II. A. C. 165.

ſuum ardere; illico ad domeſticos converſus, ait: Amici! vivus comburar; quod ſpiritu Prophetico dixit. Dum pertinaciter a perſequentibus inquireretur, in aliam domum agreſtem fugit, quo illi ſimul ingreſſi, occultatum tamen non invenerunt, at duos pueros ſecum abduxere, ex quorum altero indicium, ubi Epiſcopus eſſet, per tormenta expreſſerunt.

Igitur quadam die Veneris veſpere lictores, equitesque armati, quaſi latronem capturi, itineri ſe dederant duce puero; multa jam nocte advenientes S. Polycarpum in ſuperiori cubiculo decumbentem inveniunt; etiam hac vice potuiſſet in aliam domum fugere, ſed noluit, dicens: Fiat voluntas Domini! audiens ergo adventantium ſtrepitum, deſcendit ad eos, & ſalutavit; ipſi mirantes conſtantiam viri, & ſenectutem, inquiebant: Certe tanta feſtinatione opus non fuiſſet, ut bonum ſenem caperemus; tunc iis omnibus apponi juſſit, quæ manducarent, & biberent, quantum vellent, rogans, ut unam ſibi horam concederent, qua libere ad Deum oraret; hac licentia obtenta, ſtans oravit, animante divina Gratia, & duabus horis tenuit oratio; audientes ſtupebant, multosque jam pœnitebat, quod ad vinciendum ſenem, virum pene divinum, veniſſent; in iſta

oratione

oratione S. Polycarpus commemorationem fecit omnium, quoscunque unquam noviſſet, magnorum, & puſillorum, divitum, & pauperum, totiusque Eccleſiæ Catholicæ per univerſum mundum diſperſæ. Sæculum II. A. C. 165.

Oratione completa, & inſtante diſceſſus hora, aſino impoſitum, in urbem deducunt; erat dies magna Sabbati, id eſt, ut creditur, vigilia Paſchæ. Herodes Irenarcha, & Nicetes Pater ejus Polycarpo obviam provecti, eum in currum ſuum ſuſcipiunt. Irenarcha in iſtis civitatibus erat Magiſtratus, cui ſeditioſos coercere incumbebat, & tranquillitati publicæ invigilare; nempe hoc nomen Judicem pacis ſignificat. Herodes, & Nicetes, dum curru veherentur, dicebant ad S. Polycarpum: Quid hoc mali ſit, dicere, Domine Cæſar! ſacrificare, & vitam ſervare? primum S. Polycarpus ad hæc nihil reſpondebat; cum vero urgerent, ait: non faciam, quod ſuadetis. Tum convitiantes, eum vehiculo exturbant, tanto impetu, ut caderet, & in crure læderetur; nihilominus mente immotus, quaſi nihil tuliſſet, hilariter incedens, ad Amphitheatrum deductus eſt. Tantus erat ibi fremitus, ut intercluderetur aurium uſus. Cum ingrederetur, vox de cœlo audita eſt: macte animo, Polycarpe! & conſtans eſto. Nemo loquentem vidit, at præſentes Chriſtiani vocem audierunt. S. Polycarpi Martyrium.

v. Aug. ep. 140. *& 159. & lib.* 99. *Cod. Theol. de decur.*

Sæculum II. A. C. 165.

Cum ex turba fuisset progressus, jamque scirent omnes, esse adductum, magnus tumultus percrebuit. Tum Proconsuli sistitur, cui interroganti, num ipse esset Polycarpus, se vero esse respondit. Proconsul, ut Christum negaret, suadebat, ætati suæ parceret, & alia ad seducendos Christianos dici solita, per fortunam Cæsaris juraret, ad mentem rediret, & diceret: tollantur impii! hæc erat solita Gentilis populi contra Christianos acclamatio. S. Polycarpus vultu severo in multitudinem populi infidelis, Amphitheatrum occupantis, circumspiciens, manu versus eos extensa, & levatis in cœlum oculis, cum suspirio dixit: tollantur impii; desiderium ardens eorum conversionis testatus. Rursus Proconsul instabat: Jura! Christum injuriare! & dimittam te. Cui S. Polycarpus: *Octoginta sex annis Christo servio, nec unquam mihi quidquam mali fecit, quomodo ergo possem blasphemare Regem meum, & Salvatorem?* Et Proconsule necdum urgere cessante, ut per Cæsarum fortunam juraret, inquit: *Si credis honori tuo facere, si jurem per illud, quod Cæsaris fortunam appellas, & fingis nescire, quis sim, dicam libere; auscultа! Christianus sum; si autem Doctrinam Christianorum cognoscere vis, concede mihi diem unam, & audies.* Cumque Proconsul dixisset, ut id populo persua-

Sæculum II. A. C. 165.

persuaderet, S. Polycarpus respondit: *Tibi loquar, Lege enim nostra docemur, Magistratibus, & Potestatibus a Deo constitutis sine Religionis dispendio debitum honorem deferre, hos autem, ut coram ipsis me defendam, dignos non existimo.*

Tum Proconsul: *Bestias habeo, quibus te tradam, nisi mentem mutes.* Et sanctus Polycarpus: *Fac, ut veniant bestiæ, nam ut de bono in malum muter impossibile est, bonum vero est mihi, si ex his miseriis ad vitæ alterius Justitiam transeam.* Iterumque Proconsuli dicenti: *Si bestias spernis, flammis te tradam, nisi muteris,* respondit: *Ignem minaris, qui brevi tempore urit, & extinguitur; ignem vero futuri judicii, & supplicii æterni, qui impios manet, ignoras. Quid autem moraris? induc super me, quod placuerit.* Hæc, & plura alia cum gaudio, & fortitudine, decore senili dicentem, satis mirari Proconsul non poterat; nihilominus præconem misit, qui in medio Amphitheatri ter clamaret: Polycarpus se Christianum confessus est.

Hac facta denuntiatione omnis Gentilium, & Judæorum, qui Smirnæ erant, multitudo furore indomabili concita conclamare: *Hic est Doctor Asiæ, Christianorum Pater, Deorum nostrorum destructor; hic est, qui tot homines a cultu, & sacrificio Deorum avulsit;* Tum magno clamore

Sæculum II. A. C. 165.

clamore Philippum Asiarcham rogabant, leonem in Polycarpum emitteret. Asiarcha erat ille, quem omnes Asiæ civitates communi consensu rebus ad Religionem spectantibus, cujus pars erant spectacula, præfeciſſent. Philippus respondit; id sibi non licere, cum jam bestiarum spectaculis finis fuerit impositus. Ergo omnes vociferari: Polycarpum vivum esse comburendum; ut ejus Prophetia adimpleretur; simul omnis multitudo turmatim procurrere, sarmenta, & ligna ex officinis, & balneis comportare; præprimis autem, & more solito Judæorum furor eminebat.

v. not. Val. Aristid. orat. 4. Aug. ep. 5.

Exstructo rogo S. Polycarpus cingulum solvit, vestimentis se exuit, & conatu adhibito se ipsum excalceavit, quod officii genus ipsi alias a ministris exhibebatur; tanta enim veneratione Fideles hujus S. Senis virtutem colebant, ut inter se, quis eum sæpius tangeret, æmularentur. Tum omnibus ad supplicium expeditis, clavis eum volebant affigere; at vir sanctus: *sinite me*, inquit: *qui mihi virtutem flammas sustinendi tribuit, etiam, qua in pyra immotus persistam, constantiam sine clavorum vestrorum ope dabit.* Omissis igitur clavis, tantum alligarunt. Ita vinctis post tergum manibus stabat ipse, similis arieti, selecto ex universo grege, ut Deo in holocaustum

S. Polycarpus.

offer-

offerretur. Tunc in cœlum reſpiciens, inquit: *Domine Deus omnipotens, Pater JEſu Chriſti, & Filii tui benedicti, prædilecti, per quem gratiam te cognoſcendi accepimus; Deus Angelorum, & Poteſtatum, Deus omnium Creaturarum, Deus juſtorum ex omnibus gentibus, qui in conſpectu tuo vivunt, gratias tibi ago, quod me ad hanc diem, & ad hanc horam perduxeris, in qua cum Martyrum tuorum numero calicis Chriſti tui portionem accipiam, ut ad vitam æternam animæ, & corporis in incorruptibilitate S. Spiritus reſuſciter. Hodie cum ipſis in conſpectum tuum tanquam victima pinguis, & accepta admittar, ſicut a te prædeſtinatum, prædictum, & adimpletum eſt, a te Deo vero qui fallere non potes. Ideo laudo te in omnibus, benedico te, glorifico te per Pontificem æternum, & cæleſtem JEſum Chriſtum, dilectum Filium tuum, quocum tibi, & Spiritui S. ſit gloria nunc, & in futura ſæcula. Amen.*

Sæculum II. A. C. 165.

Cum dixiſſet amen, quibus imperatum erat, rogum incendunt, ſurrexitque ingens flamma. Tunc vero manifeſtum miraculum ſecutum eſt, nam ignis circa Martyrem fornicis inſtar ſuſpenſum hæſit, aut ſicut velum navigii vento inflatum. Ipſe in medio ſtabat non ſicut caro aſſata, ſed ſicut panis in furno, aut aurum, argentumve in fornace purgatum,

Sæculum II. A. C. 165.

tum, ſuaviſſimum odorem quaſi thuris, aut alterius ſuffitus pretioſi exhalans. Videntes perſecutores, quod igne non conſumeretur, confectori mandant, ut accedens eum pugione confoderet; (confectores dicebantur, qui beſtias vulneribus necdum enecatas in Amphitheatro conficerent) cum iſte Martyrem percuſſiſſet, ingens ſanguinis abundantia exiliens ignem extinxit. Stupentibus omnibus, Chriſtianorum ab aliorum hominum morte tot prodigiis eſſe diverſam. Nicetes Herodis pater, & frater Alcæi, inſtigantibus Judæis, Proconſulem rogarunt, ne Polycarpi corpus ſepulturæ daretur, timendum enim, ajebant, ne Chriſtiani, dimiſſo Crucifixo, ad Polycarpum honorandum converterentur. Centurio ob Judæorum importunitatem corpus in mediis flammis comburit, unde nihilominus Fideles ſpectantibus, & ringentibus Judæis oſſa extraxerunt.

§. XLIX.

Eccleſiæ Smirnenſis Epiſtola.

Hæc paſſionis S. Polycarpi hiſtoria ab iis, qui præſentes teſtes fuere, ſcripta eſt. Fideles Philadelphiæ Smirnenſes rogaverunt, ut ſibi hujus Martyrii narrationem mitterent, quam etiam Smirnenſes per manus cujusdam, nomine Marci, in forma epiſtolæ ad Eccleſiam Philadelphiæ,

Sæculum II. A. C. 165.

delphiæ, & omnes Ecclesias Mundi Catholicas datæ, transmiserunt. Initio epistolæ dicunt; Beatum Polycarpum persecutionis finiendæ quasi sigillum suo sanguine impressisse. Postquam ipsum Martyrium retulerunt, & illa Judæorum verba: ne JEsum Christum derelinquant, & hunc adorent; adjungunt: *Nesciunt illi, quod nunquam JEsum Christum deserere possimus, nec alium honorare, quam ipsum, qui pro salute omnium illorum, qui in universo mundo salvantur, passus est; ideo enim adoramus ipsum, quia Filius Dei est, Martyres autem tanquam Discipulos, & imitatores ejus reveremur, & merito honoramus propter amorem in Regem, & Magistrum suum invincibilem. Utinam cum eis Christi Discipuli simus, & in eorum societatem admittamur.* (*)

Referunt etiam quomodo S. Polycarpi corpus fuerit combustum, & ajunt: *Ossa ejus gemmis, & auro purissimo pretiosiora*

(*) Idem, quod Fideles isti Judæis, nos respondemus Novatoribus, dicentibus, omnem honorem, quem Sanctis exhibemus, in contumeliam Dei veri cedere, qui solus honorandus est. Dubium sane hypocriticum Interpretis germani in Nota ad opusculum Bailleti de Sanctis! an majori Dei injuria Gentiles aliquando Idola adoraverint, an vero hodie Romano-Catholici Sanctos colant?

Sæculum II. A. C. 165.

tiosiora collegimus, & loco decenti condidimus; ubi, si potuerimus, Deo dante conveniemus, ut cum lætitia Martyrii ejus festum celebremus, ut eorum, qui certamen bonum certaverunt, reminiscamur, & Martyres futuri ad certamen præparentur, & exerceantur. Hæc in Epistola de Beato Polycarpo habentur, qui passus est Smirnæ cum duodecim Philadelphiis; sed ejus solius fit mentio, ipsique Pagani de ipso ubique locorum referebant; fuit enim inter Christianos, & Doctoris, & Martyris laude celebratissimus. Deinde addunt: *Amplam quidem relationem eorum, quæ contigerunt, petiistis, at modo non nisi compendium per fratrem nostrum Marcum mittimus. Hanc epistolam etiam mittite fratribus ultramarinis, ut & ipsi Dominum glorificent.* Paulo inferius: *Salutate omnes Sanctos. Qui nobiscum sunt, vos salutant; & Evarestus. qui hoc scripsit, cum sua familia. Beatus Polycarpus Martyrium passus est secunda die Mensis Xantici, septimo Calendas Maji, magna die Sabbati hora octava, id est, vigesima quinta Aprilis hora post meridiem secunda.* Denique addunt: *Captus est ab Herode sub summo Pontifice Philippo Trallensi, & Proconsule Statio Quadrato.* Ad calcem epistolæ inventum est, quod sequitur, in antiquis exemplaribus: *Hoc transcriptum est ex apographo Irenæi Polycarpi*

lycarpi discipuli a Gajo, qui cum Irenæo vixit; & ego Socrates descripsi Corinthi ex apographo Gaji. Gratia Dei cum omnibus. Et ego Pionius ex præcedenti descripsi, postquam illud quæsivi, & Polycarpus per revelationem mihi ostendit, sicut inferius dicam. Hæc collegi pene vetustate jam corrupta, ut Dominus JEsus Christus me suis electis adjungat. Ipsi gloria cum Patre, & Spiritu S. in Sæcula Sæculorum. Amen. Sæculum II. A. C. 165.

De S. Polycarpi epistolis nullam habemus, præter illam ad Philippenses; certum tamen est, quod plures scripserit ad vicinas Ecclesias, ut eas in fide confirmaret, & ad privatos, ut exhortaretur, & instrueret. Vir fuit clarissimi etiam apud Paganos nominis. Plures reliquit Discipulos, quorum aliqui in Gallias venerunt; nempe S. Irenæus Episcopus Lugdunensis, qui ab infantia cum ipso fuerat conversatus. S. Andochus Presbyter, S. Thyrsus Diaconus, & S. Felix, qui Augustoduni Martyrium passi sunt. Et S. Benignus Presbyter, qui Divione coronatus est. *Hieron. de Script. Iren. apud Euf. lib. IV. c. 20.* *Adon. Mart. 24. Sept.*

§. L.

Martyrium S. Ptolomæi.

Circa id temporis S. Justinus secundam scripsit Apologiam, injustitiam Magistratuum erga Christianos incusans;

Sæculum II. A. C. 165.

huic autem occasionem dedit sequens casus. Erat Romæ quædam mulier, maritum dissolutissimis moribus nacta, cui illa etiam in illicitis obsequi assueverat; Christianorum cœtui deinde adscripta, non satis habuit, propria corrigere vitia, sed etiam marito, ut fœdos habitus dimitteret, persuadere conabatur, timore ignis æterni, illis omnibus, qui rectæ rationi contraria facerent, intentati; hujusmodi admonitionibus mulier mariti animum a se avertit, hinc ipsa divortium cogitabat, ut bruti hominis consortio liberaretur. Amicorum tamen consiliis dedit, ut, quod statuerat, aliquamdiu differret, quasi de mariti emendatione non desperans. Interim ipse Alexandriam profectus est; unde uxori nuntiatum, ipsum in dies in pejora ruere; ergo separari decrevit, eique secundum legum normam divortium denuntiavit. Maritus, Romam reversus, ipsam ad Imperatorem tanquam Christianam defert; ipsa libellum obtulit supplicem, ut sibi ante omnia de rebus suis domesticis disponere liceret, promittens, se deinde ad accusationem responsuram; & quod petiit, impetravit.

Eus. IV. hist. c. 17. ex Justino.

Maritus ejus hac dilatione concitatus, cum in uxorem non posset, iram in quemdam nomine Ptolomæum effudit, qui eam in sacris litteris erudierat; eum coram

coram Urbicio Romæ Præfecto accusavit, & Centurionem, qui eum comprehendere jussus fuerat, alias amicum suum subornavit, ut omissis omnibus quæstionibus tantum hoc scisciteretur, an esset Christianus? quod Ptolemæus ingenue confessus est, ideoque a Centurione multo tempore, & summo rigore in carcere detentus. Tandem in conspectum Urbicii Præfecti deductus, ad unicam quæstionem respondere jubetur, an sit Christianus; quod denuo constantissime confessus, illico jubente Præfecto ad mortem ducitur. Non tulit nefas quidam Lucius, tunc præsens, & ipse Christianus, sed in Præfectum invectus, *quo tu jure*, inquit: *hominem nec adulterii, nec homicidii, nec rapinæ, nec alterius cujusvis criminis reum, sed ob solum Christiani nomen capite damnas? crede mihi, Urbici! hæc sententia iniqua contra mentem Pii Imperatoris, & filii ejus Philosophi, & Sacri Senatus lata est.* Urbicius nihil ad Lucium, nisi hoc solum: *Etiam tu Christianus esse videris?* Quod cum Lucius constanter affirmasset, jussit, ut & ipse duceretur. Respondit Lucius; magnas se illi gratias debere, quod hac sententia non tantum a pessimis Dominis manumitteretur, sed etiam in familiam Dei Patris, & optimi Regis transmitteretur. Superveniens tertius Christianus ad eandem capitis

Sæculum II. A. C. 165.

Sæculum II. A. C. 166.

pitis pœnam condemnatur. Hæc Romæ gesta sunt circa annum centesimum sexagesimum sextum.

§. LI.

Secunda Apologia Justini.

Ex hoc casu S. Justinus occasionem sumpsit, Magistratuum, & judicum iniquitatem manifestandi in sua secunda apologia, ubi per modum objectionis inquit: *Erit forte aliquis, qui nobis dicat; ergo vos ipsos omnes interficite, & abite ad Deum vestrum, nec nobis ultra molestiam facite.* Ad hoc respondet; id sibi per fiduciam, quam in Dei providentiam ponerent, non licere. Post hæc Idololatriæ originem, cujus auctores Diaboli essent, ostendit. Deo vero peculiare nomen non esse. Malos Dæmones, rectæ rationis ductum sequentes, semper fuisse persecutos, sicut Socratem. Tum subdit: *Meipsum fraudes alicujus ex ipsorum numero, quos Philosophos dicunt, non evitaturum spero, sed ad crucem damnandum, etsi nullus in orbe Philosophus præter unum Crescentium Cynicum foret.* Et post alia inquit: *Ne testes desint, quibus mendacia, in Christianos prolata, probentur; equuleo imponuntur mancipia, infantes, fœminæ in hunc finem, ut per exquisita tormenta confessio incestuum, & conviviorum, quibus infantes devorantur, extorqueatur;*

hæc

hæc enim nobis Christianis affinguntur crimina; qui vero affingunt, illi ipsi talia committunt, Deosque sibi, iisdem pollutos criminibus, comminiscuntur. Nos autem cum simus culpa liberi, judicium impiorum non curamus, Deum actionum, & cogitationum nostrarum testem habentes. Sæculum II. A. C. 166.

In Epilogo S. Justinus in hunc modum scribit: *Rogamus vos, ut iste libellus publicæ lucis fiat, postquam quidquid libuerit, responderitis; oportet enim alios scire, quales simus, & nos tandem falsis suspicionibus absolvi, & ultimi supplicii periculo. Omnibus hominibus a natura inditum est, quid honestum sit, aut turpe; plurimi autem nesciunt, has impudicitias, quæ de nobis vulgo narrantur, a nobis maximopere damnari, nosque ea ipsa de causa Deos vestros contemnere, quod hæc flagitia commiserint, & a vobis similia exigere videantur. Vobis jubentibus fidem nostram omnibus notam faciemus, ut, si fieri possit, convertantur. Hic solus est scopus, ad quem hac oratione nostra tendimus. Nostra Religio, si sana mente perpendatur, non est erubescenda, sed omni Philosophia humana superior; saltem in libris nostris illas sordes non inveneritis, quibus scripta Epicureorum, Sotadis, Philenidis aut aliorum, ejusdem haræ, scatent, quæ tamen apud vos omnibus legere permissum.* Libellus ab hac Philenide scriptus circumferebatur de

Athen. lib. 8. p. 335. C. ex Chrysippo.

Sæculum II. A. C. 166.

omnis generis libidine, quam sequior sexus explere posset: Sotades erat Poeta Jonicus, alio genere, nempe calumniandi impudentia infamis. Tum S. Justinus his verbis concludit: *Finem dicendi facimus, postquam omnem laborem impendimus, & Deo supplicavimus, ut omnes homines ad cognitionem veritatis pervenire mereantur.* Non legimus majorem hujus Apologiæ, quam prioris fructum fuisse.

Athen. l. 14. p. 620.
Mart. 2. ep. 86.

§. LII.

Dialogus S. Justini cum Tryphone.

Edit. gr. lat. 1615. p. 217.

S. Justinus scripsit quoque tractatum Theologicum contra Judæos. Nempe narrat colloquium cum Judæo quodam, nomine Tryphone, institutum, qui, bello fugatus, in Græciam se abdiderat, multumque temporis, præsertim Corinthi, Philosophiæ studio dederat. Is cum in deambulacro publico obvium habuisset S. Justinum, & ex vestitu Philosophum agnovisset, sibi maximo in pretio Philosophiam semper fuisse dixit; *quid autem hæc Philosophia tibi prodesse possit,* inquit S. Justinus, *si eam cum Doctrina Legislatoris tui, & Prophetarum in comparationem adducas, non video. Quid igitur,* ait Tryphon; *nunquid Philosophi de Deo, de Unitate, & Providentia non tractant? plurimi,* ait S. Justinus: *cognitionem Dei nihil utilitatis ad felicitatem*

Sæculum II. A. C. 166.

tatem humanam conferre existimant. Persuasum nobis vellent, Deo quidem totius universi, generum, & specierum, non vero tui, meique, & rerum singularium curam esse. Quo autem hæc Doctrina collimet, haud difficulter dispicitur; posito enim hoc principio libere, & secure suas opiniones sequi possunt, cumque a Deo nec mercedem exspectent, nec pœnam timeant, dicere, & facere, quod libet, licet. Reipsa rem nullam mutationi obnoxiam credunt, & homines, nec meliores, nec pejores fieri, sed semper hoc modo victuros; aut posito, quod anima immortalis, & incorporea sit, inde concludunt, se propter mala opera puniri non posse, quia id, quod incorporeum est, etiam esse impassibile asserunt, atque ita sibi Deum esse inutilem, cum sint immortales. p. 218.

Tunc Tryphon amice subridens, *tibi vero*, inquit: *qualis de Deo opinio insidet, & quæ est tua Philosophia? dicam*, ait Justinus: *nihil Philosophia pretiosius, per quam homini ad Deum appropinquare licet; at plurimi, qualis illa sit, & qua de causa cœlitus homini concessa, ignorant, quod si scirent, non in orbe Platonici, non Stoici, non Peripatetici, non Pythagorici darentur, cum vera Philosophia non nisi una esse possit. Quod autem Philosophia humana in tot sectas abierit, inde ortum habet; quia qui primi naturæ arcana rimati sunt, illustre sibi apud genus humanum*

Sæculum II. A. C. 166.

num Nomen fecerunt, & eorum Discipuli sine examine Magistrorum famam, non veritatem secuti sunt; virtutis qualiscunque specie, & sermonis novitate delusi, quod ab iis didicerant, verum credidere. Hi quid aliud, quam quod didicissent, juniores docere poterant? quisque autem nomen illius, qui suæ opinionis Parens erat, ambitiose retinuit; subinde S. Justinus diversos Magistros enumerat, quorum ipse experimentum fecerat, usque ad illum Senem, qui sibi Prophetiarum auctoritatem edocto, JEsu Christi Doctrinam solam esse Philosophiam certam, & homini utilem persuaserat. Hæc, subdit: *Philosophia est, quam sector; utinam omnes fortiter solius Salvatoris sermonibus inhærerent; inest enim Christi sententiis, nescio quid, terrorem incutiens, & confundens eos, qui a via virtutis aberrant, meditantibus autem verba ejus dulcem quietem insinuant. Si ergo salutis tuæ curam habes, & quamdam in Deum fiduciam, ecce tu, cui hæc Doctrina peregrina esse non debet, potes Beatus fieri, si Christum agnoscas, & perfectionis Christianæ viam ingrediaris.*

Sup. n. 36.

Hæc ultima Justini verba, qui cum Tryphone erant, excusso risu exceperunt; at Tryphon leniter inquit: *Aliquibus exceptis, reliqua admitto, tuumque pro Deo fervorem admiror; attamen Philosophiam Plato-*

Sæculum II. A. C. 166.

Platonis, vel cujusquam alterius profiteri præstitisset, & te in patientia, & temperantia exerceri, quam mendaciis decipi, & nihili hominibus fidem habere; quippe Philosophorum mores retinenti, & sine culpa viventi, melior tibi sors speranda erat. Nunc autem, cum Deum dereliqueris, ut spem poneres in homine, quam salutem exspectes? si ergo mihi fidem adhibes, nam te jam nunc inter amicos reputo, primum erit, quod facias, ut circumcidaris; deinde sabbatum coles, & festa a Deo præcepta, &, ut paucis omnia dicam, universa, quæ in Lege scripta sunt, observabis; tunc forte Deus tibi misericordiam impertietur. Quod vero ad Christum attinet, si natus est, vel alicubi est, incognitus est, nec se ipsum novit, nec ullam habet potestatem, donec Elias venerit, qui eum consecret, & toti mundo manifestet. Interim falsa opinione imbutus es, & fingis tibi Christum, pro quo perperam in exitium ruis. Hic animadverti debet, Judæos, Prophetarum, qui tempus Messiæ clare indicaverant, testimonio compulsos, non fuisse ausos negare, Christum advenisse, sed hanc quæstionem subtiliter eluisse, quod & in hanc usque diem faciunt.

Gamor. ad Sanhed. c. XI. n. 26. 27. &c. Edit. Cock.

Deus tibi parcat, inquit Justinus: *nescis enim, quid dicas. Doctoribus tuis confidis, scripturas non intelligentibus, &*

Sæculum II. A. C. 166.

quæ incidunt, temere loqueris. Si autem moram pati vis, demonstratum tibi faciam, nos non decipi, sed ex legibus rationis, & prudentiæ, nos in confessione Christi perdurare, quantumcunque hæc confessio coram hominibus probrosa sit, & quamquam omnes vires exerat Tyrannorum crudelitas, ut ad hanc fidem negandam compellat. Convincam te, nos non fabulis aures dedisse, sed Doctrinæ solidæ, & a Spiritu Dei dictatæ. Hic audientium aliqui rursus risum extollere, & indecore clamare; & Justinus surrexit abiturus; at Tryphon correpto ejus pallio, ajebat; *Non dimittam te, nisi prius promisso te exsolveris. Ergo*, inquit Justinus, *amicos tuos silere jube, & modestiam doce.* Tunc pars colloquentium separata est, duobus abeuntibus, & ridentibus, quod isti rem serio agerent. Justinus autem, & Tryphon cum duobus aliis sedilia lapidea, ad utrumque stadii latus commode posita, occuparunt; & postquam nonnulla de Bello Judaico fuissent locuti, Justinus cœptam sermonis telam pertexuit in hunc modum:

§. LIII.

Abolitio Legis antiquæ.

p. 227. Estne aliud præterea quod nobis objicias, quam quod Legem non servemus

mus, & Sabbata, & non circumcidamur! vel num ad vos etiam vitæ, morumque noſtrorum diffamatio pervenit? num cum Gentilibus vos Judæi creditis, nos carne humana paſci, & a menſa ſurgentes, facibus extinctis, nefandæ Veneri indulgere? aut ſolum in eo damnatis, quod Doctrinam, quam vos falſam putatis, amplexi ſimus! hoc ſolum eſt, inquit Tryphon, quod valde miramur; nam quæ in plebe de vobis narrantur, fidem excedunt, & naturæ repugnant; econtra ſcio, veſtri Evangelii præcepta eſſe adeo magna, & mirabilia, ut homini obſervatu impoſſibilia credam. Cupidine hæc ſciendi incenſus, legi veſtra præcepta. Hoc autem eſt, quod capere non poſſumus, quod vos, qui pietate ſuper alios excellere ambitis, vitam ducatis a ritibus Gentilium nihil abhorrentem; non enim obſervatis Feſta, nec Sabbata, nec circumciſionem, & ſpem veſtram transfertis in hominem crucifixum; mercedem a Deo ſperatis, cujus mandata calcatis. Non legiſti unquam in Lege? qui non fuerit circumciſus die octava, peribit de populo ſuo. *Gen.* 17. 14.

Sæculum II. A. C. 166.

Ad hæc Juſtinus: *Nec erit, nec unquam fuit alius Deus, quam qui creavit univerſum. Non credimus nos habere alium Deum, quam veſtrum, illum ipſum, qui Patres veſtros de Ægypto eduxit. In hunc*

Sæculum II, A. C. 166.

hunc Deum speramus, sicut vos, Deum Abraham, Isaac, & Jacob; at non per Moysen, aut per Legem speramus, sic enim essemus Judæi, sicut vos. Ex Scriptura didici, dandam esse Legem ultimam, & fœdus divinæ Auctoritatis, omnibus ad Dei hæreditatem aspirantibus servandum. Lex illa, in monte Horeb data, inveteravit, eratque vobis solis lata, hæc autem nova omnibus hominibus lata est. Christus datus est nobis in Legem æternam, postquam non datur alia. Tunc citat Isaiæ, & Jeremiæ testimonia; Deum missurum esse Legem, qua omnes Gentes illuminarentur, & initurum cum populo suo novum fœdus, distinctum ab illo, quod cum Patribus eorum in exitu ex Ægypto pepigerat. *Cum igitur testes simus,* subjungit, *quod homines in hoc tempore idolis, & vitiis renuntient, ut ad Deum accedant; quod in confessione pietatis, & veritatis mortem sustineant; hinc omnes ex operibus judicent, datam esse nostris diebus Legem novam, fundatum novum fœdus, & exspectationem eorum, qui ex omnibus Gentibus bona, & salutem a Deo sibi obventuram sperabant, esse adimpletam.* Ulterius monstrat; verum Israelem, esse Spiritualem, circumcisionem, Sabbati, & azymorum observantiam, omnia spiritualiter esse intelligenda de morum correctione; veramque

que purificationem esse illam, qua anima purgatur per JEsu Christi sanguinem. Desuper celeberrimum Isaiæ textum refert, ubi de Salvatoris passione, & Redemptione nostra sole meridiano clarius vaticinatus est. Sæculum II. A. C. 166. *Is.* 52. 10. *ad.* 54. 6.

Deinde probat; circumcisionem non esse necessariam, ab exemplo Sanctorum non circumcisorum Abel, Enoch, Noe, Melchisedech; & exinde deducit, circumcisionem non esse opus justitiæ, sed tantum signum, quo Judæi ab aliis populis fuissent distincti. Primum post Idololatriam aurei vituli Deum sacrificia præcepisse Judæis, ut ab adoratione Idolorum averterentur, abstinentiam autem a certis carnibus, ut etiam edentes, & bibentes Legem suam ante oculos haberent. A Prophetis expresse declarari; hæc præcepta cæremonialia non fuisse Judæis data, tanquam seipsis bona, nec Deum ipsorum sacrificiis indiguisse. *p.* 236. *p.* 237. *Ezech.* 20. 25. *Amos* 5. 18. 25. *Psal.* 49.

Tryphoni dein interroganti, an illi, qui secundum Legem Moysis vixerunt, quales sunt Job, Enoch, & Noe in resurrectione mortuorum salvandi sint? respondet Justinus affirmando, quia Lex Moysis præter ea, quæ speciatim propter duritiem populi mandantur, etiam illa præcepta, quæ sunt naturaliter bona, universalia, & æterna continet. At Tryphon: *Num autem, qui hodiedum præcepta* *p.* 263.

Sæculum II. A. C. 166.

cepta legalia servarent, & JEsum Christum agnoscerent, salvarentur? Prius quærendum nobis est, inquit Justinus; *num hodiedum possibile sit omnia legalia servare;* Tryphone autem fatente Pascha immolari, aut alia sacrificia non posse; *Ergo fatere,* subjicit Justinus: *saltem aliqua esse impossibilia, & agnosce hominem observando præcepta æterna salvari posse.* At Tryphon: *Sabbatum, circumcisio, purificationes observari possunt; si quis ergo in vestrum Christum credens, etiam hæc servare velit, quamvis non putaret necessaria, quæro, an salvetur? Meo quidem judicio, salvabitur,* inquit S. Justinus, *dumodo non Gentiles ad JEsum Christum conversos ad eadem observanda cogat, sicut tu initio contendebas. Cur autem addidisti,* ait Tryphon: *tuo quidem judicio, nisi quod alii aliter sentiant?* Tum Justinus: *Aliqui putant cum talibus Christianis legalia servantibus non esse communicandum, ego vero alterius sum opinionis; si enim ea, quæ possunt, de Lege Moysis ad duritiem cordis eorum præcepta ex fragilitate servare velint, simulque in JEsum Christum credant, etiam præcepta æterna observent, cum aliis Christianis communicare non recusent, & ad eadem observanda non obligent, tanquam fratres, & viscera nostra recipiendi sunt; at si Fi-*

deles

deles ex Gentibus conversos ad observandam Legem Moysis velint compellere, & ni faciant, nolint cum ipsis cõmunicare, tales non recipio. Credo quidem eos, quibus Legem servare unacum confessione JEsu Christi persuaderi posset, salvandos; eos vero, qui postquam Christum agnoverunt, & confessi sunt, ad observantiam legalium ex quacunque de causa transiissent, & deinde ipsum esse Christum negassent, nisi ante mortem pœnitentiam egerint, non salvandos credo; eos quoque, qui de genere Abraham sunt, & secundum Legem vivunt, nisi ante mortem credant in Christum, non esse salvandos certum est, illos vero omnium minime, qui in Synagogis suis Christo anathema dicunt. Sæculum II. A. C. 166.

Ita Judæis exprobrat, quod publice in Christianos maledicta pronuntiarent, & adjungit: *Per æquitatem Principum, qui hodie rerum potiuntur, vobis non licet, Christianos manibus vestris jugulare; at quoties impune licuit, feciſtis. Postquam Justum crucifixistis, & vidistis, quod juxta Prophetarum vaticinia in cælum ascenderit, quosdam ex vobis delectos Jerosolyma emisistis, qui, Sectam impiam, cujus Auctor esset JEsus Galilæus, apparuisse in omnem terram spargerent, & horrenda crimina, quorum nos hodie, qui nos non noverunt, reos putant,* p. 234. p. 335.

Sæculum II. A. C. 166.

tant, in Christianos comminiscerentur. Etiam nostro sæculo sicut tunc Judæi in suis orationibus publicis, & privatis in JEsum Christum, & Christianos imprecationes evomunt.

Buxtorff. Synag. c. 5. & 11.

§. LIV.

Doctrinæ Christianæ argumenta.

TUm S. Justinus Doctrinæ Christianæ veritatem probat duplicem Messiæ adventum distinguens: *In primo adventu*, ait: *apparuit mortalis, sine gloria, & ornatu, & putabatur esse opifex, aratra, & juga fabricans.* Has operis species ponit S. Justinus, quod ex recenti traditione didicisse poterat. *In secundo adventu Messias apparebit gloriosus, nubibus insidens juxta Prophetiam Danielis.* Hæc iterum probat ex Psalmo centesimo nono, qui de Ezechia intelligi non potest, sicut Judæi volebant, cum nunquam Sacerdos fuerit; & ex Psalmo septuagesimo primo, qui Salomoni non convenit, qui non regnavit usque ad extremum terræ, & in Idololatriam lapsus est, quod crimen nequidem in Gentiles per JEsum Christum conversos cadit. Probat, Christum non esse purum hominem, qualem Judæi exspectabant, sed cum ante omnia Sæcula esset Deus, in tempore factum fuisse hominem. Christi divinitatem,

p. 316.

Dan. 7.

p. 267.

Ps. 23. 45. 98.

tatem deducit ex multis Pſalmis, præci- Sæculum II.
pue quadrageſimo quarto & apparitio- A. C. 166.
nibus, quibus Deus Patriarchis, & Moyſi ſe ſpectabilem dedit; hasque apparitiones ipſe, ſicut etiam multorum veterum fuit opinio, Verbo Dei attribuit; & inde argumentatur, Deum, qui Patriarchis viſus eſt, alium eſſe Deum a Deo Creatore; alium, inquit, in numero, non in voluntate. Ait; ab initio ante omnes *p.* 276.
creaturas Deum ex ſe ipſo certam Virtu- *p.* 384.
tem rationalem genuiſſe, quam S. Spiritus variis nominibus nunc Gloriam Domini, nunc Filium, iterumque Sapientiam, Angelum, Deum, Dominum, & Verbum nominaret. Opinio dicentium, hanc Virtutem eſſe a Patre inſeparabilem, ſicut radium a ſole, ipſi non probatur; ita ut Pater, quando vellet, eam emitteret, & quando vellet in ſe reciperet; eſt, inquit: Virtus permanens, & diſtincta non ſolum nomine, ſicut radius a ſole, ſed numero, ita tamen, ut Patris ſubſtantia nec dividatur, nec immutetur. *Eſt*, inquit: *in nobis hujus generationis exemplum; cum verbum producimus, illud generamus, at non per reſciſſionem, qua ratio noſtra diminuatur. Ita ignis producit ignem, ea ratione, ut ignis ſecundus ignis primi, a quo accenſus eſt, ſubſtantiam non diminuat.* *p.* 358.

Sæculum II. A. C. 166.

Inferius oſtendit, JESUM Chriſtum Meſſiam eſſe, explicando typos paſſionis ejus, nempe agnum Paſchalem, duos
p. 259. hœdos feſti expiationum, aliasque victimas. *Oblationes farinæ panis Euchariſtici ſymbolum erant, quem in memoriam noſtræ Redemptionis offerimus.* (*)
p. 260. Sæpius in hoc Dialogo repetit, Evchariſtiam eſſe illud Sacrificium purum, quod
Mal. 1. 10. vaticinante Malachia etiam inter Gentiles ab Oriente ad Occidentem Deo of-
p. 317. ferri oportet. S. Evchariſtiam S. Juſtinus hic nomine expreſſo Sacrificium vo-
Deut. 21. 23. cat. Dum Tryphon ipſi maledictionem Legis objicit contra crucifixos; S. Juſtinus Benedictionem crucis retorquet, per figuras ejusdem in Scriptura expreſſas, inter alias affert ſerpentem æneum, quoad ſpeciem Legi, omne ſculptile prohibenti, adeo contrarium. Unus Judæorum, Tryphonem comitantium, faſſus eſt, a ſe Doctores ſuos hac ſuper difficultate conſul-
p. 322. tos, ſibi dubium minime ſolviſſe. Tum ait S. Juſtinus; hanc maledictionem Legis ſignificare univerſalem maledictionem peccati in omnes homines extenſi, & perſecutionem Chriſtianorum. Subjungit expli-

(*) In ſenſu Novatorum, quo Evchariſtia nihil aliud eſt, quam panis, & Symbolum Corporis Chriſti, oblationes farinæ in veteri Teſtamento fuiſſent Symbolum Symboli.

explicationem Psalmi vigesimi primi, ubi crux Salvatoris distinctissime designatur. Sæculum II. A. C. 166.

Ait etiam; futurum, ut Jerosolyma iterum excitetur, & populum fidelem, ibi congregatum, in societate Patriacharum, & Prophetarum cum JEsu Christo ante ultimum adventum ejus lætaturum. *Ita ego credo*, subjungit: *& plures alii, sunt autem multi quoque piæ, & puræ Doctrinæ Christiani, qui hoc non credunt; illorum autem, qui se ore Christianos dicunt, & reipsa sunt impii hæretici, doctrina monstrosa est, & blasphemiis plena. Si igitur in homines incideritis, qui Deum Abraham, Isaac, & Jacob blasphement, resurrectionem negent, dicantque in hora mortis animas in cælum ferri, corporibus nunquam uniendas, ne tales pro Christianis habeatis, sicut Saducæos, aliosque ejusmodi Sectarios pro Judæis non habetis. Ego vero, & omnes corde simplices, & recti, & qui toto animo Christiani sumus, credimus resurrectionem carnis. Insuper Ezechiel, Isaias aliique Prophetæ agnoscunt, Electos mille annis Jerosolymæ, postquam civitas reædificata, ornata, & amplificata fuerit, regnaturos.* Ad fidem huic regno adstruendam etiam auctoritatem Apocalypsis adducit. Ita S. Justinus, & Papias opinionem millenariorum fuerunt amplexi, nec tamen ideo unita- p. 306. Isaias 45. 4.

Sæculum II. A. C. 166.

tem fidei Catholicæ lacerarunt. Deinde oſtendit progreſſus Evangelii, dum ait; nullum ſupereſſe hominum genus; nec

p. 345. Græcos, nec Barbaros, nec Scythas in vehiculis errantes, nec paſtores ſub tentoriis habitantes, aut cujuscunque nominis mortales, qui non preces, & gratiarum actiones ad Creatorem in nomi-

p. 337. ne JEſu Chriſti crucifixi dirigant. *Fidelitatem Chriſtianorum deprædicans*, ait: *evidentiſſime conſtat, nihil eſſe in toto terrarum orbe, quod credentibus in JEſum valeat terrorem incutere. Capite plectimur, crucifigimur, Beſtiarum faucibus injicimur, ferro, igne, tormentis omnibus excruciamur, & inter hæc omnia imperturbate JEſum confitemur. Quo plures Fideles perſecutione tolluntur, eo copioſiores Nominis JEſu Chriſti Confeſſores naſcuntur. Permittente*

p. 349. *Dei providentia factum, ut homines quidam Solem pro Numine habitum adorarent, quis autem eorum unquam pro Sole mori viſus eſt? cum tamen ex omnibus nationibus homines pro JEſu Chriſti Nomine mortem, & tormenta morte pejora ſuſtineant.* Sæpius in hoc Dialogo notat, dona ſupernaturalia Prophetiæ, curationum, aliorumque miraculorum inter Fideles tunc temporis adhuc fuiſſe ſatis communia, præcipue autem poteſtatem ejiciendi Dæmones in Nomine

Nomine JEsu Christi sub Pontio Pilato crucifixi. Sæculum II. A. C. 166.

§. LV.

Quales fuerint Hæretici.

At vero, inquit Tryphon, *multos eorum, qui Christiani dicuntur, Diis immolata libere manducare audio.* Ad hæc Justinus: *Tales, qui JEsum Crucifixum pro Domino, & Christo agnoscentes, nihilominus Christi Doctrinam non sequuntur, sed alienam Spiritu erroris infectam, nos, qui veram, & puram Doctrinam ejus tenemus, in fide nostra, & spe, quam nobis dedit, non parum confirmant, cum in his ipsis hæreticis, ea, quæ Christus prædixit, adimpleri videamus.* Reipsa multi venerunt, Nomen JEsu jactantes, usus tamen impios, & dogmata perversa docentes; quælibet Secta Parentis sui nomen retinet, diversimode enim blasphemant Creatorem universi, Christum, quem promisit, & Deum Abraham, Isaac, & Jacob. Cum talibus nulla nobis est communio, scientibus, homines esse iniquos, & impios, qui JEsum tantum vano nomine confitentur, sicut Pagani nomen Dei Idolis suis tribuunt. Alii vocantur Marcionitæ, alii Valentiniani, aut Basilidiani, aut Saturniniani, aut alio dicuntur nomine,

Sæculum II. A. C. 166.

quod more Philosophorum a Sectæ suæ auctore traxerunt. Hanc Ideam tunc temporis Hæreticorum S. Justinus format.

§. LVI.

Judæorum Cæcitas.

p. 246. Multis modis Judæorum cœcitatem increpat; & postquam diversos textus de circumcisione Spirituali, & Gentilium vocatione adduxit, sic ait: *Mihi quidem his rationibus veritatem ingeniis etiam stupidissimis persuaderi posse videtur; non enimvero, ea quæ modo attuli, a me artificio humano, vel industria mea præparata sunt, sed ea ipsa, quæ attuli, jam pridem Regius Psaltes David cecinit, Isaias, & Zacharias prædixerunt, & Moyses scripsit. Eadem, amice! hac tua indole negare non potes. Hæc omnia in libris vestris scripta sunt, vel verius, nostris, nos enim, quæ scripta sunt, credimus, vos vero legitis,* p. 71. *& lecta non capitis.* (*) Alio loco dicit: *Scripturas solummodo refero, nec mens mihi est, eas dialectice demonstrandi. Gratiam intelligendi Scripturas a Deo*

(*) Eadem nos ad Protestantes dicere possumus.

Deo accepi, quam gratis omnibus homi- Sæculum II.
nibus communicare cupio, ne coram Dei A. C. 166.
judicio reus ſim, cui aliquando ratıonem reddam.

Illorum, qui inter Judæos Rabbini, id eſt Magiſtri, & S. Scripturæ interpretes habebantur, futiles argutias notat, quæſtionem moventium, quare in hoc v. g. S. Scripturæ loco de camelo fœmina mentio fiat; quare in oblationibus tanta, & non alia farinæ, vel olei menſura adhiberi debeat, quia hujusmodi rerum explicationes humiles, & prophanas dabant. *p.* 339. Eosdem adeo rudi, & inepto ſenſu verba S. Scripturæ interpretari incuſat, ut ſibi Deum cum manibus, & pedibus, corpore, & anima imaginarentur, eumque corpore iſto Abraham, & Jacob apparuiſſe. *p.* 342. Dum plurima, ſubdit: dogmata utilia, & gravia vobis explanamus, ſi quidquam leviusculum vobis diſpliceat, aut non intelligatis, omiſſa rei ſumma, his minutiis inhæretis, & nobiscum jurgamini, ſicut muſcæ, quæ, ſana carne intacta, ulceribus inſident. *p.* 343.

Veſtris Legis Doctoribus permittentibus, pergit: *etiamnum quatuor, & quinque uxores habetis, & ſi quis videat mulierem formoſam, & concupis-*

Sæculum II. A. C. 166.

cat eam; historiam Jacobi, aliorumque Patriarcharum memorat, dicens: quid mali facio, si tantorum virorum exempla sequor? Vah! miseros, & insensatos! actiones Patriarcharum Mysticæ erant, & rerum magnarum figuræ. Post horum Mysteriorum explicationem subdit; ex Davidis verecundia, postquam Uriæ uxorem seduxisset, & ejus pœnitentia inferri debere, veteribus nullatenus fuisse persuasum, sibi licere uxores accipere quot, & quales vellent; *Quod tamen*, inquit: *vestri populi homines hodie passim faciunt, qui mulieres, matrimonii nomine, in omnibus regionibus, quo deferuntur, accipiunt.* Quod de Davide hic S. Justinus dicit, hunc sensum habere videtur: Si David pro sua concupiscentia sibi permissum putasset, divortii, & Polygamiæ libertate uti, nihil fuisset occultandum, nec crudelitate in Uriam opus, sed Regia auctoritate ad repudiandam uxorem compulisset; sicut tempore posteriori Augustus Drusum ad Liviam repudiandam coegit. At talia matrimonia nihilo erant meliora, quam contectus pallio concubinatus.

§. LVII.

Sæculum II.
A. C. 167.

§. LVII.

Martyrium S. Justini.

S. Justinus fidei, quam imperterrite propugnaverat, suo sanguine subscripsit, Martyrium passus circa annum centesimum sexagesimum septimum. Rusticus Romæ Præfectus Justinum cum comitibus ejus, in conspectum adductum, interrogat, cui scientiarum generi vacasset; ipse respondit: *Me quidem omnia Philosophiæ genera tentantem, tandem Christianorum Doctrina cepit, & fluctuantem animum fixit, quamvis hæc Doctrina errores amantibus non arrideat.* Sciscitanti, qualis esset hæc Doctrina; iterum Justinus: *Christiani credunt in unum Deum verum omnium visibilium, & invisibilium Creatorem, & Dominum nostrum JEsum Christum Filium Dei confitentur, qui venturus est ad judicandum genus humanum, qui salutem annuntiavit, eosque, qui veram suam Doctrinam recipere parati erant, instruxit; ego autem sum homo tenuis, & incapax quidquam magni de infinita ejus Divinitate proferendi; fateor, hoc esse munus Prophetarum, qui ex divina inspiratione multis ante sæculis in hunc mundum venturum Filium Dei prædixerunt.*

Acta Marty. Sincera p.43.

An. 167.

Sæculum II. A. C. 167.

Tum Præfectus quærere, in quo loco Christiani convenirent? cui ille: *conveniunt, nempe ubi volunt, & ubi possunt; erras autem, si omnes eundem locum adire existimes.* Ita loquebatur, ne manifestando domos conventus, fratres prodereret; sed ut innueret etiam, Christianorum cultum Divinum non certis quibusdam locis sicut Gentilium esse affixum; ideo subjungit: *Deus Christianorum non uno includitur loco, & sicut invisibilis est, ita Cœlum, & terram implet, & a Fidelibus ubique terrarum adoratur, & glorificatur.* Insistens Præfectus ait: dic ergo quo in loco Discipulos tuos congreges; & S. Justinus: *Hucusque prope domum cujusdam nomine Martini, & balneum Timistinum habitavi, altera jam vice Romæ sum, nec alius mihi locus notus est; si quis autem ad me venit, veram ipsi Doctrinam communicavi.* Ergo Christianus es? ait Præfectus, cui Justinus: *sine omni dubitatione sum Christianus.*

Tum Præfectus ad Caritonem: esne Christianus? & Cariton: per Dei gratiam sum Christianus. Idem quæsivit ex Muliere nomine Caritina, quæ eodem modo respondit; tum ad Evelpistum: & tu quis es? qui ait: *Sum Cæsaris servus, sed Christianus, JEsus Christus libertum me fecit, per ejus gratiam ejusdem spei*

Sæculum II. A. C. 167.

ſpei particeps ſum, ſicut iſti, quos vides. Idem Præfectus iterum ſciſcitatur ex Hierace, qui ait: *Ita eſt, ſum etiam Chriſtianus, nam ſervio, & adoro eundem Deum.* Nunquid Juſtinus te Chriſtianum fecit? ait Præfectus, & ille: *Chriſtianus fui, & ero,* nolens aliud addere, ne denuntiaret Magiſtrum ſuum. Peon unus ex præſentibus ait: *Sum Chriſtianus.* Quis te inſtruxit? inquit Præfectus, & reſpondit: *Parentes mei.* Addidit Evelpiſtus: *Juſtini quidem ſermonibus valde delectabar, ſed a parentibus meis Chriſtianus eſſe didici.* Et Præfectus: ubi ſunt Parentes tui? reſpondit: in Cappadocia. Etiam Hieracem interrogat Præfectus, in qua Provincia eſſent parentes ejus; Hierax reſpondit: *Verus Pater noſter eſt Chriſtus, & mater noſtra fides, per quam in ipſum credimus; Parentes autem, quos in terra habui, mortui ſunt. Cæterum ex Phrygia huc adductus ſum.* Tum Præfectus ex Liberio quærit, quid diceret, an eſſet etiam Chriſtianus, & in Deos impius; cui Liberius: *Etiam ſum Chriſtianus, nam ſoli Deo vero ſervio, & adoro.*

Tandem Præfectus converſus ad S. Juſtinum ait: *Audi tu! qui eloquens diceris & veram ſcientiam tibi habere videris, quando flagris a capite usque ad calcem eris laceratus, an tum putas in cœlum te aſcenſurum?*

credo,

Sæculum II. A. C. 167.

credo, ait Justinus; *si quæ dicis patiar, me illam mercedem accepturum, quam omnes illi acceperunt, qui JEsu Christi præcepta servarunt; scio enim Gratiam Dei destinari usque in finem Mundi omnibus, qui mandata ejus custodiunt.* Cui Præfectus: *spem ergo tibi fingis ascendendi in cœlum, ut mercedem ibi recipias? non fingo*, ait Justinus: *sed scio, idque adeo mihi persuasum habeo, ut nulla dubitatio subire possit.* Tunc vero Præfectus: *Eia ad rem! & quod unum est necessarium. Conjungimini, & concorditer Diis sacrificate.* Ad hæc Justinus: *Nemo sanæ mentis pietatem deserit, ut errorem, & impietatem amplectatur.* Præfectus: *Nisi mandatis obtemperatis, immisericorditer cruciabimini.* Justinus: *Nihil magis in votis nobis est, quam pro Domino nostro JEsu Christo pati, tunc enim cum fiducia coram terribili ejus tribunali stabimus, ubi omnibus hominibus aliquando comparendum.* Eadem alii Martyres dicebant, & addebant: *quod facis, fac cito, nam Christiani sumus, & Idolis non sacrificamus.*

His auditis, Præfectus sententiam pronuntiat in hunc modum: *Qui sacrificare, & mandatis Imperatorum obedire noluerunt, fustigentur, & ducantur ad mortem, sicut leges præcipiunt.* Tum S. Martyres, Deum laudantes, in locum con-

consuetum ducti, flagellati, & securi percussi sunt. Eorum corpora occulte a Fidelibus sublata, loco honesto sepulta. Hic fuit Martyrii modus S. Justini Philosophi. Plura ejusdem opera in manibus nostris sunt, græce scripta, inter quæ præcipua, & minime controversa sunt duæ Apologiæ pro Christianis, Dialogus cum Tryphone, & pars secunda tractatus de Monarchia, id est, de unitate Dei. Discipulus ejus fama inter alios eminens fuit Tatianus, ortu Assyrius, professione Philosophus.

Sæculum II. A.C. 167.

Euſ. hiſt. IV. c. 18.

§. LVIII.

S. Dionysius Episcopus Corinthi.

Eodem ferme tempore Dionysius Episcopus Corinthiorum epistolam ad Ecclesiam Romanam dedit, præferentem Soteris Nomen, qui tunc Romæ gubernabat Ecclesiam. In ea talia legebantur: *A principio beneficia in fratres spargere consuevistis, & ad pauperes aliarum Ecclesiarum mittere, unde subsistant; hic Fidelium indigentiæ subvenitis, illorum præprimis, qui in fodinis laborant; & ita, quod genuinos Romanos decet, antiquam Patrum vestrorum consuetudinem servatis. Beato vestro Episcopo Soteri satis non fuit, Patrum vestigiis insistere, superaddidit, ut postquam liberalitatem vestram*

Hier. script. Euſ. IV. hiſt. c. 23.

Sæculum II. A. C. 167.

vestram ad Sanctos mittendi curam in se suscepisset, etiam fratres, qui ad se venerant, piis sermonibus consolaretur, eo affectu, quem tenerrimus Pater in filios solet ostendere. Dionysius in eadem Epistola hæc habet ad ipsum Soterem directa: *Hodie sanctam diem Dominicam celebravimus, & tuam legimus epistolam, eamque imposterum semper legemus ad instructionem nostram, sicut etiam antecedentem, quæ ad nos a Clemente scripta est.* (*) Ex quibus apparet, in Ecclesiis tales epistolas legendi usum post sacras Scripturas viguisse. S. Dionysii pastoralis fervor in Ecclesiæ Corinthiorum limitibus contineri non poterat, sed etiam per epistolas ad alias Ecclesias extendebatur; tales epistolas octo numeramus, si etiam illa, quæ ad Romanos scripta est, computetur. Secunda data erat ad Lacedæmonios, qua eos in fide orthodoxa instruebat, ad pacem, & unionem hortabatur. Tertia ad Athenienses, ut fidem excitaret, & restauraret præceptorum Evangelicorum obser-

Euf. IV. hist. c. 23.

(*) Ex his dispicitur, quanta Reverentia epistolæ Romanorum Episcoporum in Ecclesiis Græciæ lectæ fuerint. Ex eo autem, quod hic S. Dionysius Soterem Papam, & Clementem conjungat, confirmatur, S. Clementem, cum epistolam suam ad Corinthios scriberet, non tantum Presbyterum, sed jam Episcopum fuisse.

observantiam; eosdem increpat, quod, defuncto ipsorum Episcopo Publio, quem illius temporis persecutiones messuerant, Evangelicos mores, & Doctrinam pene abjecerint. De Quadrato Publii successore mentionem facit, & dilaudat ejus charitatem, quam dispersos Fideles collegisset, & vacillantes firmasset. Etiam de S. Dionysio Areopagita, a S. Paulo converso, & primo Athenienſium Episcopo loquitur. Sæculum II. A. C. 167.

Epistola quarta S. Dionysii Corinthiaci ad Nicomedienses data erat; in ea hæresin Marcionis opposita veritatis regula impugnabat. Quinta ad Ecclesiam Amastriacam in Ponto; hanc, ut ipse testatur, Bachilide, & Elpisto impellentibus, scripsit; Episcopum eorum nominat Palmantem, jubetque, cujuscunque peccati, vel hæresis pœnitentes recipi. Hoc propter nimium rigorem Montanistarum, qui tunc in Phrygia oriebantur, dictum fuisse verosimile est. Epistolarum suarum sextam ad Ecclesiam Gortynensem in Creta direxit; laudabile testimonium Philippo eorum Episcopo reddit, quod in hac Ecclesia Christianæ virtutes florere dicerentur. Monet, ab hæreticorum fallaciis caveant.

Epistola septima ad Gnossiacos ejusdem Insulæ Cretæ Incolas scripta erat. Pinytum Gnosi Episcopum hortabatur, ne

Sæculum II. A. C. 167.

ne grave jugum continentiæ, tanquam necessarium, fratribus imponeret, sed ad communem hominem infirmitatem attenderet. Tali monitione ideo opus esse, haud dubie credebat, ne sanctus Episcopus zelo præfervido ad errorem Encratitarum accederet, matrimonium generaliter damnantium. Pinytus responsum dedit, in quo, postquam summam Dionysii æstimationem fuisset testatus, vicissim hortatur; ut populum suum solidiori nutrimento aleret, & ad perfectiorem gradum incitaret; ne, si nunquam ablactarentur, in ignorantia sicut infantes seneſcerent. Hic Pinytum de alio perfectionis genere, quam continentiæ omnibus servandæ, esse locutum, credere oportet, alias enim ejus Doctrina Catholicæ non esset consentanea; nam ex hac ipsa epistola ejus fidei simplicitas, gregis sibi commissi sollicitudo, eruditio, rerumque Divinarum scientia elucent.

Octava S. Dionysii Epistola ad quamdam sororem nomine Chrysophoram scripta est. Idem in quodam manuscripto queritur, epistolas suas fuisse adulteratas, & ait: *Multas scripsi epistolas, ut fratrum precibus morem gererem, & ecce! Apostoli Diaboli addendo, & omittendo in eas zizania seminaverunt: hos districtum Dei exspectat judicium.* Quid igitur,

igitur mirum, si aliqui Scripturas Divinas alterare attentarint, cum nec tales, quæ ab illarum auctoritate longissime absunt, intactas reliquerint? Hæc de scriptis S. Dionysii Episcopi Corinthiorum scimus. Sæculum II. A. C. 167.

§. LIX.

Successio Episcoporum.

Celadion Episcopus Alexandriæ naturæ debitum solvit anno centesimo sexagesimo septimo, postquam sederat annis quatuordecim; ei successit Agrippa, qui rexit Ecclesiam annis duodecim. Anno sequenti centesimo sexagesimo octavo, Marci Aurelii octavo mortalitatem exuit Heron Episcopus Antiochenus, qui sederat annis viginti sex; ejus successor fuit Theophilus, magno ingenio, & eruditione vir; fuit is post S. Petrum numero sextus, & tredecim annis gubernavit. *Euseb. Chr. lat. an.* 167. *& hist. IV. c.* 19.

Anno Christi centesimo sexagesimo nono e vivis sublatus est Imperator Lucius Verus, qui regnaverat novem annis cum Marco Aurelio fratre suo adoptivo; abhinc Aurelius solus imperavit. Anno centesimo septuagesimo secundum opinionem maxime verosimilem Soter Papa ad cœlestia abiit, cui successit Eleutherius. Initio sui Pontificatus litteras accepit a Rege nomine Lucio, Romanorum vel subdito, vel fœderato, qui in ma- An. 169. Eleutherius Pontifex. *Beda hist. Angl. l.* 1. *c.* 4.

Sæculum II. A. C. 167.

magna Britannia imperabat, quibus rogabat, ut in susceptione Christianæ fidei adjuvaretur; Papa, quod petebatur, facile concessit; & Britones fidem Christianam in pace professi sunt usque ad Diocletiani tempora. Jerosolymæ Cassianus Episcopus numero decimus septimus Marco succeſſit anno Regni Antonini Pii decimo nono, JEsuChristi centesimo quinquagesimo septimo. Cassiano succeſſit Publius, huic Maximus, Julianus, Gajanus, Symmachus, Gajus, alter Julianus, Capitonius, qui fuit numero vigesimus quintus Episcopus Jerosolymitanus, vixitque usque ad annum quintum Imperatoris Commodi, JEsu Christi octogesimum quintum.

Euſ. Chron. an. 157. *Id. V. hiſt.* 12.

HISTO-

HISTORIA ECCLESIASTICA.

LIBER IV.

ELEUTHERIUS, PAPA.
M. AURELIUS, IMPERATOR.

§. I.

Apologia Melitonis.

Anno Marci Aurelii decimo, JEsu Christi centesimo septuagesimo Meliton Episcopus Sardis in Asia supplicem Cæsari libellum inscripsit pro Christianis, in quo inter alia memorabat: *Quod in hanc usque lucem nunquam contigit, recentium Decretorum vi in servos Dei per totam Asiam desævitur.* Hæc de convenientis populi placitis accipienda. Inferius ait: *Calumniatorum impudentia, & prædandi aviditas, mandato-*

Sæculum II. A. C. 170.

Euſ. hiſt. VI. c. 26.

An. 170.

Sæculum II. A. C. 170.

rum prætextu ſecura, diu noctuque innoxios aperte ſpoliat. Et iterum: *Si tuo hæc juſſu fiunt, juſte hæc fieri concedam; a Principe enim juſto iniqua imperia procedere nequeunt; & lubenti animo mortem oppetimus; unum eſt, quod æquitatem tuam obteſtamur, ut cauſam eorum, qui contumaciæ accuſantur, per te ipſum cognoſcas, & ſic, an digni ſint, ut ſupplíciis, & morte tollantur, an vero, ut quiete, & ſecure vivere ſinantur, ex æquo judices; quod ſi nova hæc conſilia, & mandata a tua voluntate ortum non trahunt, quæ mandata profecto nemo æquitatis amans, in barbaros imperii hoſtes lata, probare poſſet, eo magis tuam imploramus pietatem, ut nos ſervos tuos a furentis plebis inſania jam nunc liberos, & impoſterum præſtes ſecuros.*

V. Valeſ. hic.

Poſt hæc ſubdit: *Philoſophia noſtra a Barbaris prius culta, veſtris populis ſub magni Auguſti Regno illuxit, & ſane cum illa omnis Imperio veſtro proſperitas invecta videtur; ab hoc enim tempore Romanorum Potentia, & gloria in immenſum crevit; huic Potentiæ ſucceſſiſti feliciter, & una cum filio conſervabis, ſi hujus Philoſophiæ Protector extiteris, quæ cum Imperio Romano educata, juxta alias Religiones a Majoribus tuis honorata eſt; ex quo nihil ſiniſtri unquam vobis accidit, ſed ſecundum omnium vota, omnia ſemper proſpere*

Sæculum II
A. C. 170.

prospere & cum gloria successerunt. Nero, & Domitianus soli fuere, qui stimulante quorumdam invidia, Doctrinæ nostræ malam notam inurere conati sunt; ex his fontibus mendacium, & calumnia in nos, sana ratione frustra reluctante, eruperunt; huic cæcitati ut mederentur Patres tui, sæpe hostium nostrorum impetum suis edictis repressere. Hadrianus avus tuus, & aliis, & Fundano Asiæ Prætori pro Christianis scripsit. Pater tuus etiam tunc, cum Imperii curas tecum partiretur, multis urbibus, & inter has Lariſſæis, Thessalonicensibus, Athenienſibus in favorem Christianorum rescripsit. Te vero, cui Patrum tuorum par est prudentia, &, quod Philosophum decet, major humanitas, quæ juste petimus, clementer concessurum, ullatenus dubitare non possumus. Talia erant Melitonis verba. Quæ de Nerone, & Domitiano dicit, ita accipi possunt, quod soli novas leges contra Christianos tulerint; nihilominus Christiani Nominis inimicis persequendi prætextus suppetebant ex legum antiquarum virtute, novitias Religiones arcentium. Et aliunde pia calliditate Meliton innuebat, persecutionem Christianorum originem suam debere duobus Tyrannis, quorum memoria omnibus esset execrabilis.

Sæculum II. A. C. 170.

§. II.

M. Aurelii Epistola pro Christianis.

Chron. Alex. Euſ. IV. hiſt. c. 13.

Quidquid autem de eo sit, an Imperator hac Apologia, vel alia de causa permotus fuerit, tamen verosimillimum est, eum eodem anno Regni sui epistolam Christianis faventem ad Asiæ minoris populos dedisse; ea videtur esse responsoria, cum præsuppositа consultatione pauciſſimis mentem suam explicet. Est autem tenoris sequentis: *Imperator, Cæsar, Marcus Aurelius, Antoninus, Augustus, Armenianus, Summus Pontifex, Tribunus Populi decimo quinto, Consul tertio Asiæ communitati salutem. Scio, ipsis Diis curæ esse, ut hujusmodi homines e latebris eruantur; magis eorum interest, quam vestra, puniri, qui sibi Divinos honores negant. Dum tales persequimini, in sententia, qua vos impietatis arguunt, confirmatis. Palam accusari, & pro Deo suo mori, majus lucrum reputant, quam vivere. Itaque dum vitam vilipendere, quam imperata facere malunt, vincunt. Quod attinet ad terræ motus præteriti, vel hujus temporis, visum, vos moneri oportere, quod dum talia contingunt, animo cadatis, & tamen vosipsos istis hominibus audeatis conferre, qui in istis casibus majori fiducia Deo suo inhærent; econtra dum timore liberati estis, tam Deorum vestrorum vivitis*

Sæculum II. A. C. 170.

vivitis immemores, quam illius immortalis, & Christianos ad mortem quæritis, qui eum honorant. Plures Provinciarum Rectores horum hominum causa Divinum Parentem meum consultarunt, quibus respondit, non esse vexandos, nisi contra Romanum Imperium quidquam attentare videantur. Plures scripserunt & mihi, quibus juxta Parentis mei sententiam rescripsi. Si quis quemquam eorum tanquam Christianum in judicio persequatur, absolvatur reus, quamquam constet, esse Christianum. Insuper actio detur contra delatorem. Lectum Ephesi in Asiæ comitiis.

§. III.

Alia Melitonis Opera.

Meliton præter suam apologiam multa alia opera super Doctrinam, & mores scripsit; eorum operum viginti septem numerantur, quorum nobis pauca fragmenta suppetunt. Inter alia erat collectio sententiarum brevium, & selectarum Scripturæ, cognita omnibus, Catalogum Librorum veteris Testamenti continens. Initium huic operi his verbis fecerat: *Meliton fratri suo Onesimo salutem. Cum pro tuo in nostram Doctrinam affectu sæpius me rogaveris, ut optima quæque ex Lege, & Prophetis, ubi de Salvatore, & tota fide nostra agitur, ex-*

Euf. IV. hist. c. 26.

Sæculum II. A. C. 170.

cerperem, tibique veterum librorum numerum, & ordinem exacte traderem, in hoc ſtudium omnem operam impendi; ſciens, quod ex zelo pro Dei honore, & cura ſalutis tuæ hanc ſcientiam omnibus aliis præferas. In hunc finem in Provincias Orientis profectus ſum, & in illa loca, ubi fidei noſtræ Myſteria primum prædicata, & adimpleta ſunt; jam quales ſint libri veteris Teſtamenti didici, & ecce tibi eorum Catalogum. Quinque Moyſis; Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. Jeſus Nave, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Pſalmi David, Proverbia Salomonis, alias Sapientiæ, Eccleſiaſtes, Cantica Canticorum, Job. Prophetæ Iſaias, Jeremias; duodecim in uno libro, Daniel, Ezechiel, Esdras. Horum a me extracta in ſex libros diviſi. Hic habemus primum Sacrarum Scripturarum catalogum auctore Chriſtiano concinnatum. Judæorum Catalogo eſt conformis, & viginti duos libros continet, ſi cum iisdem Regum duos, & Paralipomenon unum numeres. Unum tamen, ſcilicet librum Eſther, quem Judæi authenticum credant, Meliton omiſit; itaque quamcunque diligentiam impenderit, catalogus ejus omnibus numeris abſolutus non eſt. Necdum omnes Eccleſiæ in hac materia ſatis erant inſtructæ; nec omnes libri Cano-

Hier. prol. galeat.

Canonici ad notitiam omnium Ecclesiarum pervenerant. Mirum vero hoc ipsum nemini videatur, cum quasdam Ecclesias sine omni Scriptura subsistitisse, S. Irenæus testatum faciat. (*)

Sæculum II. A. C. 170.

Lib. III. c. 4.

In quodam Tractatu de Paschate Meliton tempus, quo eum scripserit, notat, sic enim incipit: *Cum Servilius Paulus esset Proconsul Asiæ, quo tempore Sagaris Martyrium subiit, magna quæstio in illis diebus exorta est de Paschate, tuncque hoc scriptum est.* Hæc sunt omnia, quæ de operibus Melitonis habemus. Martyr Sagaris, cujus mentionem facit, erat Episcopus Laodicenus, ibique mortuus est; in eadem erat cum Melitone sententia, Pascha decima quarta lunæ esse celebrandum. Meliton Sardis sepultus est; erat Eunuchus; cæterum vir vitæ sanctitate, claritate ingenii, & stili elegantia celebris. Multi Prophetiæ dono prædituum credidere.

Polyc. apud Euf. lib. V. c. 24. Hier. de script.

§. IV.

Alii Scriptores Ecclesiastici.

Circa idem tempus Apollinaris Episcopus Hierapolitanus, illustri fama Meliton

Euf. hist. IV. c. 27.

(*) Ecclesiæ illæ, quas S. Irenæus testatur sine omni Scriptura extitisse, certe non fuerunt Lutheranæ, quæ, rejecta auctoritate humana, in sola Scriptura fundari dicuntur.

Sæculum II. A. C. 170.

litoni compar, Epistolam Apologeticam pro Christianis ad Imperatorem dedit, aliorum etiam librorum auctor, decem enim numerantur, quos scripsit, partim contra Gentiles, partim contra Judæos, & postremo contra Montanistas, quorum tunc hæresis ex incunabulis prorepebat. Plures eodem tempore auctores librorum percelebres extiterunt. In Insula Creta Pinytus Episcopus Gnosiæ, cujus jam memores fuimus. Philippus Gortynensis Episcopus egregii operis contra Marcionem auctor. Modestus ejusdem Marcionis errores ex caligine in lucem protraxit. Musanus energice scripsit contra quosdam Ecclesiæ desertores, & ad Encratitarum hæresin transfugas, quæ tunc Tatiano Parente nascebatur. Hi Scriptores Ecclesiastici omnes sub Imperatore Marco Aurelio calamum stringebant.

Hier. ibid. Euf. IV. hist. c. 23.

§. V.

Hæresis Montani.

Euf. in Chr. An. 172. Script. ant. ap. Euf. hist. V. c. 16.

Ad hujus Imperatoris annum undecimum, JEsu Christi centesimum septuagesimum primum Montanistarum primordia referunt. In Mysia Phrygiæ oppido, dicto Ardabavo, quidam Evnuchus Neophytus nomine Montanus, illo, quo Gratus Proconsul Asiæ præerat, tempore, primum inter suos locum immoderatissime affectabat; cumque hoc mo-

An. 171.

do

Sæculum II. A. C. 171.

do locum dediſſet Diabolo, derepente obſeſſus, & mentis impos, publice loqui, proferre inſolita, & vaticinari contra traditiones, & conſuetudines, ab origine per ſucceſſionem in Eccleſia receptas. Pars audientium, eum ſpiritu erroris agitatum, judicabat, & indignata, quod turbaret populum, minis a propoſito deterrere nitebatur, juxta monitum Domini; cavete a falſis Prophetis. Alii vano gaudio de gratia Spiritus S. & Prophetiæ dono lætantes, & decepti, ad loquendum exſtimulabant, ita, ut jam nemine cohibente, quæ vellet, effutiret.

Montano duæ adjutrices ſe junxerunt, eodem ſpiritu turbatæ, quæ Magiſtri exemplo multa ſine ratione, & ſenſu contra communem loquendi modum blaterabant. Sectatores ejus, parvus quidem Phrygum numerus, promiſſionum magnitudine ſuſpenſi, jam felicitatis apicem ſibi tangere videbantur; nonnunquam autem exprobrationibus maligni ſpiritus, occulta eorum ſcelera conjectantis, quaſi convicti percellebantur. Duarum mulierum nomina erant Priſca, ſeu Priſcilla, & Maximilla; hæ opulentia, & nobilitate ſupra vulgus multos ſuis largitionibus ſeducebant, ipſæ viciſſim ab aliis dona accipientes; quamprimum eas Spiritus Prophetiæ corripuiſſet, ante omnia a maritis receſſerunt, tanta jactantia, ut ſe in Mini-

Hier. epiſt. 54. ad Marc. Apoll. ad Euſ. hiſt. V. c. 17.

Miltiad. ap. Euſ. V. c. 17.

Sæculum II. A. C. 171.

Ministerio Prophetiæ Quadrato, & Ammiæ ex Philadelphia, vere antea inter Catholicos Prophetiæ gratia ornatis, successisse credi vellent; constans autem erat opinio, Prophetiæ Spiritum in Ecclesia non cessasse, sed usque in finem duraturum.

Justin. in Tryph.

Montanus se suasque Prophetissas plenitudinem Spiritus Dei, qui in alios fuerat divisus, accepisse asserebat, perverse illa S. Pauli verba interpretatus: ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus; seipsum igitur Apostolis superiorem faciebat, quia in ipsum perfectio, id est Paracletus, quem JEsus Christus promiserat, adveniisset; ideo a suis dictus est Paracletus. Docebat Montanus, Deum primo voluisse mundum salvare per Moysen, & Prophetas, quod cum non potuisset efficere, fuisse incarnatum, cumque nec isto medio quidquam profeciisset, per Spiritum Sanctum descendisse in Montanum, Priscam, & Maximillam. Doctrinam etiam, si ipsi fides, Apostolorum Doctrina perfectiorem asserebat; S. Paulus transitum ad secundas nuptias permiserat, Montanus ut flagitiosas damnabat, & matrimonii dissolutionem permittebat. Nova jejunia inducebat; Apostoli unam tantum instituerant quadragesimam, Montanus tres per annum præscribebat. Fugam tempore

1. *Cor.* 13. 9.

Hier. ep. 54. *ad Marcell.*

pore persecutionis ajebat esse illicitam, jubebatque, ut quis seipsum Martyrio offerret. Sectatores ejus more Marcionitarum magno Martyrum suorum numero gloriabantur. Montanus vix ullos peccatores ad pœnitentiam admittebat. Inter Catholicos Episcopi primum locum occupabant, tanquam Apostolorum successores, inter Montanistas primo loco veniebant Patriarchæ, secundo illi, quos Cenones vocabant, & tertio ordine Episcopi. Pepusium, parvum Phrygiæ oppidum, Montani erat Metropolis, quam, ut homines illuc pelliceret, Jerosolymam nuncupabat. Sæculum II. A. C. 171. *Apoll. apud Eus. V. c. 18.*

Quosdam pecuniæ exactores constituerat, oblationum prætextu quas non solum a divitibus, sed etiam a pauperibus, orphanis, & viduis quæstuose colligebant. Prædicatoribus suis, ut laute vivendi facultates essent, annuos reddit tus dabat. Si quis Prophetissas ejus vellet demereri, id donis aureis & argenteis, aut vestibus pretiosis fieri oportebat. Mores quippe eorum a Doctrinæ severitate valde distabant. Quidam ex eorum Secta Confessor, nomine Themison, propter fidem in vincula conjectus, magna pecuniæ vi libertatem emit, tumque quasi Martyrii gloria inflatus, Apostolorum exemplo epistolam universis Fidelibus scripsit, qua suos errores defendere,

Sæculum II. A.C. 171.

fendere, & Catholicos instruere præsumebat.

Quemdam nomine Alexandrum unius ex Prophetissis commensalem, ad cujus pedes multi prosternebantur, furti, aliorumque criminum fuisse damnatum ex publicis Asiæ tabulariis probari poterat; nam Ephesi a Proconsule Æmilio Frontino fuerat judicatus, & quamvis esset Apostata, Fideles tamen decepit, quorum opera, tanquam propter Nomen JESU Christi pateretur, pœnis ereptus est. A sua Ecclesia, quia fur esse sciebatur, non receptus, pluribus annis cum Prophetissa habitavit, nesciente, qualis esset. Apollonius tunc temporis Historicus Ecclesiasticus hæc omnia Montanistis exprobrat, & addit: *Qualia de isto, talia etiam de pluribus aliis ex vestris probare possumus. Aut si innocentiæ suæ confidunt, probationes solvant.* Et alibi: *Si negent, a suis Prophetis munera accipi, saltem hoc promittant, quod si hujus avaritiæ fuerint convicti, eos pro Pseudo-Prophetis sint habituri, & nos idipsum mille argumentis omnium oculis exponemus. At num ex fructibus eorum ipsos Prophetas esse cognosci possit, examinemus. Eja! edicite! suntne Prophetæ, qui capillos, & supercilia pingunt, qui mundanorum more ornantur, aleas tractant, ex pecuniis mutuo datis usuras accipiunt? Edicant*

Edicant, an hæc facere Prophetis liceat, & ego ſole clarius demonſtrabo, quod faciant.

Sæculum II. A. C. 171.

§. VI.

Damnatio Montaniſtarum.

Zoticus ex oppido Comano, quod in Pamphilia fuiſſe creditur, & Julianus Apamienſis ex Phrygia, præter alios Epiſcopos Maximillam crimine falſi conviciſſent, & ſpiritum ejus malignum ejeciſſent, niſi a Themiſonis ſectatoribus fuiſſent impediti; ſpiritus vero malignus, Maximillam obſidens, in ſermone contra Aſterium Urbanum dicebat: *Oves me perſequuntur tanquam lupum, at non ſum lupus, ſed Verbum, Spiritus, & Virtus ſum.* Etiam Sotas Anchialæus ſpiritum Priſcillæ exorciſmis pellere fuiſſet aggreſſus; at fæminæ fautores non admiſerunt. Fideles Aſiæ ſæpe, & in diverſis locis ad hujus Prophetæ ſimulationem excutiendam convenerunt; denique Montanum ab initio per ignorantiam craſſam, & voluntariam lapſum, deinde in inſaniam, cujus potens non eſſet, & in maniam, omnis pudoris expertem, devolutum eſſe judicarunt. Nec enim ullum Prophetarum vel veteris, vel novi Teſtamenti tali modo Spiritu turbari experientia docebat; nec Agabo, vel[n. 47.]

Script. Ant. apud Euſ. V. c. 16.

Serap. ap. Euſ. V. c. 19.

Euſ. V. c. 17.

Sup. lib. 1.

Sæculum II. A. C. 171.

vel Judæ, vel Sylæ, aut S. Philippi filiis, aut Prophetissæ Ammiæ ex Philadelphia, aut Quadrato, aut cuiquam alteri ex Prophetis sibi notis simile quid evenerat. Igitur post maturum examen Montani Prophetiæ prophanæ declaratæ sunt, hæresis damnata, ejus Discipuli Ecclesia ejecti, & Fidelium communione privati.

Apud. Eus V. c. 19.

Serapion Episcopus Antiochenus, Maximiani successor, hanc damnationem in litteris ad Caricum, & Ponticum datis, testatam facit in hunc modum: *Ut sciatis, has Pseudo-Prophetias, tanquam hominum abominationem, in omni terra, quæ indigenas habet, & ab omnibus fratribus Catholicis in JEsu Christo, fuisse rejectas, misi ad vos scripta beati Claudii Apollinaris quondam Episcopi Hierapolitani in Asia.* Hæc Serapionis Epistola multorum Episcoporum nomine, & inter alios Aurelii Cyrenii Martyris, Ælii Publii Julii Episcopi Debeltani in Thracum Colonia, erat signata. Hæretici litteras a Summo Pontifice obreptitie impetraverant, quibus ille Prophetias Montani, Priscæ, & Maximillæ recipiebat, sic pacem Ecclesiis Asiæ, & Phrygiæ redditurus; at Praxeas ab eorum hæresi conversus, errores detexit, & fallacias, quibus cognitis Papa transmissas pacis litteras revocavit. Non nulli Martyres cum

Tertull. adv. Prax. c. 1.

cum istis hæreticis fidei causa comprehensi, se illorum Prophetiis nullam fidem adhibere aperte profitebantur, easque asserentibus ad ultimum usque spiritum resistebant; inter hos fuere Gajus, & Alexander Apamiæ ad Mæandrum Martyrii Palmam adepti. Sæculum II. A. C. 171.

Quidam Scriptor, huic hæresi adversarius, ajebat; se diu calamo peperciſſe, non quod difficile fuerit eorum fraudes in lucem protrahere, & defendere veritatem, sed quod Religiose timuisset, ne quibusdam ad Doctrinam novi Testamenti aliquid addere voluisse videretur, cui aliquid addere, vel demere non liceret, secundum Evangelium vivere volentibus. Tum subdit: *Cum essem non multum abhinc Ancyræ in Galatia, hujus loci Ecclesiam propter istas Prophetias turbari vidi; quantum licuit, cum auxilio Domini pluribus diebus hac super re in Ecclesia consultavimus, quæ pro vel contra has opiniones afferrentur, examinantes; tandem magno Ecclesiæ gaudio confirmata est veritas, adversarii vero rejecti & contempti. Ab illius loci Presbyteris in præsentia Confratris nostri Presbyteri Zotici Otrenani rogatus, ut hanc consultationem, & disputationem litteris consignarem, ibi quidem non feci, sed promisi me hic scripturum, & transmissurum.* *Euſ. V. hiſt. c.* 16.

Sæculum II. A. C. 171.

Hæc sunt verba hujus antiqui Auctoris cujus nomen ignoramus.

Constanti fama Montanus, & Maximilla eodem, quo agitari solebant, spiritu impellente, suspendio se peremisse, ferebantur; præterea ajebant, Theodorum inter primos ex illis, qui has Prophetias prædicaverant, cum se maligno cuidam spiritui credidisset, ab eo in aera sublatum, subitoque præcipitatum interiisse. Prophetiarum falsitatem eventus docuit; nullam post se Prophetissam amplius extituram, sed bella, & seditiones Maximilla prædixerat; at Apollinaris plus quam tredecim annis post ejus mortem scribens, nullum bellum in toto terrarum orbe, quod sciret, fuisse gestum, ipsosque Christianos in pace tranquilla vixisse testatur. Non ideo tamen hæresis ista statim extincta; Sectatores ejus, hæretici Phrygiæ, dicti sunt, seu ab ipsis Phrygibus Cataphryges; in varias iterum divisiones Secti, quippe alii Proculi, seu Procli, alii Eschinis, alii Quintillæ opinionem amplectebantur. Alii nomine Phrygio *Tascodrougites*, & Græce *Passalorinchites* vocabantur, quia orantes digitum tenebant ante nasum, ut sibi os clauderent, & attentionem indicarent.

Apud Tert. de præscr. c. 52. Epiph. hær. 48. n. 14.

§. VII.

Sæculum II.
A. C. 172.

§. VII.

Tatiani Tractatus adversus Græcos.

EOdem ferme tempore, quo Montani hæresis, etiam Tatiani apparuit, nempe Marci Aurelii anno duodecimo, JEsu Christi centesimo septuagesimo secundo. Erat Tatianus gente Assyrius; ex Philosopho Platonico factus Christianus, fuit S. Justini Martyris Discipulus. Quamdiu Magister ejus vixit, a sana Doctrina non aberravit, quin magna pietatis specimina edidit. Vir magni etiam apud Paganos nominis; opus quoddam illius habemus adversus Ethnicos, seu Græcos scriptum, nam nomen *Hellenes* apud Scriptores Ecclesiasticos unum significat, & alterum.

Euſ. in Chr. An. 173.

An. 172.

In hujus operis exordio Gentiles studia sua, & artes a populis accepisse, quos barbaros vocarent, ostendit. Eorundem studiorum, nempe Grammaticæ, Rhetoricæ, Poeticæ, & Philosophiæ vanitatem exprobrat, de Philosophorum Ethnicorum imperitia, &, quod propriis principiis contraria afferrent, prolixius differens. Tum in hunc modum prosequitur: *Quo jure vos aliis vivendi rationem præscribitis? vel cur ego scelestus audiam, quod meo potius, quam vestro judicio mores instituam? Cæsar tributa imperat, lubens solvo; Dominus meus a me*

Post. Just. edit. 1615. *p.* 144.

Sæculum II. A. C. 172.

obsequia exigit, reddo. Homo humano modo honorandus est, solus vero Deus timendus. Mori paratus sum, ne vel mendax sim, vel ingratus.

Inferius Tatianus de Dei Natura loquitur, & sic ait: *In principio Dominus universi, qui sustentat omnia, solus erat, in quantum Creatura necdum erat condita; in ejus autem Potentia omnia continebantur. Verbum, quod in eo erat, subsistebat, & genitum est distinctione, non separatione; sicut fax una plures alias accendit sine luminis sui diminutione; ita Verbum a Patris potentia procedens, Patrem Verbo, & Ratione non privavit; loquor ego vobis, & vos auditis, tamen verbo meo, quod ad vos transit, non ego privor.*

p. 145.

Ulterius liberum arbitrium tam Angelorum, quam hominum clarissime statuit; at de natura animæ confusam conceperat Ideam, substantiam spiritualem a corporali non satis discernens. S. Justini Præceptoris sui meminit his verbis: *Justinus vir admirabilis dicere solebat; Dæmones non absimiles sunt furibus, qui captis vitæ gratiam faciunt, ut magno pretio libertatem emant. Ita falsi Dii homines lædunt, & mutilant; tum in somno apparent infirmis, jubentque, ut a se publice sanitatem postulant, & coram omni populo sanitatem reddunt, quam pudendo*

p. 146.

p. 157.

dendo maleficio abstulerant. Etiam de Philosopho Crescentio Cynico loquitur, & morum ejus infamiam depingit. Aliorum Philosophorum fraudes, & dolos aperiens, ait: *Quænam autem sunt horum merita? nisi forte hæc loco meritorum habeantur, corporis sordities, promissi capilli, barba caprina, ungues, quas a ferinis vix distinguas, & quod dicant, se nulla re indigere; si vero nemine indigent, respondeant, cur aliquos eorum a Cæsare ducentos aureos in pensionem annuam mendicare non pudeat?*

Sæculum II. A. C. 172.

p. 162.

p. 161.

Totius operis scopus est, ut ostendat, Idolorum cultum sanæ rationi repugnare, utpote qui ad Divinationem, & sortilegia, morumque depravationem deduceret. Speciatim & pluribus spectaculorum scenicorum infamiam describit, ubi scelera, nocturnis tenebris celari solita, publicæ luci exponerentur; Athletarum certamina Reipublicæ esse inutilia; Gladiatorum vero pugnis eam inesse crudelitatem, quæ a belluina ferocitate nihil differret; quippe homines miserrimos coemi, & in hunc unice finem pasci, ut deinde in Circo coram insanientis plebis multitudine seipsos contrucident. Tum quantum vera Religio supra scientias humanas emineat, in hunc modum probat: *Apud nos*, inquit: *vana Gloria non quæritur, rejectis humanis opinionibus*

p. 157.

p. 167.

Sæculum II. A. C. 172.

bus Legem Dei ſequimur; Philoſophia noſtra non ſolis divitibus venditur, ſed eam etiam pauperes gratis docentur, quia rebus divinis nulla merces temporalis par eſſe poteſt; omnes, qui audire nos cupiunt, admittimus, etiam vetulas, & infantes; omnis ætas apud nos in pretio eſt, & quicunque Philoſophus fieri vult, poteſt; nec ad veſtitum, vel alia externa, quæ hominem circumdant, attendimus. Ridetis nos, quod bonum tempus, ut vos quidem exiſtimatis, cum infantibus, puellis, fœminis fabulando perdamus; quis vero patienter ferat, quod apud vos ſtatuæ, & monumenta publica ſcortorum veſtrorum memoriæ, & honoribus dedicata conſpiciantur.

p. 166. Tandem Tractatui finem imponit, antiquitatem Religionis Catholicæ demonſtrando. Moyſes, & Homerus Scriptorum omnium antiquiſſimi ſunt, ille inter Barbaros, iſte inter Græcos; nunc quidem plures Scriptores Græci in Homeri ætatem inquiſierunt, atqui ille, qui antiquiſſimum fecit, ante Heraclidarum deſcenſum in illud octoginta annorum ſpatium, quod poſt Bellum Trojanum fluxit, eum referebat; *p.* 171. Moyſes autem non ſolum Trojæ vaſtatione, ſed etiam ejusdem fundatione antiquior eſt, quod Tatianus ex Scriptoribus Chaldæis, Phœnicibus, & Ægyptiis probat; Beroſus Chaldæus

Bellum

Sæculum II. A. C. 172.

Bellum memorat, quod Nabuchodonosor in Judæa gessit, ex quo rerum Judaicarum Chronologia colligi potest. Tres Historici Phœnices Theodatus nempe, Hypsicrates, & Mochus de amicitia Hiram, & Salomonis mentionem ingerunt, & hos Reges Belli Trojani temporibus fuisse vicinos putant; quanto autem tempore Salomon a Moyse distet, omnes norunt. Tandem Ptolomæus Mendesius ex Ægypto exitum Judæorum Ducente Moyse ad tempus Regis Amosis referebat, cui Inachus primus Argivorum Rex fuit Synchronus; ab isto usque ad Bellum Trojanum viginti generationes numerantur, id est anni quadringenti, quod iterum ex Regum Athenarum, & Macedoniæ ordine comprobat. Præterea Moysen omnibus Scriptoribus Græcis, qui Homerum præcesserunt, & quorum aliqua supereſt memoria, anteriorem fuisse demonstrat, & singulorum Legislatorum, sicut etiam Græciæ Sapientum designat tempora. Tunc opus suum his verbis claudit: *Hæc, o Græci! vobis scripsi, ego Tatianus, qui Barbarorum Philosophiam profiteor, in Assyria natus, a puero vestra Doctrina imbutus, & deinde illa, quam hodie sequor. Jam agnosco, quis sit Deus, & quæ sint opera ejus; ideoque me vobis sisto, ut dogmata mea examinetis, unica posita conditione, neunquam,*

Sæculum II. A. C. 172.

quam, ut vivendi rationem, Legibus Dei mei conformem, deseram, a me postuletis.

§. VIII.

Tatiani Hæresis.

Ex modo, quo Tatianus in suo opere de S. Justino loquitur, eum tunc fuisse mortuum, colligi debet; & demum post ejus felicem obitum cecidit Tatianus; cum enim aliis doctior videri vellet, superbia inflatus, & in errores Valentini, Marcionis, & Saturnini lapsus est. Tamen quamdiu Romæ versabatur, ambitionem pressit, at in Orientem reversus, Daphne prope Antiochiam, in Cilicia, & Pisidia errores docere cœpit. Adamum, ajebat, non esse salvatum; tanti continentiam faciebat, ut matrimonium pro corruptela, & dissolutione haberet; hinc ejus Sectatores dicti sunt Encratitæ, seu continentes; animalium carne abstinebant, & vino, quod nequidem ad Evchariſtiam adhibebant; ideo Discipuli ejus etiam *Hydroparastrates* seu aquarii nominati sunt. Docebat etiam, Legem veterem ab alio Deo latam esse, & iterum ab alio Evangelium. Eo audaciæ devenisse, ajunt, ut quædam S. Pauli verba mutaverit, sermonis constructionem correcturus; quatuor Evangelia in unum contextum concinnaverat in forma cujusdam

Euſ. V. c. 29.

ap. Tertull. præſ. c. 52. Epiph hær. 46. 47. Clem. Alex. II. Pæd. c. 2. Theod. hær. fab. l. 1. c. 20. Clem. Alex. 2. Strom.

Euſ. IV. hiſt. c. 29. Euſ. ibid. Theod. hær. fab. l. 1. c. 20.

jusdam concordantiæ, quam Græce *Dia-tesseron* dicebant, at Genealogias, ex quibus Dominum noſtrum de progenie David eſſe probari poteſt, reſciderat. Sæculum II. A. C. 172.

Quidam nomine Severus Tatiani erroribus novos errores ſuperadidit, cujus Sectatores Severiani dicti. Julius Caſſianus Hæreſiarchæ Valentini Diſcipulus, ſocietate cum Tatiano inita, auctor hæreſis Docitarum evaſit, dicentium, JEſu Chriſto non niſi corpus phantaſticum, ſeu apparens fuiſſe. Scripſit etiam librum de continentia, in quo textum ex Apocrypho Evangelio ſecundum Ægyptios adducebat, ubi JEſus Chriſtus cum Salome loquens, & matrimonium deteſtans inducebatur. Geneſin explicans dicebat, fructum vetitum fuiſſe matrimonium, & tunicas pelliceas nihil aliud, quam carnem humanam. Tatiani errores ſcriptis impugnarunt Muſanus, Apollinaris Epiſcopus Hierapolitanus, Clemens Alexandrinus, & Origenes. *Euſ. IV. c. 29. Aug. hær. 24. Clem. 3. Strom.*

§. IX.

Bardeſanes.

Cum in Meſopotamia multiplices hæreſes in lucem emergerent, Bardeſanes, quo in ſcientiis Chaldæorum nullus verſatior, aut linguæ Syriacæ peritior, Dialogos contra Marcionem, & quosdam *Euſ. IV. hiſt. cap. ult. Id. 6. c. præp. c. 8.*

Sæculum II. A. C. 172.

alios hæreticos scripsit; hujus opera tanto in pretio fuere, ut in Græcum verterentur, inter quæ etiam illud referendum, quod contra fatum scripserat, Imperatori dedicatum. Bardesanes primo Valentini hæresi imbutus, ab ea quidem resiliit, non omnem tamen hausta luci odorem unquam exhalavit. Patria erat Edessenus, Principis Agbari amicus, & in discendis litteris condiscipulus. Apollonius Calcedonensis, Stoicorum illius ætatis princeps, Marci Aurelii Præceptor, Bardesani persuadere conabatur, ut Religionem Christianam missam faceret, cui resistens Bardesanes ajebat; se mortem non timere, quam evitare non posset, quamvis obediret mandato Imperatoris. Fuit eidem filius nomine Harmonius, qui Athenis Græcorum studiis vacavit, & plures libros edidit.

Epiph. hær. 56. n. 1.

Theodor. hær. fab. 1. c. 22.

Bardesanes in suo Tractatu de fatis multarum nationum mores referebat, ut probaret, morum varietatem non a natura, vel necessitate ab astris imposita provenire, sed ex libero arbitrio; tunc ita prosequebatur: *Quid dicemus de Secta Christianorum, quam & nos profitemur, & per omnia orbis climata diffusa? Christiani in Parthia non habent plures uxores, quamvis nec plus, nec minus Parthi sint, quam cæteri. Qui sunt in Media, non projiciunt defunctos suos canibus.* Christia-

Sæculum II. A. C. 172.

Christiani Persæ non accipiunt filias suas in uxores, quamvis in eodem solo, quo alii Persæ, nati sint. Qui apud Bactrianos sunt, & Gallos matrimonii Leges non violant. Ægyptii Christiani nec vitulum Apim, nec canem, nec hircum, nec catum adorant. (*) *Ubicunque invenias, nec Legibus, nec consuetudini perversæ cedunt, nec virtute stellæ, quæ nativitati eorum præsidebat, ad ea facienda, quæ facere eorum Legislator prohibuit, coguntur, morbos, paupertatem, tormenta, & quod ab aliis infamia reputatur, tolerant. Si omnia possemus, omnia essemus; si nihil possemus, nos non liberi, sed aliorum essemus instrumenta.* Hæc Bardesanes.

§. X.

Hæretici varii, Marcosiani &c.

Plures alii Valentini Hæresiarchæ Discipuli tunc innotuere. Ptolomæus, & Secundus omnes alias ejus opiniones amplexi sunt, nisi quod triginta Eonibus alios quatuor, & postea iterum quatuor adjunxerint. Secundus Epiphanio Carpocratis filio junctus est. Sed & alius nomine Heracleon habebat Sectatores suos, qui super

Tertull. ad Val. c. 4. append. Tert. præsc. c. 49. Epiph. hær. 32. n. 3. Id. hær. 36. n. 2. Tertull. append. præsc. c. 50.

(*) Bardesanis Doctrina opinioni illius Auctoris, quibusdam suspecti, qui librum scripsit de Spiritu Legum, opposita est.

Sæculum II. A. C. 172.

Epiph. hær. 34. *n.* 4. 5. 6. 7. 8. *&c.*

Iren. lib. 1. *c.* 8. 9.

super defunctorum corpora quorumdam Principatuum nomina invocabant, oleo, & aqua, quandoque etiam balsamo ungebant, idque in hunc finem, ut Principatibus Superioribus incomprehensibilia, & invisibilia redderentur. Marci, & Colarbasi duorum Valentini Discipulorum somnia erant; omnem plenitudinem, & perfectionem veritatis in Alphabeto Græco contineri, & ex hac ratione JEsum Christum Alpha, & Omega nominari.

Marcus non hæreticus modo, sed etiam Magus erat, & miracula patrare ferebatur. Cum longam invocationem super vino, & aqua calici infusis pronuntiaret, colore purpureo suffundebantur, quem ipse colorem ex influentibus Gratiæ supremæ sanguineis guttis supervenire ajebat; (*) itaque omnes præsentes de mirabili potu gustare gestiebant. Præprimis fæminas illustres, & divites suis præstigiis decipiebat; ipso jubente coram mulieribus calix vini, & aquæ benedicebatur, tum hanc putatam Eucharistiam in alterum calicem primo multo

(*) Nisi Fideles tunc temporis credidissent, vinum in Christi sanguinem converti, non vero illius solummodo esse signum, quid causæ fuisset, cur præstigiator iste liquorem purpurei coloris potius, quam alterius in calicem suum induceret?

Sæculum II. A. C. 172.

multo majorem fundebat. Verba magnifica proferens, Gratiæ augmentum promittentia; & ecce! liquor, qui minorem calicem impleverat, etiam majoris capacitatem æquare videbatur, & superfluere. Nonnunquam ad illam, quam decepturus erat, ajebat: *Faciam te Gratiæ meæ participem; Rerum omnium Pater semper videt Angelum tuum ante faciem suam; primum accipe Gratiam a me, & per me;* mox subdebat: *Ecce Gratia ascendit in te, aperi os tuum, & vaticinare.* Cum Mulier diceret; non possum vaticinari, vehementiores preces repetebat, ut eam turbaret, & dicebat: *Aperi os tuum, & quæcunque locuta fueris, erunt vaticinia;* fæmina decepta, insolito fervore, & cordis palpitatione excitante, temere quædam deliramenta eloquebatur, statimque se Prophetissam existimans, Marco Gratias agebat, de reddenda mercede pro Beneficio sollicita.

Fuere ex Christianis mulieribus, quæ a Seductore isto tentatæ, sibilis explodentes, anathema dicebant; aliæ seductæ, ad Ecclesiam redeuntes, sibi ab eo illusum, seque eum insane deperiisse fatebantur. Cum Diaconus quidam in Asia eum in domum suam excepisset, Diaconi uxor seducta diu Marcum secuta est; tandem post multum laborem a fratribus ad frugem reducta, reliquum vitæ in pœni-

Sæculum II. A. C. 172.

pœnitentiæ luctu consumpsit. Marci Discipuli Magistro suo similes etiam in Gallia ad Rhodanum multas mulieres pervertebant. Hi Hæretici se solos ad perfectionis apicem perveniisse jactabant, nec quemquam ante se, ne quidem Apostolos ad tantam scientiæ profunditatem penetrasse; sibi solis magnitudinem virtutis inenarrabilis esse cognitam, ideoque etiam sibi solis, omni timore liberis, omnia licere.

Theodor. hær. fab. 1. c. 10. 11.

Discipuli Marci Marcosiani dicti sunt, quibus *Ascodroutes*, seu *Ascodroupites*, & Archontici adnumerabantur; Sacramenta rejiciebant, quod dicerent, res incorporeas communicari non posse per res visibiles, & corporeas, quæ, cum essent ignorantiæ, & concupiscentiæ effectus a cognitione destruerentur; igitur Redemptionem perfectam rejecto baptismo in cognitione constituebant. Archontici habebant libros peculiares, quos Revelationes Prophetarum vocabant; septem Cœlos adstruebant, & in quodlibet cœlum ponebant Archontem, seu Principem, unde Nomen Archonticorum nacti sunt. Ajebant; Deum Sabaoth in Cœlo septimo suam exercere Tyrannidem, ex eo Diabolum generatum, qui per Evam Cain, & Abel produxisset. Corporum Resurrectionem negabant. Prophetarum numero novum par inserebant Martiadem,

Epiph. hær. 40. *n.* 7.

tiadem, & Marsianum, sublatos in cœlum, & post triduum rursus in terram deductos. Isti hæretici in solitudine vivebant, contemptum rerum omnium profitentes. Inter Discipulos Valentini quoque Theotimus quidam recensebatur, qui multa industria de imaginibus veteris Testamenti scripserat. Posteriores hi Valentiniani longe a Magistri sententia recesserant, quotidie aliam cudentes doctrinam. Hos omnes S. Justinus Martyr, Miltiades, aliique Philosophi Christiani oppugnarunt, quibus accensendus S. Irenæus, qui magna cura in eorum errores inquirens, illos deinde voce, & calamo refellit.

Sæculum II. A. C. 174.

Tertull. ad Val. c. 4.

idem l. c. 5.

Iren. in præf. l. 1.

§. XI.

Miraculum Legionis fulminatricis.

Interim Imperator Marcus Aurelius Sarmatis, Quadis, Marcomannis, & pluribus aliis Germaniæ populis bellum inferebat, anno Regni sui decimo quarto; J. C. centesimo septuagesimo quarto; Quadorum dolo in Regionem sylvis, & montibus impeditam (est illa hodie Bohemia) cum exercitu pertractus est, ubi Romanis solis fervore, & siti arescentibus nec progredi licebat, nec regredi, quippe Barbari numero superiores, occupatis omnibus in circuitu stationibus, quadam obsidionis specie improvidos inclusc-

Euf. Chron. 174.

An. 174.

Epit. Dion. M. Aur. p. 274.

Sæculum II. A. C. 174.

cluſerant; porro in Exercitu Romano magnus erat Chriſtianorum militum numerus, quorum plerique Melitina Armeniæ, & ejus finibus venerant; hi, genibus flexis, opem a Deo ferventi oratione imploravere; novum hoc erat, nec antea viſum, inimicis ſpectaculum, at quod ſecutum eſt, admirationem in terrorem convertit.

Euſ. V. c. 5. & Epit. Dion. ibid.

Coeuntes ſubito nubes maximum imbrem effudere; primo Romani levantes capita ſua (tanta urgebat ſitis) ore aperto pluvias excipiebant, mox clipeis galeisque aqua impletis, ſuam prius, deinde equorum ſitim levarunt, cumque ſimul Barbari impetum facerent, una manu bibentes, altera ſe tuebantur; fuere, qui in iſto conflictu vulnerati, proprium aqua mixtum cruorem potarent. Interim ingenti impetu mixta grandinibus fulmina ruebant in Barbaros; ignes, & aquæ eodem turbine decidere videbantur; at ignis Romanos non tangebat, aut illico extinguebatur, dum econtra imbres nihil Barbaris prodeſſent; urebantur pluvialibus aquis, non ſecus ac ſi oleum fervens ſuperfunderetur, ita, ut toto corpore madidi, aquas quærerent, ſeque mutuo vulnerarent, ut ſaltem effuſo ſanguine ignem valerent extinguere. Multi, cum ſolos Romanos cœleſti aqua juvari cernerent, ad Romanos confugiebant, quos Cæſaris humanitas excepit. Hæc

Hæc victoria occasioni fuit, ut M. Aurelius septimo Imperator ab exercitu proclamaretur; cumque hunc honorem ante Senatus decretum alias non solitus esset acceptare, tunc tamen, tanquam cœlitus sibi oblatum, non respuit; omnibus enim, Romanis hanc victoriam prodigio partam, erat indubitatum, prodigii vero causam alii aliam existimabant; Pagani, qui pro Cæsare pugnaverant, falsorum Deorum ope devictos Barbaros credebant; nempe, ajebant: *Arnuphis Ægyptius Magicæ artis Magister, qui Cæsarem comitatur, Mercurium Aereum, & Dæmones in auxilium vocavit;* Alii hanc victoriam ipsius Imperatoris pietati a Diis datam autumabant. Sæculum II. A. C. 174. *Capit. in Marco p. 32.*

Cohortes Christianæ, quæ Miraculum a Cœlo impetraverant, vel ipsæ nomen Legionis fulminatricis tulerunt, vel potius illi Legioni, cujus hoc pristinum nomen erat, insertæ sunt. Hujus miraculi monumentum Romæ hodiedum conspicitur in anaglyphis columnæ Antoninæ iisdem temporibus elaboratæ; Romani ibi exhibentur quasi cum Barbaris pugnaturi, quos jam fulgura, imbres, & fulmina prostraviſse videntur; cum autem illi, qui hæc sculptilia perfecerunt, fuerint Ethnici, in aere repræsentarunt virum volantem promissa barba, & brachiis extensis quasi in pluvias defluentem; an- *Euſ. V. hiſt. c. 5.*

Sæculum II. A. C. 174.

tiquitatis periti per hunc virum Jovem Pluvium significari credunt, etenim etiam sub hoc nomine a Romanis colebatur. Ajunt M. Aurelium de hac victoria litteras scripsisse, quibus exercitum suum exitio proximum Christianorum precibus servatum testabatur.

Euſ. Chron. an. 174.

§. XII.

Epistola Martyrum Viennensium, & Lugdunensium.

Euſ. V. hiſt. init.

An. 177.

Hujus beneficii memoria brevi tamen evanuit; tribus enim post annis, id est, centesimo septuagesimo septimo Christianorum persecutio in multis urbibus ob seditiones populares præsertim in Galliis recruduit; id colligitur ex epistola, quam hujus rei testes oculares in Græciam scripserunt cum hoc titulo: *Servi JEsu Christi, qui Viennæ, & Lugduni in Gallia habitant, fratribus Asiæ, & Phrygiæ, qui nobiscum eandem fidem habent, & spem; pax sit vobis, & gratia, & gloria a Domino nostro JEsu Christo.* Post ingressum persecutionis toleratæ modum hisce enarrant: *Tanto furore Pagani in nos exarserant, ut domibus privatis, balneis, locis publicis ejicerent, nec ubicunque demum quemquam nostrum in lucem prodire paterentur. Tunc pusillanimes fuga sibi consuluere, qui fortiori erant animo, caput suum tempestati exposuere.*

fuere. Initio populus adversus Christia- Sæculum II.
nos confusis turmis cum ingenti clamore A. C. 177.
concurrit, tum eos verberare, raptare, spoliare, lapidibus collidere, includere, & quidquid efferatæ plebeculæ furor suggerere potest, attentare; tandem in forum producti, a Tribuno, & urbis Consule interrogantur, & ibi Christum confitentes, interim in carcerem missi sunt usque ad Præsidis adventum. Postquam Præses advenit, eidem sistuntur, cujus vero crudelitatem quidam juvenis ferre non potuit; huic nomen erat Vettius Epagathus, vita inculpabilis, fervidus Religionis zelus, petiitque, ut audiretur, pro Christianis dicturus, iisque nullam impietatis notam inuri posse demonstraturus. Qui tribunal circumstabant, hanc juvenis vocem incondito clamore turbarunt, nam omnes eum noverant; at Præses cum supplicem audire debuisset, hoc unicum quærit, an sit Christianus? quod Vettius clara voce confessus, Martyrum numero cum Advocati Christianorum titulo accensus est. Decem ex nobis fragilitate humana, & certamini male comparati cecidere; horum lapsus nos intime afflixit, sicut etiam alios fratres, qui sua libertate, non enim omnes capti fueramus, in auxilium, & solatium Martyrum utebantur, nec eos etiam cum vitæ periculo ullatenus deserebant. Omnes confessionis incerta constantia sol-

Sæculum II. A. C. 177.

licitos habebat, & quamvis nobis tormenta metum non incuterent, tamen finem respicientes, ne quis vinceretur, timebamus. Quotidie alii, & alii in custodiam trahebantur, ita ut optimi quique, & Ecclesiæ fulcra abriperentur.

Cum Christianis etiam quidam Pagani eorum servi comprehensi sunt, quos omnes conquiri edicto publico Præses jusserat; hi servi gentiles præ horrore tormentorum, quibus Fideles affici videbant, & a militibus stimulati, falso Christianos de conviviis Thiestæis, & Thebanis nuptiis, id est, incestibus, & carnis humanæ commestione incusant, & de omnibus criminibus, quæ nec dicere, nec cogitare, nec unquam a mortalibus perpetrata credere fas est; His calumniis in populum sparsis, incredibile dictu, quanto in nos furore desævierint, quicunque erga nos hactenus aliquem amicitiæ modum tenuerant, fremebant in rabiem acti; tuncque Prophetia Domini impleta est; eos, qui Christianos occiderent, obsequium se præstare Deo, credituros.

Joan. 16. 2.

In quatuor ex nostris a populo, Præside, & militibus maxime sævitum, nempe Sanctum Diaconum, Viennæ natum, Maturum Neophytum, Attalum Pergami quidem natum, qui tamen nostrarum Ecclesiarum quasi columna fuerat, & Blandinam ex statu servili; omnes nos, & præcipue Domina ejus, quæ erat ex Martyrum numero,

Sæculum II. A. C. 177.

mero, timebamus ne propter corporis teneritudinem Blandina nequidem JEſum Chriſtum confiteri auderet; at contrarium evenit, quippe illa, a mane usque ad veſperam a ſuccedentibus ſibi ſatellitibus omnis generis tormentis cruciata, tormentis omnibus, ipſisque tortoribus ſuperior evaſit, qui victos ſe ab ancilla fatebantur, cum nullum ſibi ſupplicii genus occurreret, quod non ſuſtinuiſſet; mirabantur etiam, quomodo adhuc ſpirare poſſet, cum totum corpus unum eſſet vulnus, membraque a ſitu naturali emota; unicum ſane, etiam his minus acerbum tormentorum genus, elidendæ ex fæminæ corpuſculo animæ ſufficere debuiſſe teſtabantur, quæ tamen illa tot, & tanta vivens ſuperaſſet. Ipſa ſola Chriſtiani Nominis confeſſione refocillabatur; menti quies, & corpori vires redibant, cum diceret: Chriſtiana ſum; inter Chriſtianos nihil mali perpetratur; hæc verba omnem ei plagarum ſenſum adimere videbantur.

Diaconus Sanctus ſine omni humanitatis modo cruciatus fuit; cum autem Pagani ſic ex eo verba Chriſtiana pietate indigna extorqueri poſſe crederent, nunquam ille, ut ſaltem Nomen ſuum, vel Gentem, vel urbem unde eſſet, ſitne ingenuus, vel ſervus ediceret, cogi potuit; ad omnes has quæſtiones nihil aliud reſpondebat, quam vocem unicam lingua latina: Sum

Sæculum II. A. C. 177.

Christianus; aliud quidquam ex ipsius ore audire nunquam potuerunt; qua constantia Præfectus, & carnifices ita exasperati sunt, ut postquam omnia illa, quæ de more inferri solebant, tormenta sustinuisset, delicatioribus ejus corporis partibus ignitas cupri laminas admoverent; ipse ita exustus nihilominus firmus, & immobilis in confessione persistebat. Jamque corpus ejus unus erat livor, itaque contusum, & difforme, ut nulla hominis figura appareret. Aliquot diebus elapsis, Pagani rursus equuleo imponunt, eum vincendum esse sperantes, si vulneribus mora ardentibus, nec vel amicæ manus contactum ferentibus, tormenta, jam semel tolerata, rursus inferrent, aut certe in tormentis moriturum, cæterisque & exemplo futurum, & terrori; at longe aliud evenit, quam quod ipsi crediderant, nam ecce, cum secundo torqueretur corpus ejus erectum est, & firmatum, prior forma rediit, & membrorum usus, ac si non tortorum, sed peritissimi Medici manu tangeretur.

Biblis ex illis fœmina, quæ ex timore Christum negaverant, nihilominus equuleo imposita est, ut crimina, quorum Christiani accusabantur, fateretur; ipsa autem, per tormenta quasi profundo e somno evigilans, a sensu doloris transitorii æternas inferni pœnas cogitare monita est, & ad circumstantes inquiebat: quomodo credibile

bile esse possit, nos Christianos infantum carnes devorare, quibus animalium cruore vesci prohibitum? & ex hoc momento se Christianam professa, Martyrum numero adscripta est. Christiani tunc temporis, & pluribus sequentibus sæculis legem non comedendi sanguinis in veteri Testamento latam, & in Apostolorum Concilio confirmatam observabant. Sæculum II. A.C. 177. *Sup. l. 1. n. 32.*

Cum Tyranni tormentis propter JEsu Christi virtutem, & Martyrum patientiam nihil agerent, Christianos obscuro carceri, & permoleste includunt, ligneis pedicis crudeliter distendunt, habentque miserrime, ita ut eorum plurimi in carcere fuerint extincti. Alii cum ita fuissent excruciati, ut nulla Medicorum arte servari posse viderentur, in carcere omni humano auxilio destituti perdurabant, & a Domino roborati, aliis & solatium & animum ingerebant; dum interim nonnulli recenter capti, nihil mali in corpore passi, vel soli captivitatis rigori sustinendo impares mortui sunt.

§. XIII.

S. Pothinus.

Eorum ex numero, qui in carcere defuncti sunt, fuit S. Pothinus, Episcopus Lugdunensis nonagenario major, debilis, infirmus, & vix spiritum trahens; zelo tamen, & Martyrii desiderio firmabatur. Is a civitatis Magistratu ad Tribunal Præsidis

Sæculum II. A. C. 177.

fidis rapiebatur, inſpectante omni populo, & omnis generis maledicta, ac ſi ipſe JEſus Chriſtus fuiſſet, ingerente. Ipſe coram tribunali fidei, & veritati teſtimonium reddidit; quærenti Judici, quis eſſet Chriſtianorum Deus; reſpondit: cognoſces eum, ſi dignus fueris; cum hoc dixiſſet, nemo audientium ipſi pepercit; ex omni parte raptatur, & verberatur, a proximis manibus, pedibusque percutitur nulla ætatis reverentia, qui longius ab eo ſtabant, quidquid ſub manibus erat, conjiciebant; impietatis reos futuros arbitrati, qui nullam Seni injuriam facerent, læſumque Deorum ſuorum honorem vindicare omitterent. Vix ſpiritum ducens in carcerem detruſus eſt, ubi duos poſt dies animam reddidit Servatori.

In hoc carcere cum Martyribus etiam tales Chriſtiani detinebantur, qui cum caperentur, fidem negaverant; nam tunc temporis fidem negare nequicquam proderat; qui Chriſtum confitebantur, tanquam Chriſtiani in vincula dabantur, nulla alia cauſa expenſa; qui negabant, nihilominus tanquam parricidæ, & homines ſcelerati tenebantur; itaque Confeſſores ipſius Confeſſionis gaudio, ſpe retributionis, JEſu Chriſti amore, & æterni Patris Spiritu exultabant; Apoſtatæ vero propriæ conſcientiæ ſtimulis torquebantur; hæc animorum inæqualitas etiam ex vultus compoſitio-

Sæculum II
A. C. 177.

positione deprehendi poterat ; Martyribus erat vultus hilaris, & decens gravitas, & magis ornari vinculis, quam onerari videbantur ; bonum odorem fundentes, quibusdam pretiosis suffimentis uti credebantur ; apostatis erat tristis facies, dejecta, & deformis, quibus ipsi Pagani vecordiam exprobrabant. Hoc spectaculo multi Christiani in fide confirmabantur.

Gratum populo facturus Præses quatuor Christianorum captivos in Circum educi jussit Bestiis exponendos. Hi fuere Maturus, Sanctus, Blandina, & Attalus. Maturus, & Sanctus, ac si nihil prius passi fuissent, iterato omnibus tormentis Amphitheatro affecti sunt ; raptabantur a Bestiis, omniaque mala ferre cogebantur, quæ hic, vel illic plebs rabida inferenda Martyribus vociferabatur ; crudelissimum omnium supplicii genus fuit sella ferrea, qua sedere coacti igne subjecto assabantur, odore gravi spectatorum naves afficiente ; nec ideo remisit furor ; aliam tamen vocem ex Sancto elicere non valuerunt, quam illam ab initio tormentorum ad finem usque sibi familiarem, Christianus sum. Denique hi duo Martyres hac die post longum agonem immolati sunt, & in isto certamine furenti populo pro variis Gladiatorum congressibus fuere.

Blandina stipiti alligata est, ut a Bestiis devoraretur ; utile S. Martyribus

Sæculum II. A. C. 177.

spectaculum animos addebat, quod speciem crucifixi Salvatoris referret; hanc pœnam Pagani inferebant, eo quod esset mancipium; cum autem Bestiarum nulla eam invaderet, soluta, & in carcerem reducta est. Populus instantissime clamoribus postulabat, ut Attalus, utpote omnibus notus, produceretur, tum in Amphitheatro circumductus est, inter populi fremitus tabellam ante pectus gerens cum inscriptione latina: hic est Attalus Christianus. At Præses audiens, quod esset civis Romanus, cum aliis in carcerem reduci jussit, responsum Cæsaris, cui de Martyribus scripserat, exspectaturus.

§. XIV.

Martyrum humilitas, & charitas.

Euſ. V. hiſt. c. 2.

Cum essent in hoc statu, Martyrum singularis humilitas, & charitas inclaruit. Tanto desiderio imitandi JEsum Christum flagrabant, ut Nomen ejus confessi non solum una vel altera vice, sed sæpius Bestiis expositi, ustulati, suo sanguine perfusi, nec sibi nomen Martyrum dare auderent, nec ab aliis sibi datum accipere. Si quis autem eos vel per litteras, vel coram, hoc Nomine honoraret, amare querebantur, sibi nomen tribui, qui JEsu Christo, vero, & fideli testi, primogenito inter mortuos, vitæ Divinæ fonti congrueret; & eos memorabant, qui jam ex hac vita

Sæculum II. A. C. 177.

vita migraverant: illi ajebant: Martyres sunt, quos JEsus Christus, Confessionem sui Nominis morte signantes, recipere dignatus est; nos vero minimi Confessores sumus. Cum lacrymis fratres orabant, ut pro se ferventer ad Deum preces funderent, pro impetranda perseverantiæ gratia; virtutem autem Martyrii suis sermonibus manifestabant, ad gentiles liberrime loquentes. Dei timore repleti, sub potenti manu ejus humiliabantur, omnes excusabant, damnabant neminem, pro suis Persecutoribus orantes. Maxima eorum cura erat, ex faucibus inimici eripere, quos devorasse videbatur, non enim adversus eos, qui ceciderant, inflabantur, sed sua abundantia aliorum necessitati subveniebant, & amore quasi materno multas lacrymas pro eis coram Patre cœlesti effundebant; vitam petierunt, & hæc illis concessa est, quam etiam fratribus communicarunt, quippe eorum patientia, & cohortatio, iis, qui fidem negaverant, animum addidit, & ad confitendum disposuit.

Erat inter Martyres quidam nomine Alcibiades, magnæ vitæ austeritati assuetus, solo pane, & aqua nutriebatur; eundem rigorem etiam in vinculis volebat servare, verum Attalus post primum in Amphitheatro certamen per Revelationem supernam didicit, Alcibiadem non bene

Sæculum II. A. C. 177.

bene agere, quod Creaturis Dei non veſceretur, & aliis occaſioni ſcandali eſſet; Alcibiades ceſſit monenti, & exinde cum gratiarum actione de omnibus manducabat. Deus Martyres ſuis favoribus viſitabat, & conſilium Spiritus S. erat in eis. Rumor ad eos in vinculis pervenerat ex Phrygia de Montani falſa Prophetia, qua inſolita abſtinentia præcipiebatur, utque oſtenderent, hanc Doctrinam a ſe damnari, ex carcere plures Epiſtolas ad fratres Aſiæ, & Phrygiæ ſcripſere. Eleutherio quoque Papæ ſcripſere, rogantes, ut pacem daret Eccleſiis, forte ob quæſtionem celebrandi Paſchatis; (*) S. Irenæus Eccleſiæ Lugdunenſis Presbyter Epiſtolam tulit, cujus initium hoc erat: *Rogamus Deum, ut tibi ſemper gaudium tribuat, Pater Eleutheri! rogavimus fratrem noſtrum Irenæum, qui eſt noſtræ communionis, ut has litteras ad te deferat, & te rogamus, ut commendatum habeas tanquam virum JEſu Chriſti teſtamentum zelantem. Si per dignitatem virtutem quoque tribui crederemus, cum Presbyter ſit, commendaſſemus eum tibi tanquam Presbyterum.*

Interim

(*) SS. Martyres Lugdunenſes a SS. Pontifice Eleutherio, ut pacem daret Eccleſiis, neutiquam petiiſſent, niſi Eccleſiarum Paſtorem agnoviſſent.

Interim Cæsaris responsum allatum; qui fidem Christianam constanter profiterentur, occidi mandabantur, qui negarent, dimitterentur liberi. Igitur ludorum solemnium initio, quæ ibi celebrari solebant, & maxima hominum frequentia, cum ex omnibus nationibus conveniant, jubente Præside coram tribunali adducuntur Martyres, ut denuo eos populo monstraret, & spectaculum daret, adductos cum iterum interrogasset; qui Romanorum civitate gaudebant, capite plectit, alios damnat ad Bestias. Qui antea negaverant, separatim examinat, statim dimissurus, at ecce! contra Gentilium exspectationem etiam ipsi, facti pœnitentes, Christum confessi sunt, & Turbæ Martyrum juncti; aliquibus exceptis, quibus nec recta fides, nec vestis nuptialis, nec timor Dei unquam fuerat, sed talis vita, & mores, ut veræ Religionis probrum reputarentur.

Sæculum II. A. C. 177.

Ibid. c. 1.

Durante quæstione quidam Alexander, natione Phryx, & professione Medicus, pluribus annis jam in Gallia versatus, cujus in Deum charitas, & prædicandi Evangelii zelus, erat enim Gratiæ Apostolicæ particeps, omnibus erat cognitus, stans prope tribunal signis, & gestibus interrogatos ad Christi confessionem excitabat, tanto ardore, ut ejus conatus labori mulieris partum edentis

Sæculum II. A. C. 177.

edentis non esset absimilis; omnium itaque oculis notatus est; cumque populus indignaretur, quod tales, qui prius abjuraverant, jam Christum confiterentur, hujus rei causam rejiciens in Alexandrum, conclamavit; Prætor in eum conversus, quærit, quis esset; cui respondit, se esse Christianum; Prætor iratus eum damnavit ad bestias. Altera die ipse in arenam descendit, & Attalus, quem Prætor, ut populo gratum faceret, secundo exposuit; postquam omnes Amphitheatri cruciatus sustinuissent interempti sunt. Alexander nec verbum protulit, nec suspirio quidem doloris sensum prodidit, sed in cordis intimo DEO suo colloquebatur. Attalus sellæ ferreæ impositus, cum caro ejus ureretur, & adipis odor ascenderet, ad populum ait voce latina: Hoc est homines devorare, quod vos nunc facitis, nos vero Christiani neminem comedimus, nec quidquam mali facimus. Interrogatus, quale Nomen Deo esset, respondit: Deus non habet Nomen, sicut homo.

§. XV.

S. Blandina.

Aliis omnibus morte sublatis, ultima spectaculi gladiatorii die producta est Blandina cum puero annorum ferme quindecim nomine Pontico. Jam quidem antea

Sæculum II. A. C. 177.

tea singulis, quibus Martyres torquebantur, diebus spectatores esse coacti fuerant, quo facilius ad jurandum per Idola inducerentur, at firmiter in fide persistentibus ita succensuit populus, ut insuperhabita unius ætate, & alterius sexu omnia inferrent tormenta, jam uni, jam alteri, ut jurarent, instantes, sed frustra omnia; nam Ponticus, ad quod populus bene advertit, Blandinæ exemplo firmatus, omnibus per ordinem tormentis affectus, reddidit spiritum. Ultima omnium Blandina uberiori lætitia ad mortem, quam alii ad nuptias processit; post flagra, bestias, sellæ ignitæ ardores, cassibus inclusa feroci tauro objecta, ab eo multum jactata est; ipsa vero propter spem firmam, & conjunctionem cum JEsu Christo intimam quasi omni sensu carens, tandem extincta est, ipsis Gentilibus fatentibus, nunquam tanta tulisse fœminam.

Necdum Martyrum morte exsatiata plebis rabies, etiam in cadavera sæviit; eorum corpora, qui carceris squalore fuerant præfocati, canibus projecta sunt, positis excubiis, quæ diu noctuque impedirent, ne a nobis terræ mandarentur. Etiam eorum reliquias, qui in Amphitheatro passi erant, nempe quod Bestiæ, vel ignis non consumpserant, membra lacerata, aut in carbones mutata, abscissa

Sæculum II. A. C. 177.

sciſſa aliorum capita, & truncos collegerunt, eaque pluribus diebus milites cuſtodire juſſi ſunt; non nulli dentibus præ horrore fremebant, dum hæc aſpicerent, alii irridebant, laudantes Idola ſua, quibus inimicorum ſuorum vindictam adſcribebant; quidam moderatiores tamen exprobrabant cum aliqua commiſeratione: Ubi eſt Deus eorum? Et quid profuit eis hæc Religio, quam propriæ vitæ prætulerunt? nos vero acerbiſſime dolebamus, quod hæc corpora ſepelire non liceret nequidem nocturnis tenebris, cum nec precibus, nec pretio cuſtodes flecti poſſent, quaſi maximum lucrum facerent, ſi hæc corpora ſepultura privarentur; poſtquam ſex diebus ſub cælo ad ſpectaculum jacuiſſent, ea combuſſerunt, & in cineres redacta, ſparſerunt in Rhodanum, ne eorum quidquam ſuper terra remaneret; quod faciebant, ut Chriſtianis ſpem reſurrectionis adimerent, hac enim ſpe, ajebant: iſti homines novam, & peregrinam Religionem inducunt, tormenta contemnunt, & cum gaudio ultima fata ſubeunt. Videamus jam, an reſuſcitentur, an Deus eorum eis ſuccurrere valeat, & de manibus noſtris liberare. Cineres Martyrum, qui quadraginta octo fuerant numero, iterum inventi ſunt, & in Eccleſia Apoſtolorum, in loco, quem Athanacum vocant

Ado. Marty. 2. Jun.

vocant (est hodie Abbatia Athanacensis) sub Altari sepulti. Marcellus, & Valerianus quoque, dum cœpit persecutio, Lugduni erant, unde, opportunam occasionem nacti, & fuga elapsi, in vicinis deinde urbibus, Marcellus Cabilloni ad Ararim, Valerianus Trenorchii, quod est Tournus, Martyrii Lauream sunt promeriti. Sæculum II. A. C. 177. *Ado 4. & 15. Sept.*

§. XVI.

Martyrium SS. Epipodii, & Alexandri.

Eadem persecutione duo Martyres illustres Lugduni celebrantur, Epipodius, & Alexander. Erat Alexander origine Græcus, Epipodius Lugduni natus, ambo Parentibus orti clarissimis. Amicitia inter pueros in scholis creverat, jamque tum Christiani alter alteri ad pietatem stimulo erat, seque sobrietate, frugalitate, castitate & misericordiæ operibus ad Martyrium comparabant; ambo in flore ætatis, & sine uxoribus. Sub initium Persecutionis anno Marci Aurelii decimo septimo, JEsu Christi centesimo, septuagesimo septimo juxta præceptum Evangelii in fugam se dederunt; urbe egressi soli, & secreto oppidum Petram scissam petierunt, ubi in domo pauperis viduæ Christianæ occultati sunt; *Ado 22. & 29. April. Acta Mart. Sel.* An. 177.

Sæculum II. A. C. 177.

loci obscuritate aliquamdiu latuere, at maxima cura quæsiti, inventi sunt; tumque denuo in fugam versus cum sodali suo Epipodius, in cursu calceum amisit, quem inventum mulier Christiana pro thesauro recondidit.

L. 1. 4. 5. ff. de custod. reorum.

A fuga retracti illico carceri includuntur contra Romanorum consuetudinem, apud quos tantum homines vilis conditionis, aut de crimine convicti, carceri mancipabantur, at tunc solum Christiani nomen crimen erat notorium. Tribus post diebus, religatis post tergum manibus, Rectoris tribunali sistuntur, quærit ille eorum nomen, & conditionem; ipsi nomen edicunt, & conditionem Christiani; hic populus exclamare, & Judex excandescere, quid itaque, ajebat: profuerunt tormenta, quibus alii sublati sunt, si adhuc nomen Christi auditur? & ne se mutuo confirmarent saltem signis, separari jussit; tum prius Epipodium allocutus, quem infirmiorem putabat, quia juniorem, inquiebat: *Ne quæso! obstinate in exitium ruas! nos adoramus Deos immortales, quos omnes populi, & Principes nostri honorant; Deos nostros in lætitia, conviviis, musica, ludis, & oblectationibus veneramur; vos vero adoratis hominem crucifixum, cui omnes, qui hujus mundi bonis fruuntur, displicent, rejicit gaudia, jejunia, & steri-*

sterilem castitatem imperat, voluptates damnat; quomodo te salvare poterit ille, qui se vilissimorum hominum manibus liberare non potuit? hæc tibi dico, ut talis vitæ rigorem dimittas, hujus mundi favoribus fruaris, &, quæ ætatem tuam decent, deliciis.

Sæculum II. A. C. 177.

Epipodius respondit: *Næ tu me tua ficta, & crudeli miseratione a proposito dimoveas! Nescis enim JEsum Christum æternum Dominum nostrum resurrexisse, postquam, sicut dicis, crucifixus fuit, ipse qui Mysterio ineffabili simul Deus, & homo Discipulis suis viam immortalitatis aperuit; ut autem talia loquar ad te, quæ capere valeas, num ita rudis es, ut ignores, hominem duplici substantia constare, anima scilicet, & corpore? apud nos anima imperat, & obedit corpus; impudicitiæ, quas committitis in honorem Dæmonum, delectant corpus, & occidunt animam. Qualis vita, ubi pars hominis principalior subjacet! nos bellum inferimus corpori, ut salvetur anima; vos, postquam spurcitiis more brutorum exsatiati estis, ad hujus vitæ exitum tristis mors exspectat, nos vero, dum a vobis occidimur, æterna vita excipit.*

His verbis offensus Judex maxillas ejus pugnis contundi jubet; nihilominus Epipodius dentibus sanguine manantibus loquebatur: *Confiteor JEsum Chri-*

Sæculum II. A. C. 177.

ſtum eſſe Deum cum Patre, & Spiritu S. juſtum & æquum eſt, ut illi, qui creavit, & redemit me, animam reddam, non enim vitam amitto, ſed in meliorem muto; ita loquentem Judex equuleo ſuſpendi imperat, duoque lictores acceſſerunt, utrumque latus unguibus ferreis laniaturi, tum vero derepente totius populi horrenda auribus vociferatio inſonuit, poſtulantis, ut ſibi reus traderetur, ſaxea grandine obruendus, aut certe manibus eorum medius dilacerandus, tormentorum enim in equuleo inferendorum mora nimis longa videbatur; at Prætor veritus ne clamor in ſeditionem vergeret, & detrimentum honoris ſuæ dignitati debiti, reum e conſpectu aufferri, & capite plecti jubet; quod illico executioni datum.

Poſt unius diei lapſum Prætor Alexandrum ſibi e carcere adduci juſſum, ita alloquitur: *Ecce adhucdum tibi aliorum exemplo, & damno ſapere licet, ita enim Chriſtianos extirpavimus, ut prope ſuperſis ſolus.* Tum Alexander: *Gratias Deo ago, quod me aliorum Martyrum exemplo confirmes, & quid me agere oporteat, moneas; cæterum erras, ſi Chriſtianorum nomen extingui, & deleri poſſe exiſtimas, nam eorum Eccleſia ſolidis fundamentis a Deo ſuperſtructa, a viventibus conſervatur, & per eorum necem multiplicatur; Chri-*

Christianus sum, semperque fui, & ero propter gloriam Dei. Tum jubente Prætore prostratus pedibus extensis, & a tribus successive tortoribus diutissime verberatus, nullum tamen incompositum verbum protulit; hinc in confessione immobilem Judex ad mortem crucis damnat; carnifices apprehensum brachiis expansis affixerunt; at brevi post liberatus est tormentis, nec diu in cruce pependit, quippe corpus ejus ita erat laceratum, ut carne a costis avulsa intima viscera conspicerentur; itaque ultimo conatu, & voce emoriente JEsum Christum invocans exspiravit. Martyrum corpora sepelire non licebat; quare Christiani duorum Sanctorum corpora occulte ablata prope urbem in cujusdam vallis profundo, loco arboribus & undequaque delabentibus rivis impervio absconderunt; at locus ille sequenti tempore Fidelium pietate, & miraculorum multitudine inclaruit.

Sæculum II. A. C. 177.

§. XVII.

S. Irenæus Episcopus Lugdunensis.

S. Pothini loco Episcopus Lugdunensis electus est Presbyter Irenæus, S. Polycarpi, & Papiæ Discipulus. Ex itinere Romano redux adversus Florinum, & Blastum scripsit, quos ibi viderat. Erant *Euf. V. hist. c. 15. 20.*

Sæculum II. A. C. 177.

isti duo Ecclesiæ Romanæ Presbyteri, propter errores depositi; ambo suos Sectatores, & Discipulos numerabant. Blastus Judaismum reducere adlaborabat, & cum pertinacia Pascha die decima quarta celebrabat; Huic S. Irenæus Epistolam de Schismate scripsit. Florinus alterum Deum auctorem mali statuebat, ex quo sequebatur, duo dari principia; ad hunc S. Irenæus scripsit Epistolam de Monarchia, id est, unitate Principii. In qua sic differit:

Hæc dogmata, Florine! ne quid gravius dicam, sanæ Doctrinæ adversantur, sunt Doctrinæ Ecclesiæ contraria; & talia amplectentes impietatis se reos faciunt; ipsi hæretici, qui extra Ecclesiam sunt, his similia proferre non sunt ausi. Hæc sane non sunt, quæ nos Presbyteri Prædecessores nostri, aliquando cum Apostolis conversati, docuerunt; cum essem adhuc parvulus vidi te in inferiori Asia in domo Polycarpi, cujus tunc favorem ambiebas, cum ipse jam in Curia spectabili munere fungereris; præsentiores res illæ sunt meæ memoriæ, quam quæ abhinc proxime acciderunt; nam species, quas pueri recipimus, crescunt cum anima, & ei uniuntur; ita ut ipsum locum, ubi B. Polycarpus, cum loqueretur, sedebat, actiones ejus, vivendi rationem, speciem externam, & quæ pro concione dicebat ad

Sæculum II. A. C. 177.

ad populum tibi memorare posſem; ut narrabat, quod cum Joanne, & aliis, qui Dominum viderant, vixisſet, eorum ſermonum reminiſceretur, & illorum omnium, quæ ad Dominum, ejus Miracula, & Doctrinam pertinebant. Hæc Polycarpus referebat Scripturis concordantia, eaque ab illis, qui ſuis oculis Verbum vitæ intuiti ſunt, didicerat.

Tunc quidem per Dei Gratiam magno ſtudio hos ſermones auſcultabam, & deſcribebam non papyro, ſed intimo corde meo, & per Miſericordiam Dei hodiedum rumino; mihi autem eſt certiſſimum, quod ſi Beatus, & Apoſtolicus Senex aliquid tuis erroribus ſimile audiviſſet, aures ſuas ambabus manibus continuiſſet, & pro more ſuo exclamaſſet: O Bone Deus! in quæ me ſervaſti tempora, ut ejusmodi dicta audire cogar, tumque in quocunque loco ſive ſtans ſive ſedens audiviſſet, ſine mora auffugiſſet. Eadem colligi poſſunt ex Epiſtolis, quas ad vicinas Eccleſias dedit, ut confirmaret in fide, vel ad quosdam fratrum exhortaturus, & inſtructurus in Religione Catholica. Hactenus S. Irenæus. Florinus poſt hæc in hæreſin Valentinianorum incidit, hinc S. Irenæus ad eum direxit tractatum de Ogdoade, id eſt, de octo primis Eonibus, ubi ſe primos Apoſtolorum Succeſſores noviſſe aſſerit; in fine illius operis, hæc habet: *Quisquis*

Sæculum II. A. C. 177.

es, qui hunc librum transcribes, adjuro te per Dominum nostrum JEsum, & per glorioſum adventum ejus, quando judicaturus eſt vivos, & mortuos, ut poſtquam deſcripſeris, deſcriptum cum originali conferas, juxta illud exactiſſime corrigas, & hanc ipſam meam ſubjungas obſecrationem.

§. XVIII.

Martyrium Symphoriani.

Durante eadem perſecutione ſub Marco Aurelio Antonino Philoſopho paſſus eſt Auguſtoduni Symphorianus filius Fauſti, ex nobili, & Chriſtiana familia; baptizatus fuerat a S. Benigno, & S. Andochus eum ex fonte baptiſmali levaverat. Erat in flore ætatis, inſtructus liberalibus litteris, & optimis moribus. Urbs autem Auguſtodunenſis quantum cœteris in Gallia antiquitate, & Nominis claritate præſtabat, tantum etiam ritibus ſuperſtitioſis erat addictior. Præ aliis ex Deorum cœtu ibi adorabant Cybelem, Apollinem, & Dianam. Cum Heraclius vir Conſularis, qui in Chriſtianos inquirebat, ibi moraretur, & populus ad agenda ſolemnia Cybeles, quam Deorum Matrem appellabant, congregatus eſſet, in ejus conſpectum adduxerunt Symphorianum, comprehenſum tanquam ſeditionis

nis reum, quod Cybeles Idolum curru vectum, & magna populorum turba circumfusum adorare noluisset. Heraclius pro tribunali sedens, ex eo Nomen, & statum quærit; respondit: *Christianus sum, & vocor Symphorianus*; cui Judex: *Christianus es tu? ut video fefelliſti industriam nostram in extirpandis Christianis, variſſimum enim inter nos est hoc nomen. Quare imaginem Deorum Matris non honoras?* cui Symphorianus: *Dixi jam, Christianus sum, Deum verum, qui in Cælo regnat, adoro, verum Idola Dæmonum, si permittis, malleo confringam.* Tum Judex: *Non modo sacrilegus est iste, sed etiam rebellis. Dicant civitatis Præpositi, an sit hujus urbis civis? Cui eorum aliquis: Est ex hac civitate, & familia nobili.* Iterumque Judex: *Nimia te nobilitatis tuæ fiducia cepit, Symphoriane! & fortasse Imperatorum mandata ignoras. Legantur. Et postquam prælecta fuere,* ait Judex: *Quid dicis ad ista? Symphoriane! an putas mandatis Principum resisti posse? duo sunt accusationis capita contra te, sacrilegii in Deos, & Rebellionis in Leges.* Symphorianus autem Idola detestari non desinens, jussu Heraclii a lictoribus verberibus contusus, in carcerem mittitur. Sæculum II, A. C. 177.

Post duos dies iterum comparare jusso, ait Judex: Consultius sane ageres,

Sæculum II. A. C. 177.

Symphoriane! si Diis immortalibus servires, & Thesauri publici donum cum honoribus militaribus acciperes, (ita munia publica vocabantur) itaque, si vis, floribus altaria ornari jubebo, ut Diis incensum ipsis debitum offeras. At ex Symphoriani responsis Judici constitit, promissa sua contemni, multo vero magis vana Numina; præterea Martyr crudeles, & insanas cultus Cybeles superstitiones execrabatur; tandem Consularis sententiam pronuntiat, ut gladio percuteretur; ergo extra civitatem ad locum supplicii ducitur, cui Mater ejus de muro prospiciens, clamabat: *Fili mi! mi fili Symphoriane! memento Dei viventis, cor in altum eleva, eumque, qui in Cælis regnat, cogita. Non hodie tibi vitam adimunt, sed ad meliorem assumeris.* Post sententiæ executionem viri timentes Deum corpus Martyris secreto sublatum in quadam cellula prope fontem extra campum publicum terræ mandarunt, Erat is locus exercitiis destinatus.

§. XIX.

Obitus M. Aurelii Imperatoris.

Imperator M. Aurelius Philosophus obiit anno Regni sui vigesimo, JEsu Christi
An. 180. centesimo octogesimo. In Pannonia adversus Marcomannos belligerans, in morbum

bum incidit, & omni alimento abstinens non naturæ necessitate, sed sua voluntate mortem oppetiit. Annos vixerat quinquaginta novem, & novemdecim regnaverat. Altera die decima octava Aprilis filius ejus Commodus in exercitu præsens, anno ætatis decimo nono Imperator proclamatur. Fuit Commodus impudicitiæ, & crudelitatis nota infamis; permultos ordinis Senatorii viros occidit. Christianos tamen non est persecutus. Forte quis bene conjiceret, hujus moderationis causam fuisse consortium cum Marcia Concubinarum ejus una, quam prope eo cultu habebat, quo legitima uxor haberi debet, omnes eidem honores, Imperatricibus exhiberi solitos, decreverat, si solum ignem exceperis, qui Cæsaris uxori præferebatur; hæc enim Marcia optimo in Christianos affectu tenebatur.

Sæculum II. A. C. 180.

Epit. Dion. in Com. p. 83.

Commodus Imper.

Herod. 1. Epit. Dio. in Com. p. 284

Eodem anno Commodi Imperatoris primo Agrippinus Alexandriæ Episcopus, cum tenuisset hanc sedem annis duodecim, diem supremum obiit, eique successit Julianus; alii jam ante duos annos mortuum affirmant, nempe M. Aurelii decimo octavo. Majori certitudine habemus Theophilum Episcopum Antiochenum non prius, quam sub Imperatore Commodo hoc anno centesimo octogesimo obiisse, cum de morte M. Aurelii mentio-

Sæculum II. A. C. 180.

mentionem faciat in Tractatu suo ad Autolycum, quem hodierna adhuc die habemus.

§. XX.

Tractatus Theophili ad Autolycum.

Autolycus erat vir Paganus magno ingenio, & sciendi percupidus; animo adversus Religionem Christianam præoccupato eam sicut alii, Doctrinam esse insolentem, & rationi repugnantem putabat. Huic opposuit Theophilus suum Tractatum, quem in tres libros divisit. In primo ad quæstionem, sibi ab Autolyco propositam de vero Deo, in hunc modum loquitur: *Si dicas, ostende mihi Deum tuum, etiam ego dicam, ostende mihi, quod sis homo, demonstra mihi, quod oculis animæ videas, & quod auribus mentis tuæ audias; oculi corporis non nisi terrestria, & sensibilia vident. Cæci non vident lumen solis, quis ideo fulgere solem neget? itaque oculi animæ tuæ peccatis tuis obfuscantur; est anima tua speculum maculatum. Ostende te talem, qualis es. An non es adulter, nec luxuriosus, nec fur, nec raptor, nec obtrectator, nec iracundus, nec ambitiosus, nec avarus? parentibus inobediens, aut liberorum tuorum venditor? talibus Deus se non manifestat, nisi prius mundentur. Dices*

Poss. Justin. edit. 1615.

Dices mihi; tu ergo, qui Deum vides, Sæculum II.
describe mihi ejus formam. Ad hanc ob- A.C. 180.
jectionem Theophilus præcipua Dei attributa enumerando satisfacit, & deinde sic pergit.

Sicut anima hominis est invisibilis, & ex motu, quem tribuit corpori, cognoscitur, ita Deum oculis nostris videre non possumus, at ex ejus Providentia, & operibus cognoscimus. Quis videns navem, vela facientem, & portum feliciter subeuntem, dubitat, num aliquis Rector sit, qui cursum dirigat? ita etiam Deum dari credere debemus, qui hoc universum gubernat, quamquam eum oculis carneis non possimus conspicere. Imperatorem in terris regnare aliquem, omnes credunt, quamquam omnes non videant; attamen per leges, per Ministros, per imagines suas innotescit; solum Deum ex operibus ejus, & Potentiæ effectibus agnoscere renuis. Quare autem Deum esse non credas? an non p. 74.
intelligis, rebus omnibus principium esse in fide; quomodo agricola meteret, nisi semen suum terræ credidisset? quis maria trajiciet, nisi perito Nauclero fidat? quis æger sanitatem recuperabit, si nullam in Medico fiduciam habeat? quam artem, quam scientiam addisces, nisi in ipso discendi exordio fidem Magistro habeas?

Exinde Deorum Gentilium vanitatem p. 76.
monstrat, & librum primum hisce claudit:

Sæculum II. A. C. 180.

dit: *Quapropter Imperatorem honorabo, at non adorabo, Deum autem verum, qui solus, & natura Deus est, adorabo. Imperator Deus non est, sed homo est a Deo constitutus, non ut adoretur, sed ut Mundum in æquitate judicet. Hoc est munus ejus, ipsi a Deo commissum. Quis Imperator toleraret, quis ferre æquo animo posset, ut quisquam subditorum suorum penes se Imperatoris titulo nuncupetur; est nempe Nomen ipsi proprium, quod alteri tribuere nefas sit; sic etiam solum Deum adorare oportet. Cæsarem honora debito affectu, obedi, subditus esto, ora Deum pro eo. Et ita Dei Præceptum adimplebis.*

p. 79. Tum Autolycum ad legendas S. Scripturas commonet, ut instruatur, & Judicii Divini rigorem, quem ipsi comminatur, evitare valeat.

In libro secundo Theophilus ridiculam Idolorum cultus ineptiam, Poetarum, & Philosophorum sibi contradicentium pugnam, eorumque de rebus Divinis inscitiam demonstrat; hic textum integrum Arati adducit, cujus hemistichium S. Paulus citat. Ostendit etiam, quantum his omnibus Prophetæ præstent. Historiam Creationis secundum Moysem narrat, & prolixe etiam per allegorias morales explicat. Notat sapienter, omnes orbis nationes septimanam, & diem septimum, quem Judæi sabbatum vocant, nume-

p. 86.

Act. 17. 28.

p. 91.

numerare. Post alia de Verbo Dei differens, ait: *Verbum Dei est Filius ejus, non eo modo, quo Poetæ, & fabularum Auctores dicunt, Diis Filios esse, nempe modo humano progenitos, sed ea ratione, qua Veritas id de Verbo enarrat, quod semper in Deo fuit; nam antequam quidquam crearetur, erat ejus consilium, conceptus, & prudentia. Quando vero Deus omnia, quæ decreverat, creare voluit, hoc Verbum prolatum genuit, primogenitum omnis Creaturæ, quod non intelligas, ac si Deus remanserit Verbo suo vacuus, sed postquam genuit, semper cum eo conversatur.* Itaque Theophilus Verbum coæternum Patri fatetur, at expressione, antiquis Theologis usitata, generationem nominat illam egressionem, per quam Filius extra se manifestatus est, quando Pater per ipsum Creaturas produxit. Subjungit; Deum Verbum ex Deo natum, a Patre mitti, quandocunque velit. Et iterum; tres dies, qui astrorum creationem præcesserunt, figuras esse Trinitatis Divinæ, Patris, Verbi, & Sapientiæ; sub nomine Sapientiæ S. Spiritum indicat, omnis Sapientiæ fontem. Hic notari potest, Theophilum omnium antiquorum primum voce Triadis, aut Trinitatis, usum fuisse, qua distinctionem Divinarum Personarum significaret. Inter alia quoque inquit; Deum hominem nec mortalem, nec immorta-

Sæculum II. A. C. 180.

p. 100.

p. 94.

v. S. Thom. 2. 2. q. 45. a. 1.

p. 103.

Sæculum II. A. C. 180.

mortalem creasse, sed utriusque vitæ capacem, prout innato sibi libero arbitrio usurus esset.

107. 112.

In libro tertio duplicem calumniam a Paganis confictam refellit, primo libros nostros sacros esse novos, & deinde in conventiculis talia a Christianis perpetrari, quæ omnes boni abominentur. Objectum hoc secundum retorquet, dum ex Poetis, Historicis, & Philosophis Ethnicis monstrat, quam perversis morum principiis, & pravis eorum criminum exemplis, quæ falso Christianis imponerentur, ipsorum Gentilium juventus instituatur, præsertim Deorum suorum, quo nihil efficacius, exemplo. Tum Legis Divinæ Sanctitatem ex Decalogo, Prophetarum effatis, & Evangelio ante oculos ponit, subditque: *Jam vos ipsos Judices invoco, an homines tali morum norma, & doctrina ab teneris unguiculis imbutos, cæco impetu vivere, horrenda Venere contaminari, &, quod summa impietas esset, immolatorum infantum carnibus ventrem implere, cuiquam verosimile videri possit; homines inquam, quibus nec vestris gladiatorum spectaculis per Religionem adesse licet, ne humanæ cædis complices reputentur. Nec minus alia Gentilium refugimus solemnia, ne illarum rerum, quæ ibi cantantur, obscœnitate aures nostræ, & oculi, modestiæ assueti, offendantur; si enim*

p. 126.

enim quæstio sit de dapibus humanis, in ludis vestris solemnibus Thyestes, & Tereus propriam sobolem ori, & stomacho ingerere spectantur; si agatur, de adulteriis, ibi non hominum modo, sed & Deorum incestus suavi, & jucunda cantorum voce, quos multo ære publico remuneramini, celebrantur. Verum Christiani a tantorum scelerum vel sola cogitatione sunt remotissimi; continentiæ, & temperantiæ amantes sunt, unitatem matrimonii servant, castitatem colunt, injustitia exulat, vitia eradicantur, justitiæ studium viget, legem Dei observant, pietas super omnia habetur, Deum honorant, Dei gratiam custodiunt, eos verbum Dei regit, sapientia instruit, vita æterna remuneratur, Deus regnat. Sæculum II. A C. 180.

Ut autem Theophilus de novitate nostræ Doctrinæ suspicionem amoveret, ipsorum profanorum auctorum testimonio probat, quam ignari antiquarum historiarum Græci fuerint, & quanto antiquiores Moyses, aliique Prophetæ fuerint, si ætas illorum cum ætate Historicorum, & Poetarum comparetur; citat Manethonem Ægyptium, Menandrum Ephesium, & Berosum Chaldæum circa historiam Regum Tyri. Totam Chronologiam ex ordine refert, incipiens ab Adamo usque ad sua tempora, id est, Marcum Aurelium, quem annis novemdecim,

Sæculum II. A. C. 180.

cim, & diebus decem imperasse dicit; tum computatis singularum Epocharum summis a Creatione Mundi usque ad Imperatoris Marci Aurelii obitum quinquies mille, sexcentos nonaginta quinque annos numerat. Hæc in tribus libris Theophili Antiocheni ad Autolycum notatu dignissima fuere. Etiam commentarios in Proverbia, & quatuor Evangelia, quos conjunxerat, scripsit, præter alios tractatus breves, & elegantes, ædificandis Fidelibus aptissimos. Scripsit quoque contra Marcionem, & iterum contra Hermogenem, alium hæreticum sibi coævum; in hoc ultimo opere citat textus ex S. Joannis Apocalypsi.

Hier. script.

§. XXI.

Hæresis Hermogenis.

Hermogenes erat pictor, & Philosophus; relictam Ecclesiæ Doctrinam cum Stoicorum opinionibus permutavit; Materiam æternam esse, & increatam dicebat, cui aliquando Dæmones essent reuniendi; ajebat etiam, corpus JEsu Christi esse in Sole; in Africa docuit Tertulliani tempore, sicut & Discipulus ejus Nigidius. In Galatia Seleucus, & Hermias eandem opinionem de materia æterna, & Deo coæva tenebant; præterea hominum animas ex igne, & vento constare, & ab Angelis creatas asserebant; Baptis-

Tertull. in Herm. c. 1. 2. & Præscr. Philost. de hær. c. 2. c. 8.

Baptismum noſtrum non adhibebant propter illa S. Joannis verba: ipſe vos baptizabit in Spiritu, & igne; nullum alium eſſe infernum quam hunc Mundum, nullamque aliam eſſe reſurrectionem, quam generationem ordinariam docebant. Eadem tempeſtate vixit Antiochiæ Lucianus Samoſatenus, cui cum Religio Chriſtiana, fabulæ, & ſuperſtitiones Ethnicorum, & Philoſophorum ſententiæ pari in pretio eſſent, omnia riſu explodebat.

Sæculum II. A. C. 180.

Matth. 3. 11.

§. XXII.

Verſio Theodotionis.

Primis Imperatoris Commodi annis nova verſio Scripturarum veteris Teſtamenti auctore Theodotione Epheſino in lucem prodiit. Is Tatiani Diſcipulus, deinde Marcionita, tandem Judæus fuit, & tunc Scripturam ex Hebraico in Græcum traducere aggreſſus eſt. Fuit hæc verſio tertia numero, nec eam, quamvis ab Apoſtata profectam, Eccleſia contempſit, ſed maxime pro libro Danielis uſui erat. S. Irenæus de hac Theodotionis verſione in ſuo de Hæreſibus tractatu mentionem facit, quem ſub idem tempus Eleutherio S. Pontifice ſcripſit.

Epiph. de menſ. & pond. n. 17. *Iren.* 3. *c.* 34. *& ex ill. Euſ. V. c.* 8. *Hier. præf. in Dan. init. Iren. lib. III. c.* 24. *Euſ. V. c.* 8. *Chron. Alex.*

§. XXIII.

Tractatus S. Irenæi contra Hæreſes.

In ſui Tractatus ingreſſu S. Irenæus ait: *Ne quæſo! a nobis, qui cum Celtis habita-*

Sæculum II. A. C. 180.

bitamus, & sæpe lingua barbarorum utimur, eloquentiæ artem, quam non didicimus, nec dictionis vim, aut verborum ornatum exspectes; sed in charitate excipe, quæ tibi in charitate, simplicitate, & veritate scribimus, & quæ facile, cum ingenii capacitate nos vincas, augere poteris, & perpolire. Nomen illius, cui S. Irenæus hoc opus inscribit, nos quidem latet, vix tamen dubitandi locus est, quin fuerit Episcopus, si ad modum, quo ipsum alloquitur, attendatur, nempe virum, cui alios instruere, & docere incumbit. Lugdunum, cujus urbis Episcopus erat Irenæus, tunc Galliæ Celticæ caput fuit, & lingua barbara, qua sæpius S. Irenæus utebatur, erat Gallica, aut etiam latina, quam Græci inter barbaras habebant, ipsius vero utpote ex Asia advenæ lingua Patria erat græca. Græce etenim hoc opus, de quo agimus, scripsit, cujus operis nihil amplius nobis supereſt, quam antiqua versio latina cum quibusdam originalis manuscripti fragmentis; dividitur autem in quinque libros. Primus continet Doctrinæ Valentinianorum expositionem, cujus totum ordinem explicat; in fine seriem omnium hæreticorum, qui a temporibus Simonis Magi usque ad Tatianum innotuerant, enumerat.

Lib. 1. *c.* 20. 21. *&c.*

In

In libro secundo ad refellendas hæreses accingitur. Cum hæretici maxime suos errores in Parabolis Evangelii fundarent, illas pro arbitrio explicantes, principia pro intellectu Scripturæ ponit; nimirum ante omnia illis revelationibus inconcusse inhærendum, quæ nobis in Scriptura clare, & verbis propriis proponuntur, qualis illa est, unum esse Deum, & rerum omnium Creatorem; deinde his ipsis textibus claris, & certis utendum, ad eos, qui obscuriores sunt, explicandos; cum interim hæretici obscura per obscuriora tentarent explicare; inepta, & absurda esse arcana, quæ ipsi in numeris, & in characteribus Græcis eos exprimentibus, invenire se jactarent, eo quod tales relationes essent arbitrariæ. Concedit quidem, Deum nihil temere agere, eorumque omnium, quæ in Scriptura legimus, altissimas esse rationes; negat vero, datum esse hominibus, ut omnia penetrent, nec regulam fidei formandam ex numeris, sed numeros juxta regulam fidei explicandos, & curiosæ scientiæ cupiditati ponendos esse limites. JEsus Christus dixit, capillos capitis nostri esse numeratos, an ideo in eorum numerum inquirendum est, vel in causas, propter quas capitis unius capilli multitudine sua alterius numerum multis millibus superent? commentitia mysteria, si cui va-

Sæculum II. A. C. 180.

Math. 10. 30.

Sæculum II. A. C. 180.

caret indagare, etiam sub numero stellarum, aut arenæ maris inveniri posse.

§. XXIV.

Miracula, & Prophetiæ.

Vanis Hæreticorum præstigiis vera miracula tunc temporis adhuc in Ecclesia frequentia opponit. *Nequeunt hæretici*, inquit: *vel cæcis visum, vel surdis auditum reddere, vel Dæmones ejicere nisi forte a se ipsis immissos, multo minus mortuos suscitare, quod fecit Dominus, & Apostoli ejus;* sæpe etiam inter Fideles contigit, ut, cum exigente necessitate tota cujusdam loci Ecclesia multis jejuniis, & precibus id a Deo postulaverint, anima defuncti in corpus ejus fuerit reversa, & vita hominis desiderio Sanctorum fuerit concessa; quantum abest, ut talia hæretici faciant, cum ne quidem mortui excitationem possibilem esse asserant, suamque affectatam veritatis cognitionem veram resurrectionem vocent. Addit; in Ecclesia hæc miraculorum beneficia non solum gratis conferri, sed sæpe etiam Sanctos illis ipsis, quibus corporis sanitatem dedissent, eleemosinam impertiri. Tum loquens de hæreticis, ait:

c. 56.

c. 57.

Conficta eorum miracula nullam generi humano utilitatem præstant; parvulos convocant, & eorum oculos decipientes phantasmata ostendunt, quæ mox iterum dispa-

disparent, & vix per momentum durant, ex quo dignoscitur, eos artem suam non in JEsu Christi schola, sed Simonis Magi didicisse. Econtra qui vere JEsu Christi Discipuli sunt, si gratiam miraculorum ab eo acceperunt, in ejus nomine operantur ad aliorum hominum commodum, secundum gratiam, quæ eis data est; aliqui eorum Dæmonia ejiciunt non ficte, sed vere, ita ut sæpe energumeni, postquam liberati sunt, fidem amplectantur, & in Ecclesia perseverent. Alii scientiam rerum futurarum, visionum, & sermonis Prophetici possident. Alii per manuum impositionem languentes sanant, & perfectæ incolumitati restituunt; quis denique prodigiorum numerum ineat, quæ Ecclesia in universo Mundo quotidie ad omnium gentium utilitatem in Nomine JEsu Christi sub Pontio Pilato crucifixi operatur? & quidem dum hæc in Ecclesia Sancti operantur, non invocant Angelos (hic loquitur de invocationibus superstitiosis hæreticorum) *non maleficium adhibent, non fascinum, non pravam curiositatem, sed simpliciter, & aperte Deum Creatorem invocant, & Dominum nostrum JEsum Christum, in cujus Nomine gratiæ, & Beneficia hominibus exhibentur, quis vero, unquam in Nomine Simonis, vel Menandri, vel Carpocratis, vel alterius cujusquam miraculum fuisse patratum, te-*

Sæculum II. A. C. 180.

stis esse potest? In alio loco dicit: *Audimus, quibusdam fratribus in Ecclesia Gratiam Prophetiæ obtinuisse, qui per virtutem Spiritus S. varias linguas loquuntur, hominibus ad eorum bonum secreta cordium revelant, & Dei Mysteria explicant.*

Lib. V. c. 6.

Lib. III. c. 1. In libro tertio S. Irenæus Ecclesiæ Catholicæ Doctrinam ex Scriptura, & Traditione demonstrat, & sic ait: *Apostoli non antea, quam perfectam veritatis cognitionem fuissent consecuti, prædicationis officium susceperunt. Matthæus Hebræis in ipsorum lingua Evangelium scripsit, dum interim Petrus, & Paulus Romæ prædicarent, & fundarent Ecclesiam.* (*) *Post eorum abitum Marcus Petri Discipulus, & interpres etiam scripto nobis consignavit, quæ Petrus prædicaverat; & Lucas, qui Paulum sequebatur, in unum librum congessit Evangelium, quod Paulus docuerat. Tandem Joannes Domini Discipulus, qui supra pectus ejus recubuerat, cum esset Ephesi in Asia, etiam scriptum reliquit nobis suum Evangelium.*

Euf. V. hist. c. 8.

Sub-

(*) Anonymus I. Fleurium reprehendit, quod minus accurate loquatur, dum dicit, Ecclesiam Romanam a SS. Apostolis Petro, & Paulo fuisse fundatam. Eandem reprehensionem meritus fuisset hic S. Irenæus, si aliquando in tam rigidum Censorem incidisset.

Subdit, S. Joannem ſuum Evangelium contra Cerinthi, & Nicolaitarum errores ſcripſiſſe. Aitque, nec plura, nec pauciora quam quatuor eſſe poſſe Evangelia, & Myſterium quatuor animalium Apocalypticorum refert ad Evangeliſtas. Fraudes hæreticorum arguit, qui ex Scriptura convicti, ad Traditionem confugiebant, & pariter ex Traditione ad fatendum compulſi, Scripturam in auxilium vocabant; Apoſtolos etiam audebant accuſare, quod Judaicam cum Chriſtiana Religione confuderint, &, ut ſe auditoribus accommodarent, ſuam Doctrinam diſſimulaverint.

Sæculum II. A. C. 180.

lib. 3. *c.* 2. *p.* 257. *ibid. p.* 259.

c. 2.

c. 5.

§. XXV.

Traditio Eccleſiæ Romanæ.

Traditionis veritatem per Epiſcoporum ſucceſſionem comprobat. *Eos enumerare pronum eſt nobis*, inquit: *quos Apoſtoli in Eccleſiis ſuos conſtituerunt Succeſſores, nihil autem eorum, quæ vos ſomniatis, docuere; ſi enim Apoſtoli arcana habuiſſent, illis tantum committenda, quos inter cæteros virtute eminere cognoviſſent, hæc ſine omni dubitatione Epiſcopis tradidiſſent, quos toti Fidelium Eccleſiæ præficiebant. Haud dubie optimos quosque, qui ſibi ſuccederent, eligebant, populumque poſt ſe informarent, non ignari, quantum eorum mores, & vita ad Eccle-*

Lib. III. c. 3.

Sæculum II. A. C. 180.

ſiæ vel ædificationem, vel deſtructionem collatura eſſet. Longiſſimum foret ſucceſſionem omnium Eccleſiarum recenſere, ſatis erit, ſi Traditionem, & Doctrinam Eccleſiæ omnium maximæ, antiquiſſimæ, toti mundo notæ a Glorioſis Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & ſtabilitæ afferamus; hac Traditione Romana ab Apoſtolis accepta, hac fide hominibus annuntiata, & usque ad nos per Succeſſionem Epiſcoporum continuata omnes illos confundimus, qui conventus ſpurios, & illegitimos celebrant, quocunque demum id faciant modo, vel ex amore proprio, vana gloria, cæcitate animi, vel malitia. Cum Eccleſia Romana omnes aliæ propter ejus potentem Primatum concordes eſſe tenentur, nempe omnes Fideles, quacunque orbis parte morentur, quia in hac Eccleſia Apoſtolorum Traditio ab omnium nationum Fidelibus fuit conſervata. (*)

Poſt-

(*) Hoc S. Irenæi loco ad confundendos Novatores nihil aptius. Vel producant, ſi poſſunt, ſeriem Epiſcoporum, Paſtorum, & Patrum ſuorum! ſi Lutherum, Calvinum, Zvvinglium, aut alios damnatos Hæreticos nominent, pudeat eos novitatis ſuæ! ſi antiquos afferant, tales ſunt, qui in Eccleſiæ Romanæ communione vixerunt, id eſt, ſicut aliqui eorum ſcribere non erubescunt, qui cum Meretrice apocalyptica fornicati ſunt. Hic etiam P. Balduinus malæ fidei arguit Fleurium,

Postquam igitur Beati Apostoli Ecclesiam fundaverant, & ædificaverant, Episcopale munus Lino commiserunt. Hic est Linus, de quo Paulus memorat in Epistolis ad Timotheum. *Successor ejus fuit Anacletus, & post eum ab Apostolis ordine tertius Clemens Episcopatum suscepit, qui beatos Apostolos viderat, cum ipsis fuerat conversatus, eorumque prædicationem, & Traditiones in recenti memoria tenebat; nec*

Sæculum II. A. C. 180.

2. *Tim.* 4. 21.

rium, quod S. Irenæi verba: propter (Ecclesiæ Romanæ) potentiorem Principalitatem, ita interpretatus fuerit: a cause de sa puissante Primauté, propter ejus potentem Primatum. Quasi vero Ecclesiæ Romanæ nudum Primatum sine majori jurisdictione adscriberet; at quis non videt, si id intendisset Fleurius, etiam vocem adjectivam: potentem, fuisse omittendam. Fleurius Jurisdictionem in universam Ecclesiam SS. Pontificibus non detrahit, sed, quoties occasio fert, adstruit; exempli causa (quia modo hic locus mihi præ oculis est) Lib. 23. §. XXXI. Tom. V. postquam Fleurius ex epistola 33. S. Innocentii Papæ, ad S. Hieronymum data, in causa atrocis facinoris, a Pelagianis in Palæstina perpetrati, retulit illa verba: *Si quis coram me contra Personam certam, & nominatam, actionem moverit, Judices dabo &c.* Motu proprio, & suis verbis subdit: *Cette lettre est remarquable, pour montrer l'Autorité du Pape par toute l'Eglise.* Latine: Hæc epistola Notatu digna est, ad Auctoritatem Papæ per totam

Sæculum II. A. C. 180.

nec ipse solus, sed plures alii supererant ab ipsis Apostolis instructi. Cum sub hoc Clemente magna inter fratres Corinthi discordia esset exorta, Ecclesia Romana epistolam ad Corinthios dedit zelo plenam, ut ad pacem reduceret, fidemque in eis & Traditionem ab Apostolis acceptam renovaret. Ita deinde pergit: *Clementi successit Evaristus, Evaristo Alexander, tum post Apostolos sextus Xistus, & post eum Teles-*

tam Ecclesiam demonstrandam. Nescio, quid ultra P. Balduinus a Fleurio exigat. Illud vero ridiculum, quod zelosissimi Fleurii adversarii manifeste sibi contradicant! Anonymus II. pag. 5. N. 1. de Ecclesia Romana, vehementissime dolet, Fleurium illud erroneum jactare Principium, Doctores in Ecclesia semper tradidisse; primorum Sæculorum Traditionem in materia Disciplinæ, æque ac in materia Doctrinæ esse retinendam. Econtra P. Balduinus in sua mala fide Domini Fleurii pag. 250. irascitur, quod idem Fleurius, qui Lib. 22. §. IV. fatetur, Disciplinam Ecclesiæ diversis temporibus posse esse diversam, nihilominus semper laudet antiquam, & reprobare videatur hodiernam. Ecce! quod primus negat, alter affirmat! si viri isti animo pacato Fleurium judicassent, facile perspexissent, eum nihil aliud dicere, quam Ecclesiæ Disciplinam, quæ pro variis temporibus quidem mutari potest, SS. Patrum, & piissimorum Scriptorum judicio, semper, quantum fieri expedit, ad primorum Sæculorum rigorem esse reducendam.

Sæculum II. A. C. 180.

Telesphorus, glorioso Martyrio coronatus. Postea Hyginus, deinde Pius, & post eum Anicetus, cui successit Soter, ipsi autem, qui hodie post Apostolos duodecimus sedem obtinet, Eleutherius. Hoc ordine, & successione Traditio Apostolorum, & veritatis prædicatio in Ecclesia ad nos usque pervenit.

Similiter Polycarpus, ab ipsis Apostolis instructus, cum multis eorum, qui JEsum Christum viderant, conversatus, ab Apostolis in Asia Episcopus Smirnensis institutus, quem ego ipse, cum juvenis essem, vidi, multis enim annis vixit, & in extrema senectute glorioso, & illustrissimo Martyrio ex hac vita migravit, is, inquam, Polycarpus semper docuit, quæ ab Apostolis acceperat, quæ Ecclesia nunc docet, & quod solum veritati consentaneum est. Omnes Asiæ Ecclesiæ, omnesque, qui usque in hodiernam diem Polycarpo in Sede Smirnensi successerunt, testimonium reddunt, ipsum veritatis testem esse fidelem, & fide longe digniorem, quam Valentinus, vel Marcion, & omnes alii errantes. Venit Polycarpus Romam tempore Aniceti, ubi multos hæreticorum Discipulos in sinum Ecclesiæ Dei reduxit, unicam & solam Apostolicam veritatem illam esse publice asserens, quam Ecclesia doceret. Hæc sunt verba S. Irenæi.

Paulo

Sæculum II. A. C. 180.

c. 4.

Paulo inferius addit: *Si de aliqua quæstione disceptatio overetur, ad cujus judicium esset appellandum, nisi antiquissimarum Ecclesiarum, ubi Apostoli vixerunt? Quid autem tunc foret remedii, si Apostoli nihil scriptum nobis reliquissent? Nunquid ad Traditiones, illis viris relictas, quibus Ecclesias commiserunt, esset recurrendum? Hoc ipsum multæ nationes Barbaræ observant, quæ sine papyro, & atramento in JEsum Christum credunt, Doctrinam salutis scriptam per Spiritum S. in cordibus suis habentes, & antiquam Traditionem de Deo uno Creatore, & Filio ejus JEsu Christo fideliter tenentes. Qui fidem sine Scriptura receperunt, si linguam eorum, cum nostra eruditione comparatam, spectes, Barbari sunt, si autem Doctrinam, & mores, sapientissimi, & Deo gratissimi sunt, cum justitiam, & castitatem colant. Si quis in eorum lingua talia annuntiaret, sicut ea sunt, quæ nostri hæretici confinxerunt, ambas aures obstruerent, & procul fugerent, ne has blasphemias audire cogerentur; nam quia Traditioni Apostolorum inhærent, tanta hæresum monstra nequidem ipsis in mentem veniunt, & quid sint conventicula hæreticorum nesciunt. Quippe ante Valentinum nulli Valentiniani, nec Marcionitæ ante Marcionem, aut quicunque alii hæretici ante Auctorem suum exstiterunt.* Sub

Sub Hygino Valentinus Romam venit, sub Pio maxime venenum exseruit, & mansit usque ad Anicetum. Etiam sub Hygino nono Episcopo Cerdon Marcionis antecessor in Ecclesiam venit, & post peractam pœnitentiam, in ea mansit, jam in occulto errores tradens, jam ad pœnitentiam rediens, jamque iterum pravæ Doctrinæ convictus a fratrum cõmunione discedens. Hanc secutus est Marcion, qui sub Aniceto Episcopo decimo innotuit.

Sæculum II. A. C. 180.

Valentinianorum technas, & dolos his verbis descripsit: *Sermones eorum Catholicis periculosi sunt, quos Christianos vulgares appellant, & ut facilius decipiant, eandem nobiscum pro Concione Doctrinam afferre simulant, imo etiam querentes audias, quod nos, quamvis idem sentiant, sine causa ab eorum cõmunione recedamus, vocemusque hæreticos; si vero quosdam a vera fide suis quæstionibus seduxerunt, ita, ut ad eorum fabulas attendant, tum privatim iis ineffabile Pleromatis Mysterium explicant; si quis contradicat, pro homine veritatis capiendæ incapace habent, qui a Matre eorum bonum semen non acceperit; nihil ultra ad eum loquuntur, est enim ipsis eorum de genere, quibus curta supellex, nempe de numero Psychicorum. Si quis vero se iis totum addicat, ut putatæ Redemptionis fiat*

Lib. III. c. 15

Sæculum II. A. C. 180.

fiat particeps, is jam sibi neque in cælo, neque in terra ambulare videtur, sed in medio Pleromate, jamque Angelum suum fuisse complexus, ita stolide, & elatis superciliis ingreditur. Alii dicunt, hominem, qui de sursum est, moribus bonis esse debere, ideo in externis actionibus gravitatem fingunt; at plerique, cum se jam perfectionis Christianæ apicem attigisse contendant, de morum honestate nihil solliciti, salutis vero securi, & præscii locum suæ felicitatis, & quietis futuræ in Pleromate præcognoscunt.

§. XXVI.

Doctrina Incarnationis. Eucharistia.

Substantia Doctrinæ, quam S. Irenæus in libro tertio probat, hæc est; unicum esse Deum Patrem, eundemque, qui Mundum creasset, & Legem dedisset; unum, & solum JEsum Christum, & unum Spiritum S. a Patre, & Filio distinctum, qui nobis gratiam, & necessaria saluti auxilia tribueret. Filium Dei vere esse Dominum, & verum Deum, cum in Psalmo quadragesimo quarto uterque Deus nominetur, Filius unctionem recipiens, & Pater unctionem tribuens. Post multa alia concludit; JEsum Christum Deum nominari, ea ratione, quæ nulli alteri filiorum Adæ congruere possit, sed quæ

c. 6.
c. 17. 18.
c. 19.
c. 6.
c. 21.

quæ indicet, ipſum eſſe proprie Deum, & Dominum. Eſſe etiam vere Deum, & hominem ſecundum Scripturas, quæ ea omnia, quæ Chriſto ut homini paſſibili, & contempto convenire poſſent, deſignaſſent, & ex altera parte, ea, quæ ut Deo omnipotenti, & glorioſo convenirent. Chriſtum non eſſe filium Joſeph, ſed tantum Mariæ Virginis, habuiſſe veram carnem, ſicut noſtram, ab Adamo propagatam. Non ad ſpeciem, ſed revera paſſum eſſe; incarnationis finem fuiſſe ſalutem hominum, qui cum ſeipſos ſalvare non potuiſſent, Chriſti indiguiſſent auxilio. Hæc S. Irenæus ampliſſime ex Scripturis demonſtrat.

Sæculum II. A.C. 180.

c. 23.

Lib. V. c. 14.

Lib. III. c. 22

In libro quarto Doctrinam Catholicam potiſſimum ex verbis JEſu Chriſti probat. De S. Evchariſtia loquitur in ſequentem modum; poſtquam Sacrificia externa ſine charitate, & virtutibus internis inutilia eſſe oſtendit, de JESU Chriſto loquens ſubdit: *Diſcipulos ſuos docuit, primitias Creaturarum ſuarum offerre Deo, non quaſi his indigeret, ſed ut grati animi affectum oſtenderent, tum accipiens panem, qui eſt opus Creatoris, & gratias agens dixit: Hoc eſt corpus meum. Similiter accipiens calicem, ut nos credimus, opus Creatoris, ſanguinem ſuum eſſe declaravit, & novam obla-*

c. 32.

Sæculum II. A. C. 180.

tionem novi Testamenti instituit, quam Ecclesia sibi ab Apostolis traditam, jam per universum mundum Deo offert, juxta

Malach. 2. 11 *Prophetiam Malachiæ; ab Oriente ad Occidentem Nomen meum inter Gentes glorificatum est, & in omni loco Nomini meo victima, & Sacrificium purum offertur.*

c. 34. p. 362. Deinde pergit: *Sunt oblationes apud nos sicut in veteri Testamento, erant tunc Sacrificia in Judaico populo, sunt Sacrificia in Ecclesia, at species Sacrificii mutata est, quia qui modo offerunt, jam non sunt*

Ibid. p. 363. *servi, sed liberi.* Et inferius: *Sola Ecclesia hoc Sacrificium purum, opus manuum suarum, cum gratiarum actione Deo offert. Judæorum Sacrificia cessarunt.*

Postea iterum contra hæreticos ait: *Quomodo certi esse poterunt, panem Eucharistiæ esse corpus Domini sui, & calicem sanguinem suum? si eum Filium Creatoris non agnoscant? & quomodo dicunt,*

Ibid. *carnem corpore, & sanguine Domini nutritam, esse corruptioni subjectam, & vitam non recipere? aut sententiam mutent, aut sacrificare, quæ dixi, cessent. Sicut panis, qui de terra est, post invocationem divinam, non amplius est panis cõmunis, sed Eucharistia, duabus rebus constans, una terrestri, & altera cælesti, ita corpora nostra, dum Eucharistiam recipiunt, non amplius sunt corruptibilia, sed*

ſed ſpem reſurrectionis habent. (*) Res duæ, ex quibus componi Evchariſtiam dicit, ſunt caro JEſu Chriſti terreſtris, noſtræ carni natura ſimilis, & Spiritus ejus, id eſt, anima, & divinitas, per quam de cælo eſt, & cæleſtis dicitur. Rurſus contra Marcionitas ait: *Quomodo ergo Dominus, ſi Filius eſt alterius Patris, accipiens panem, qui eſt opus Creatoris, declaravit, hunc eſſe corpus ſuum? Et quomodo dixit, liquorem calici mixtum, eſſe ſanguinem ſuum?* Et contra illos, qui negabant; carnem poſſe reddi incorruptibilem, ajebat: *Ex hoc ſequeretur, Dominum nos non redemiſſe ſanguine ſuo, & calicem Evchariſtiæ, non eſſe cõmunicationem ſanguinis ſui, nec panem, quem frangimus, corporis ſui communicationem.*

Sæculum II. A. C. 180.

Perro. Evch. L. II. c. 4.

1. *Cor.* 15. 47.

L. IV. c. 57.

L. V. c. 2.

§. XXVII.

Vera Eccleſia.

Tum S. Irenæus obedientiam Eccleſiæ præſtandam his commendat: *Obediendum eſt Presbyteris, qui ſunt in Eccleſia; qui ab Apoſtolis ſucceſſionem acceperunt, ſicut demonſtravimus, qui cum ſucceſſione in Epiſcopatum gratiam certæ veritatis obtinuerunt ſecundum beneplacitum*

L. IV. c. 43.

(*) Quid clarius ad declarandam Chriſti præſentiam in Evchariſtia dicere potuiſſet?

Sæculum II. A. C. 180.

citum æterni Patris; qui autem separant se a successione Principali, & particulariter conveniunt, ubicunque sit, pro suspectis habeantur, qui sint vel hæretici, vel schismatici, & superbi, vel hypocritæ, vel lucri, vel vanæ gloriæ cupidi. Et inferius: *Ubi Gratiæ Domini sunt, ibi discenda veritas est ex illis, quibus Apostoli successionem dederunt, & qui Doctrinam sanam, integramque conservant.* Et alibi, cum ostendisset, hominem vere spiritualem omne genus hæreticorum judicare, subdit: *Judicabit Pseudo-Prophetas, qui, quamvis Prophetiæ donum a Deo non acceperint, ex vana gloria, lucri causa, aut ope maligni Spiritus, Prophetas simulant, & in Deum mentiuntur.* *Judicabit eos, qui schismatis causa sunt, crudeles, absque amore Dei, propriam utilitatem pluris, quam Ecclesiæ unitatem facientes, qui ob rem levis momenti JEsu Christi corpus tam magnum, & gloriosum scindunt, & quantum in ipsis est, occidunt; de pace loquuntur, & bellum gerunt; excoriantes culicem, & camelum devorantes, nihil enim boni præstare possunt, quod tantum malum, quale schisma est, adæquare valeat. Judicabit omnes eos, qui sunt extra veritatem, id est, extra Ecclesiam.* Et paulo inferius: *Vera scientia, est Doctrina Apostolorum, status Ecclesiæ antiquus per universum mundum,*

c. 45.

c. 61.

c. 62.

c. 63.

Sæculum II. A. C. 180.

dum, & Corporis JEſu Chriſti caracter juxta ſucceſſiones Epiſcoporum, quibus uniuscujusque loci Eccleſiam crediderunt; quæ ad nos usque pervenit, ſincere conſervata, per explicationem Scripturarum integram, & fidelem; vera ſcientia, inquam, eſt charitas, omnibus donis excellentior, ſcientia pretioſior, & Prophetia glorioſior. Per hanc charitatem Eccleſia in omni loco, & in omni tempore multitudinem Martyrum ad Patrem tranſmittit; hæretici nullos oſtendere poſſunt, immo ajunt Martyrium non eſſe neceſſarium; niſi quod unus, alterve eorum cum noſtris Martyribus confuſi, ſimul ad ſupplicium ducti fuerint. c. 64.

Alicubi dicit: *Deus conceſſit Eccleſiæ omnes operationes Spiritus S. quarum participes non fiunt illi, qui ad Eccleſiam non veniunt, ſed perverſis ſuis opinionibus, & malis operibus ſe ipſos vita privant. Nam ubi Eccleſia eſt, ibi Spiritus Dei eſt, & ubi Spiritus Dei eſt, ibi Eccleſia eſt. Spiritus eſt veritas, qui ergo non participant, de mamilla matris alimentum vitæ non ſugunt, nec aquam puram bibunt, cujus fons eſt Corpus Chriſti.* Et alibi de hæreticis ait: *Omnes iſti ab Epiſcopis receſſerunt, quibus Apoſtoli Eccleſiarum curam comiſerunt. Cum ad veritatis lucem cæcutiant, neceſſe eſt, ut in diverſas* Lib. III. c. 40 L. V. c. 20.

Sæculum II. A. C. 180.

vias aberrent; at vox illorum, qui de Ecclesia sunt, circuit totum mundum, firmam Apostolorum traditionem ferens, nobisque omnibus oculos aperit, ut eandem fidem cognoscamus, eadem omnes præcepta meditemur, eidem Ecclesiæ capiti obediamus, eandem spem in sinu foventes. Prædicatio Ecclesiæ vera est, & firma, & universis eandem salutis viam monstrat. Est candelabrum cum septem brachiis, JEsu Christi lumen portans. Qui igitur Doctrinam Ecclesiæ rejiciunt, sanctos Presbyteros ignorantiæ accusant, nescientes, quanto vir ignorans, & pius impudente Sophista, & Blasphematore melior sit.

§. XXVIII.

Liberum Arbitrium.

L. 4. *c.* 9. 29. 71. 72.

S. Irenæus in pluribus locis liberum hominis, Angelique arbitrium docet, ipsumque hominem suæ ruinæ causam fuisse, & quotidie adhucdum esse; humanam libertatem omnium præceptorum, exhortationum, exprobrationum, laudis, præmii, & pœnarum radicem esse, & fundamentum; causam mali non se tenere ex parte Dei ostendit, sed ex parte Creaturæ, quæ esset naturaliter, imperfecta, & minor Deo; temere incusari Deum, quod mala esse permiserit;

c. 73. 74.

Sua

Sua bonitate, inquit: *bonum nobis tribuit*, *fecitque homines liberos, & sibi similes; sua Providentia Deus infirmitatem humanam cognovit, & ea omnia, quæ inde sequerentur, per bonitatem, & omnipotentiam substantiæ creatæ naturam voluit vincere, & perficere; primo enim naturam in infirmitate sua apparere oportuit, ut deinde, quod mortale est, per immortalitatem vinceretur, & absorberetur; & sic homo perfecta Dei imago, & similitudo evaderet. Malum, quod Deus infert hominibus in criminum pœnam, si ad Justitiam divinam comparetur, bonum est. Secundum naturam omnes Filii Dei sumus, quia omnes sumus creaturæ ejus; at secundum obedientiam, & fidem non omnes Filii Dei sunt, sed illi tantum, qui in eum credunt, & faciunt voluntatem ejus, alii autem sunt filii, & Angeli Diaboli, qui faciunt opera ejus.* Docet etiam manifeste peccatum originale, dum dicit, homines a plaga antiqui serpentis sanari non posse, nisi per fidem in illum, qui elevatus a terra omnia traxit ad seipsum. Et alibi, peccatum primi hominis, a primogenito, qui est JEsus Christus, fuisse emendatum.

Sæculum II. A. C. 180.

c. 75.

c. 77.

c. 79. 80.

Lib. IV. c. 3.

Lib. V. c. 19.

Aug. in Jul. 1. c. 3.

Ait etiam, eo quod fides hominum novi Testamenti accreverit, eorum etiam virtutem crescere oportere, cum nobis non solum a malis actibus abstinere præ-

Lib. IV. c. 47

Sæculum II. A. C. 180.

ceptum sit, sed etiam malis cogitationibus, verbis inutilibus, & irrisoriis. Bis S. Justinum adducit his verbis: *Bene dixit Justinus in suo Tractatu contra Marcionem: ipsi Domino non credidissem, si alium Deum, quam Creatorem annuntiasset.* S. Irenæus, sicut S. Justinus, in opinionem Millenariorum delapsus erat, dum clare docet, Sanctos mille annis cum JEsu Christo post primam resurrectionem, & ante extremum judicium in terra regnaturos; nempe auctoritate quorumdam veterum, qui hanc Traditionem reliquerant, quos inter Papias fuit, captus est; cumque, quantum posset, ab explicationibus allegoricis, quibus hæretici, quos oppugnabat, fundabantur, vellet recedere, in alterum incidit extremum, dum quorumdam tam veteris, quam novi Testamenti locorum sensui litterali plus justo inhæsit, ubi Ecclesiæ gloria, aut æterna felicitas sub diversis sensibilium rerum figuris repræsentatur. Hæc notatu digniſſima in Tractatu S. Irenæi contra hæreses nobis visa sunt.

Ibid. c. 14.

Lib. V. c. 32. 33. &c.

§. XXIX.

Martyrium S. Apollonii.

Euſ. V. hiſt. c. 21.

Sub Commodi Imperio Ecclesia in toto mundo profunda pace fruebatur; favente itaque occasione multi Romani nobilitate,

bilitate, & opibus præcipui cum ſuis domeſticis, & propinquis fidem amplectebantur; ex illorum numero fuit Apollonius Senator, litterarum, & Philoſophiæ fama illuſtris; delatus fuit ab uno mancipiorum ſuorum nomine Severo, qui delationem hanc ſecundum mandatum M. Aurelii Imperatoris, quo accuſare Chriſtianos tanquam Chriſtianos vetabatur, morte luit, nam Perenni Prætorianorum Præfecto ſententiam ferente, cruci affixo crura confracta ſunt; at poſtea Perennis Apollonium rogavit, ut coram Senatu Religionis ſuæ rationem exponeret, fecit ille, & orationem præcellentem, qua ſe Chriſtianum eſſe clare profitebatur, & Chriſtianam Religionem argumentis tuebatur, in Senatu prælegit; cumque Romanis mos eſſet inviolatus, nulli Chriſtiano, qui ſemel in judicio ſtetiſſet, parcere, niſi fidem mutaſſet, Senatus decreto capite plexus eſt. Id contigit anno octavo Commodi. JEſu Chriſti centeſimo octogeſimo nono. Sæculum II. A. C. 189. *Hier. Scrip.* *Euſ. in Chro. An.* 191. An. 189.

§. XXX.

Succeſſio Epiſcoporum. Serapion.

Anno JEſu Chriſti centeſimo octogeſimo quinto e vivis exceſſit Papa Eleutherius, cui ſuccedens Victor annis duodecim ſedit. Julianus Epiſcopus Alexandrinus fatis ceſſit anno centeſimo *Euſ. V. hiſt. c.* 22.

Sæculum II. A. C. 189.

octogesimo octavo, Episcopatus anno decimo, ipsi successit Demetrius, qui annis quadraginta tribus sedem tenuit. Anno JEsu Christi centesimo octogesimo octavo post Maximinum Antiochiæ electus est Serapion. Plures eodem tempore Episcopi fama clarebant; Theophilus Cæsareæ in Palæstina, Narcissus Jerosolymæ, Bachiles Corinthi, Polycarpus Ephesi. Serapion Episcopus Antiochenus multa scripsit opera, & inter alia Epistolam ad Ponticum, & Caricum, cujus mentionem occasione Montanistarum fecimus, Tractatum contra Domninum, qui tempore persecutionis lapsus, factus erat Judæus; alium Tractatum de Evangelio S. Petri, pro quibusdam fratribus Ecclesiæ Rossensis in Cilicia compositum, qui illius Pseudo-Evangelii prætextu falsas opiniones sequebantur. In hoc Tractatu Serapion in hunc modum disserebat.

Idem VI. hist. c. 12.

sup. n. 6.

Nos quidem, fratres mei! Petrum, aliosque Apostolos sicut JEsum Christum recipimus, at scripta, quæ falso hoc nomine insigniuntur, rejicimus, scientes, quod hæc a Traditione non acceperimus. Cum inter vos essem, omnes fidem Orthodoxam tenere credebam, & quia Evangelium non legeram, quod sub Petri nomine monstrabant, dixi, si præter hoc nihil scandalum parere videtur, legatur; at

at modo mihi relatum, eorum mentem aliqua hæresi esse infectam, ideo diligenter ad vos revertar, proximis his diebus me habebitis. Fratres mei! scimus, qualis fuerit Hæresis Marcionis, sibimetipsi ex toto contradicentis, &, quid diceret nescientis; hoc ex iis, quæ vobis scripta sunt, intelligetis. Etiam se mihi obtulit occasio mutuum accipiendi illud Evangelium a quibusdam, qui illi studeant, nempe eorum successoribus, qui primum illo usi sunt, & Docitas appellamus, nam pleræque illarum opinionum ipsis originem debent; legi ergo, & inveni, quod potiorem partem sit sana Salvatoris Doctrina, at aliqua immixta sunt, quæ huic Doctrinæ non concordant, & quæ his ad vos transmittimus. Hæc sunt verba Serapionis. Docitæ vocabantur, qui Mysterium Incarnationis non vere, sed tantum in speciem peractum fuisse, asserebant. Sæculum II. A.C. 189.

§. XXXI.

Pantenus.

Jam temporibus Juliani Episcopi Alexandriæ degebat Pantenus, Scholæ Christianæ, more antiquissimo institutæ, Moderator, vir Doctrina clarissimus, Stoicorum e Secta egressus; tanto Religionis fervore, ut sub Episcopo Demetrio ad nationes Orientales fidei prædicandæ causa *Euf. V. hist. cap. 10. Hier. Scrip.*

Sæculum II. A. C. 189.

causa profectus, usque ad Indos penetrarit; tunc enim plures adhuc Evangeliſtæ dabantur, zeli Apoſtolici imitatores, qui fidei propagationi inſudabant. Pantenus in Indiis adveniens, aliquos Chriſtianos inveniſſe dicitur, qui Evangelium S. Matthæi habebant; nam S. Bartholomæus ibi prædicaverat, & hoc Evangelium hebraice ſcriptum reliquerat, illuc usque conſervatum. Pantenus geſtis ibi multis rebus Apoſtolico zelo dignis, Alexandriam rediit, ubi usque ad finem ſacrarum litterarum ſcholæ præfuit, ore, & calamo docens. Multos erudivit Diſcipulos, & inter illos Clementem, ſuum in docendi munere ſucceſſorem.

§. XXXII.

Mors Commodi. Pertinax. Julianus. Severus Imperatores.

Anno JEſu Chriſti centeſimo nonageſimo ſecundo ultima Decembris Commodus Imperator occiſus eſt. Datis plurimis crudelitatis exemplis, nova addere parabat, & multos viros Conſulares, Senatores, interque alios Letum Prætorii Præfectum, Electum cubiculi cuſtodem, ipſamque Marciam concubinam morti deſtinaverat, quorum nomina manu propria tabulæ inſcripſerat, ea vero caſu in damnatorum manus delapſa, conſilium iniere, quomodo Tyranni nece ſuæ

Herod. lib. I. Dion. epit. in Commod. Lamprid.

suæ præverterent, itaque Marcia mixtam veneni potionem ultima anni die propinat, ipse suspicione vacuus potu epulisque immoderatius stomachum onerat, hinc superflua vomitu deinde egessit; tum conjurati timentes, ne evaderet, Athletam nomine Narcissum immittunt, qui lavantem in balneo suffocaret. Hic exitus fuit Commodi anno ætatis suæ trigesimo primo post imperium duodecim annorum, & novem mensium. Helvius Pertinax venerabilis senex, gravissimis muneribus sub Marco Aurelio functus, Imperator proclamatur prima Januarii anno centesimo nonagesimo tertio; is cum ob Commodi vecordiam labescentis Imperii vitia reparare cogitaret, militis odium incurrit, & post trium ferme mensium, id est, octoginta duorum dierum spatium interfectus est, annos natus sexaginta septem, quem omnes boni magno luctu prosecuti sunt.

Sæculum II. A. C. 193.

An. 193.

Herod. lib. 2.

Pertinace sublato, Didius Julianus cernens Imperatoris dignitatem in voluntate Prætoriani militis esse, illam plus offerenti haud dubie daturi, quidquid petebant, promisit, & Imperator salutatur, invito Senatu, populoque, cujus odium nunquam placavit. Interim per Provincias exercituum Præfecti tres, singuli a suo milite Imperatores proclamantur, Pescennius Niger in Syria, Claudius Albinus

Sæculum II. A. C. 193.

Albinus in Britannia, & Septimius Severus in Pannonia. Ex parte hujus fortuna ſtetit; Romam contendens Prætorianos a Juliano deficere coegit, qui eum non purpura modo, ſed & vita exuerunt, cum non ultra duos menſes, id eſt, ſexaginta ſex dies regnaſſet.

Severus Afer natus erat Lepti ex antiqua Romanorum familia; proclamatus eſt Imperator ab exercitu ſuo Carmuti in Pannonia decima tertia Auguſti eodem anno centeſimo nonageſimo tertio, anno ætatis quadrageſimo ſeptimo, regnavitque ſeptendecim annos, & octo menſes. Prima cura fuit Albinum ſimulata pace decipere, qui copiis in Gallia, & Britannia præerat, quemque dato Cæſaris titulo demulſit. Interim contra Peſcennium Nigrum, qui purpuram Antiochiæ acceperat, in Orientem movit, & ſuperavit; mox reverſus, & in Albinum invectus eadem fortuna devicit; Bellum hoc civile demum anno JEſu Chriſti nonageſimo octavo poſt centeſimum finem habuit, cui ſe Chriſtiani non implicuere, nec Albino faventes, nec Nigro; hinc initio Severus benigno erat in eos animo. Chriſtianum quemdam nomine Proculum diligenter perquiri juſſit, quem Evodius ſuis negotiis præfecerat, huic Evodio Severus filium ſuum natu majorem Antoninum inſtituendum tradiderat; quod autem

Herod. l. 3.

Tertull. Apol. c. 35. ad Scap. c. 2.

Tertull. ad Scapul. c. 4.

autem Proculum jussisset adduci, causa hæc fuit, quia is aliquando Evodium ægrotantem oleo sanaverat, nempe unctione miraculosa; inventum Proculum in Cæsareo Palatio, quamdiu vixit, retinuit. Sciens nonnullos ex clarissimis, id est, Senatorii ordinis utriusque sexus fidem Christianam suscepisse, non solum non nocuit, sed etiam palam laudavit, populique furori Christianos ad necem deposcentis in faciem restitit. Sæculum II. A. C. 193.

§. XXXIII.

Theodotus Byzantinus Hæreticus.

Victor Papa Theodotum Byzantinum Doctrinam Ecclesiæ corrumpentem communione Fidelium privavit. Theodotus iste, quamvis artem coriarii profiteretur, in litteris tamen erat eruditissimus. In persecutione cum aliis a Magistratu urbis comprehensus, & de fide rogatus, confitentibus sociis, & Martyrium patientibus, ipse fidem negavit; deinde fratrum sibi crimen exprobrantium confusionem non ferens, relicta patria Romam auffugit; postquam aliquantum ibi fuisset commoratus, etiam, quis esset, divulgatum est, tum easdem reprehensiones rursus audire coactus est, & quæstiones, quomodo tantæ eruditionis vir factus esset desertor veritatis; his fatigatus, impia responsione se defendit, dicens: non Deum

Theod. hær. fab. l. 2. c. 5. Epiph. hær. 54. n. 1.

Sæculum II. A. C. 193.

Deum negavi, sed hominem; & insistentibus, qualem hominem negasset, ait, JEsum Christum, qui nihil est supra hominem. Hæresis hæc, quæ Cerinthi, & Ebionis errores revocabat, multis post hæc scandalo fuit; Sectatores illius dicebantur græce Alogi, tanquam Verbum negantes. Ajebant omnes antiquos, & ipsos Apostolos suam Doctrinam recepisse, & docuisse, eamque usque ad Victoris tempora, qui decimus tertius a S. Petro Romanus Episcopus esset, fuisse conservatam, Zephirinum autem ejus Successorem veritatem prodidisse; hæc de istis hæreticis auctor quidam coævus dicit, & pergit:

Euf. V. hist. c. 28.

Quæ isti dicunt, verosimile esse posset, nisi contra eos pugnarent, primo Divinæ Scripturæ, & deinde libri aliquorum Fidelium, Victoris temporibus antiquiorum, ad defendendam veritatem adversus Gentiles, & hæreticos illorum temporum conscripti; nempe libri Justini, Miltiadis, Tatiani, Clementis, & multorum aliorum, qui omnes JEsum Christum Deum esse fatentur; quis ignorat libros Irenæi, Melitonis, aliorumque JEsum Christum esse Deum, & hominem asserentium? quantus est numerus canticorum, & hymnorum in exordio a Fidelibus scriptorum, qui JEsum Christum Verbum Dei, & Deum celebrant; qua fronte ergo asserunt, ea, quæ ipsi commini-

miniſcuntur, in Eccleſia fuiſſe tradita, usque ad Victorem cum contraria Eccleſiæ mens adeo manifeſte pateat? quomodo non erubeſcunt, tam putidam contra Victorem calumniam ructare? optime ſcientes Victorem excommunicaſſe Coriarium Theodotum auctorem, & parentem hujus Apoſtatarum ſectæ, JEſu Chriſti Divinitatem negantium, primumque JEſum Chriſtum purum hominem dicere auſum. Hic intelligendum, Theodotum fuiſſe primum reſpectu Artemonis, aliorumque poſteriorum. *Si enim Victor ejusdem cum ipſis opinionis fuit, ut mentiuntur, quomodo Theodotum hujus hæreſis inventorem damnavit?* Sæculum II. A. C. 193. *Euſ. V. c. 28. in fin.*

Idem Auctor in hæreticos Theodoti Sectatores in hunc modum invehitur: *Summa temeritate Sacras Scripturas adulterarunt, & antiquam fidei Regulam abjecerunt. JEſum Chriſtum ignorant, nec inquirunt, quid Divinæ Scripturæ de ipſo dicant, ſed quænam figura Syllogiſtica confirmandis ſuis erroribus aptior ſit; ſi ipſis Scripturæ textum allegas, quærunt, an ex eo Syllogismus conjunctivus, vel disjunctivus formari queat. Omnem operam Geometriæ impendunt. Euclidem Ariſtotelem, Theophraſtum, aliqui etiam Galienum maximi æſtimant. Artem infidelium, & ſophismata impiorum in auxilium vocant, ad ſtabiliendas opiniones ſuas, & Scriptu-*

Sæculum II. A. C. 193.

rarum simplicitatem corrumpendam, sub maligno correctionis prætextu. Tanti facinoris facillime convincuntur, si eorum exemplaria conferantur; Asclepiodoti exemplaria ab exemplariis Theodoti maxime discordant, danturque talia magno in numero, quia tam unius, quam alterius Discipuli juxta fictitias suas correctiones ea sæpissime descripserunt. Ab istis rursus differunt ea, quæ sunt Hermophili; illa autem, quæ Apollonii sunt, secum ipsis pugnant; nam primæ descriptiones nimium quantum ab ultimis differunt, suntque tam primæ, quam posteriores fœde corruptæ; quod vero hæc ipsorum temeritas partus sit ingenii barbari, & stupidi, ipsos auctores minime latere existimo, nisi penitus obbrutuerint; aut enim non credunt S. Scripturas a Spiritu S. esse dictatas, & tunc sunt infideles, aut se supra S. Spiritum sapere putant stultitia intolerabili. At negare probrum, & dedecus suum nequeunt, cum propria manu, qua exemplaria exararunt, prodantur. Non has Scripturas a Magistris, & Catholicis Doctoribus acceperunt, vel ostendant Scripturam originalem, unde desumpserint, si possunt. Aliis nimis gravis labor visus est SS. Libros alterare, pronius fuit & legem antiquam, & omnes Prophetas rejicere, tanquam libros Doctrinam perversam, & impiam continentes. Hæc antiquus ille auctor, cujus nomen nos latet. §. XXXIV.

Sæculum II. A. C. 193.

§. XXXIV.

Alii Hæretici.

Non multo post tempore alius Theodotus notus factus est, qui dicebat, JEsum Christum verum tantum, & purum hominem esse, conceptum de Spiritu S. & Maria Virgine; at Melchisedecho inferiorem, quia ad ipsum dictum est; Tu es Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Ipsum Melchisedechum fuisse virtutem cœlestem, advocatum, & intercessorem Angelorum, sicut JEsum Christum esse hominum; sed etiam ex hac ratione Christo potiorem habebat, quia esset sine Patre, sine Matre, & sine Genealogia, ejusque nec principium, nec finem comprehendi posse dicebat. Iste posterior Theodotus Melchisedechianorum auctor, erat Professione numularius. *Append. ad Tert. præsc. c. ult.* *Theod. l. 2. hær. fab. c. 6.*

Secutus est Praxeas novam hæresin introducens, cum diceret, Deum Patrem omnipotentem eundem esse cum JEsu Christo, qui crucifixus fuit, unde inter alia etiam hoc consequebatur paradoxum, Christum ad sui ipsius dexteram sedere. Praxeas natione Phryx erat, & quondam sicut etiam Theodotus Byzantinus Montanistarum erroribus addictus. Ex Asia Romam venit, Montani sectam dimisit, immo Papæ ejus errores detexit; at simul hæresis suæ semina *Append. ad Tertull. præscr. in fin.* *Pacian. ad Sempr. epist. 1. Tertull. in Prax. c. 1.*

Sæculum II. A. C. 193.

ſpargere cœpit, Martyrii gloria inflatus, quamvis nihil niſi carcerem, & modico quidem tempore, toleraſſet; ſectatores ejus dicti ſunt Monarchici, quia, ne plura principia rerum omnium ſtatuere viderentur, unam tantum in Deo Perſonam admittebant; alio nomine etiam Patropaſſiani appellabantur, quia Patri æque ac Filio crucis paſſionem attribuebant.

§. XXXV.

Auctores Eccleſiaſtici.

Euſ. V. hiſt. c. 33.

Plures ea tempeſtate in Eccleſia Catholica Scriptores numerare erat fama clariſſimos, quibus merito accenſendus eſt Rodon, qui origine Aſianus Romam venit, fuitque Tatiani Diſcipulus; is multos libros ſcripſit, in quibus præter alia Marcionis hæreſin oppugnabat; illo referente ſcimus, tunc temporis illam hæreſin in plures ſectas fuiſſe diviſam, quarum Auctores nominat, & refellit mendacia; nominat ſenem Apellem, de quo

Sup. lib. 3. §. 35.

mentionem fecimus, qui unum rerum omnium ſtatuebat principium, Potitum etiam & Baſilicum, qui duo principia ponebant, ſicut ipſe Marcion, & Syneroem, cui non pauciora, quam tria rerum placebant principia. Rodon etiam Tractatum de opere ſex dierum compoſuerat. Candidus, & Appion de eadem ſcripſe-

scripserant materia. Heraclitus in Apostolum fuerat commentatus. Maximus celeberrimam illam quæstionem de origine mali lucubraverat, probans materiam non esse æternam. Sextus opus de resurrectione concinnaverat, Arabianus de alia materia, multique alii, de quibus tempus certum non scitur, alia opera ediderant; omnium vero illustrissimus fuit Clemens Alexandrinus, qui jam anno secundo Severi Imperatoris, JEsu Christi centesimo nonagesimo quarto florebat. Sæculum II. A. C. 194. *Euſ. ibid. c.* 19. An. 194.

§. XXXVI.

S. Clemens Alexandrinus.

Vocabatur Titus Flavius Clemens, quem non nulli appellant Athenienſem, ex quo Athenis natum licet conjicere. Erat in litteris humanioribus instructus, in Philosophia præsertim Platonica versatissimus, tandem in sacris Scripturis, & Doctrina Evangelica doctissimus; quantam in his studiis industriam adhibuerit, ipse nos docet, dum in exordio Stromatum suorum ait: *Ut hoc opus scriberem, nullam partem habuit ostentatio. Est rerum notatu dignarum thesaurus, a me collectus in subsidium meæ senectutis, innocuum oblivionis, aut malitiæ remedium, levis quædam delineatio virorum illorum beatorum, omnium memoria dignissimorum,* *Epiph. hær.* 32. *n.* 6. 1. *Strom. p.* 274. *ed.* 1641.

Sæculum II. A. C. 194.

quorum sermones vita & spiritu animatos audiendi sors benigna mihi obtigit. Unius, qui erat Jonius, in Græcia auditor fui, alterius in Italia, tertii Magistri fui Discipulus in Syria, & quarti in Ægypto; alios duos auscultavi in Oriente, Assyrium unum, alterum Palæstinum origine Hebræum; cum in alium, qui ultimus fuit, incidissem, in Ægypto mansi, in omnem ejus vitæ Doctrinæque rationem intentus, nescientis se a me observari. Vir ille, industriosæ api similis, quasi flores ex prato Apostolorum, & Prophetarum exsugens, in auditorum suorum mentibus inæstimabilem scientiæ thesaurum produxit. Hi veræ Traditionis ter felicem Doctrinam, immediate ab Apostolis Petro, Jacobo, Joanne, & Paulo, sicut filius Parentis monita auscultat, acceptam conservarunt. Pauci parentibus suis similes sunt. Illi autem viri ad nostra usque tempora Divino consilio reservati sunt, ut nobis scientiæ Divinæ semina concrederent; & scio, jucundum ipsis futurum, si hic dicta sua non explicata, sed tantum adnotata videant, posterorum utilitati consecranda. Ego enim existimo, votum animæ perpetuitatem sanctæ Traditionis desiderantis fuisse expressum, cum dictum est: Filius sapiens, gaudium Patris! Hactenus S. Clemens Alexandrinus.

v. Valer. ad Euſ. V. hiſt. c. 11.

Prov. 10. 1.

Ulti-

Ultimus Magiſtrorum ſuorum, cujus eloquentia captus in Ægypto hæſit, Pantenus fuiſſe creditur; id certum, quod Panteno ſucceſſerit in ſchola Alexandrina, in qua præcipua erat cura Catechumenos inſtruere. Erat noſter Clemens Sacerdos, cui Alexander Epiſcopus Hieroſolymitanus, Narciſſi Succeſſor, in quadam Epiſtola ad Eccleſiam Antiochenam tale reddit teſtimonium: *Hæc vobis ſcribo, Domini mei fratres! ferente epiſtolam Clemente Presbytero probatiſſimæ virtutis viro, quem noſcitis, & magis imposterum noſcetis; poſtquam providentia, & Gratia Domini ſingulari huc venit, JEſu Chriſti Eccleſiæ robur fuit, & augmentum.* Idem Alexander ad Origenem ſcribens, inquit: *Cum Dei Gratia amicitiam colui, & confirmavi a Patribus meis mihi relictam, & commendatam; nam ut Patres revereor illos Sanctos, qui nos præceſſerunt, & quos brevi ſequemur; Beatum inquam Pantenum Dominum meum, & S. Clementem, qui fuit Dominus meus, cui tot Beneficia in acceptis refero.*

Sæculum II. A. C. 194.

Euſ. VI. c. 14.

Clemens multos illuſtres habuit Diſcipulos præter dictum Alexandrum, & Origenem, qui ei in munere docendi ſucceſſit. Multos ſcripſit libros, & in totam S. Scripturam a capite usque ad calcem commentatus fuiſſe dicitur; quæ nobis de ipſius operibus ſuperſunt, ſunt ſequen-

Sæculum II. A.C. 194.

tia: Exhortatio ad Gentiles, Pædagogus, Stromata, & parvus tractatus: quis est dives, qui salvabitur; Exhortatio ad Gentiles hinc ostendit Religionis Christianæ excellentiam, quæ in ratione, & virtute consistit, inde Idololatriæ abjectionem; ejus detegit originem, fabularum falsitatem, & pudendam, quæ sub Gentilium Mysteriis profanis latebat, turpitudinem, eaque membratim explicat. Graviſſimum conversionis Paganorum impedimentum erat illa objectio, nempe omnium Gentium Deos colentium mos, hanc objectionem Clemens diluit, & tandem in forti charitate Gentiles, ut in JEsum Christum credant, & Legem ejus amplectantur, invitat. Hæc oratio textibus Poetarum referta est, quos Clemens ideo accumulasse videtur, ut non solum propriis eorum scriptoribus convinceret, sed etiam dictis, & scriptis, quibus ipsi familiariter assuevissent, alliceret. Hoc opus singulari elegantia concinnatum est.

Clem. Alex. Pædag. II. c. 10. & III. c. 8. Cassiod. præfat. inst. div. Lect.

§. XXXVII.

Clementis Alexandrini Pædagogus.

Pædagogus, est totius Philosophiæ moralis Christianæ compendium, in usum Catechumenorum potissimum conscriptum, horum enim institutio Clementi incumbebat. Hujus scripti finis est, Catechumenorum passiones sopire, pravos

Strom. l. 6. p. 616.

vos habitus eradicare, & sic ad recipiendam Doctrinam Ecclesiæ præparare. In tres libros dividitur; in primo Auctor aperit, quid sub Nomine sui Pædagogi intelligat; alia Græcorum erat, quam nostra hujus nominis Idea, & multo nobilior; Pædagogum enim virum dicebant, qui cujusdam pueri juventuti præpositus, ejus esset individuus comes, vitæ rationem, moresque formaret, & in omnibus arduis regeret. Ille autem Pædagogus, quem Clemens, dum hunc librum scriberet, in mente habuit, nemo alius est, quam JEsus Christus, Verbum incarnatum, suprema Ratio. Ab hujus Pædagogi præceptis dum homines per inobedientiam recesserunt, in vitia, & Idololatriam lapsi sunt. Ut in viam salutis reduceret, Deus Verbo suo instruit. Divinus hic Pædagogus peccata remittit, quia est Deus, & suis instructionibus, sensibiliter propositis, nos a peccatis præservat, tanquam homo. Utriusque sexus Doctor est, & utrique sexui similia præcepta tradit; omnes suos Discipulos ad beatam infantiam reducit; est autem hæc infantia status hominis perfectissimus. Israelitas timore rexit; nunc a tempore incarnationis suæ novum populum amore gubernat, idem ipse Deus, dum punit, & dum parcit ex æquo bonus. Id auctor fusius demonstrat hæreticorum

Sæculum II. A. C. 194.

Lib. 1. *c.* 7.

c. ult.

c. 3.

c. 4.

c. 5.

c. 6.

c. 7.

c. 8. 9. 10. 11. 12.

Sæculum II. A. C. 194.

ticorum causa, Deum antiqui Testamenti rejicientium. Concludit librum primum, dum ostendit, vitam Christianam consistere in fide, quæ sit submissio intellectus erga Divinam Rationem, rursusque in virtutum exercitio, & executione mandatorum, quibus non solum anima, sed & corpus subsit.

c. ult.

Lib. II. c. 1. Libro secundo morum Regulas speciatim tradit; vult, ut alimenta sumantur cum mensura, non voluptatis, sed necessitatis causa, quo corporis sanitas, & vires conserventur; sint cibi simplices; esum piscium magis Christiano congruere putat, quam carnium, eorumque omnium, quæ cruda comedi possunt, quam quæ igne parari debent. Unam de die refectionem, aut ad summum duas, id est, buccellam panis mane sine potu, & refectionem vespere sufficere credit. Quod potum attinet, contra Encratistas probat, vini usum licitum esse, quod JEsu Christi ipsius exemplo confirmat; sed vult, ut modice bibatur, & tantum ad vesperam, immo, nec multum aquæ. Juvenes vino abstineant. Illorum abusum, qui Agapen in lauta convivia convertebant, reprehendit. S. Pauli præcepta sequens, immolatorum carnibus vesci prohibet, nihilominus permittit invitatos Christianos cum infidelibus manducare, tuncque ait, qualitatem

p. 148. edit. 1641.
p. 152.
p. 158.
p. 141.
p. 144. c. 3.

tatem certam ciborum nec vitandam, nec requirendam. Apparatum domesticum, vasa, pecunias, & quidquid luxum spirat, damnat. Instrumenta Musica, profanos cantus in conviviis, exceptis canticis spiritualibus, reprobat. Risus sit rarus, modestus, non effusus. Discursus minus honesti absint; multa præterea honestatis in humanæ vitæ commercio, & politæ conversationis præcepta tradit. Christianos floribus coronari, suffitu, aut oleo odorato uti non patitur, casu excepto, quo infirmitas corporis harum unctionum medicina indigeat. Sæculum II. A.C 194. c. 5. c. 6. c. 7. c. 8.

Modum etiam noctem tanfigendi præscribit: *Post refectionem Deum laudabimus propter bona omnia, quæ accepimus, & diem ultimam, qua vximus; tum dormiemus in lectis nec pretiosis, nec mollibus; parum dormiemus, ut diutius vivamus, tempus enim, quo dormitur, perditum est. Sæpius de nocte surgetur ad orationem. Tempus somni arctius quam noctis erit, surgentque viri ad studia, & laborem, fœminæ ad filandum. De die nunquam dormiendum.* Hoc præceptum notari dignum est pro hominibus in Ægypto, regione valde calida, viventibus. Quia Ægyptiorum mores immaniter erant corrupti, materiam de castitate solide tractat, & argumentis e sana Philosophia depromptis evincit, quantum genus omne impu- c. 9. p. 185. c. 10.

Sæculum II. A. C. 194.

impuritatis rationi adverſetur; ſolum, & unicum duorum ſexuum conjunctionis finem, eſſe productionem creaturarum rationabilium, & ſua natura immortalium. Hominem in eo ſpecialius eſſe Dei imaginem, quod ad productionem hominis cum Deo concurrat; igitur homini vel matrimonium eſſe eligendum, vel continentiam perfectam. Cum autem deliberare ſoleamus, an expediat uxorem ducere, etiam illorum ſententiam eſſe eliminandam, quos dicere non pudeat, commercium cum fæminis homini æque neceſſarium eſſe, ac cibum capere, ideoque hunc uſum omnibus debere eſſe communem. (*) Injuſtum eſt, inquit: ſolam voluptatem in matrimonio quærere, cujus uſus ratione, & honeſtate limitari debet, & qui, quamvis ſit legitimus, nunquam tamen deſinit eſſe periculoſus. Semper ad Dei præſentiam reſpiciendum, cujus oculi ſpiſſiſſimas tenebras penetrant, & honor habendus corporibus noſtris, quæ ſunt templa Dei.

p. 188. *p.* 193. *p.* 192. *p.* 195.

Cum Corporis ornatus ad diſſolutionem tendat, tractat deinde de Chriſtianorum veſtimentis. Vult, ut veſtitus ſit ſimplex, & neceſſitati accommodatus, nun-

c. 10. *p.* 197.

(*) En! aphorismus Lutheri ante quatuordecim Sæcula a Clemente Alexandrino damnatus!

nunquam veſtis pretium merito hominis, quem contegit, majus ſit. Veſtes ſint albæ, nec coloratæ, nec tantæ longitudinis, ut terram verrant. Fæminas aliquantum mollius veſtiri, quam viros permittit. Veſtitus albi coloris plurimum tam apud Græcos, quam Romanos in uſu erat, & veſtes usque ad talos pendere ſolebant. Clementis curam ipſa calceamenta non effugerunt; fæminis ſuadet, ut ſemper ſint calceatæ propter decentiam, viris contra, ſemper nudis pedibus incedant, niſi quando militant. Aurum in veſtitu, & gemmas, in corpore fucum, aut capillos pingere damnat.

Sæculum II. A. C. 194.

p. 201.

p. 203.

c. 11.

c. 12.

p. 199.

p. 217. 223.

In libro tertio veram pulchritudinem commendat, nempe internam, & ſolam, quæ Domino noſtro placere poſſit. *Indignum eſt*, inquit: *honeſta muliere, ut ad vanitatem ornetur, quod multo turpius accidit in viro; attamen ita ornari mulieres, ut maritis placeant, non prohibet;* nimiam curam capillos radendi, pectendi more mulierum in viris culpat, capillitium vero adſcititium gerere nullatenus patitur. In mollitiem infamem Romanorum invehitur, econtra frugalitatem Scytharum, Germanorum, Gallorum, & Arabum laudat. Diſplicet multitudo mancipiorum, præprimis Evnuchorum, pumilonum, monſtrorum, animalium, quæ mulieres alere amant multis impendiis,

L. III. c. 1.

c. 2.

c. 3.

c. 11. *p.* 245.

p. 248.

Sæculum II. A. C. 194.

diis, utilius in pauperes erogandis. Frequentem balneorum usum reprehendit, nisi vel sanitas, vel mundities exigat; super omnia balnea viris, mulieribusque communia condemnat.

c. 4.

c. 5. 9.

c. 6. 7.

Pergit, & probat, solum Christianum esse vere divitem, ejusque thesaurum in frugalitate consistere. Suadet exercitia corporis, inprimis juventuti, & proponit viris luctam, pilam, ambulationem, at ante omnia laborem, parandis vitæ necessariis utilem, aquam puteo extrahere, ligna findere, terram fodere, mulieribus familiæ curam, & obsequia domestica.

c. 10.

c. 11. p. 253. Lusum alearum, & similes rejicit, sicut etiam otium, & omnia, quæ inde sequuntur mala, nec minus Circi, aut Theatri spectacula, omnis morum corruptionis fontes, quamvis quis solum animi relaxandi causa accederet. Ait quoque, viros, & mulieres modeste vestitos in Ecclesiam ire oportere, incessu gravi, in silentio, charitate sincera, castitate corporis, & animi, cum desiderio orandi; & fæminas debere esse velatas; in exitu ab Ecclesia mulieribus non dimittendam esse modestiam, nec sibi exemplo mulierum perversi sæculi vanos gestus, habitusque licere crederent. Sanctitatem osculi pacis inculcat. Etiam quorumdam Christianorum audaciam improbat, qua per plateas notos sibi fratres

c. 254.

c. 255.

alta

alta voce salutabant, & seipsos infidelibus absque ulla utilitate manifestabant. Christianis inter infideles summa prudentia, & discretione vivendum. Hoc est summarium Pædagogi, ex quo facile, qualiter vita Christianorum in Sæculo secundo fuerit comparata, dispici potest; quamvis enim cujuslibet instituti præcepta non nisi perfectissima quæque proponant, nihilo minus S. Clemens Alexandrinus, qui maturo pollebat judicio, nunquam tales regulas omnibus Christianis præscripsisset, nisi easdem in praxin posse deduci, & etiam a multis deduci sciviſſet. Sæculum II. A. C. 194.

§. XXXVIII.

S. Clementis Alexandrini Stromata.

Stromata, seu tapetum structura, ideo, ipso Clemente interprete, sic dicta, quod essent Philosophiæ Christianæ contextus, in quo Auctor sine ordine ab una materia ad aliam digreditur delectabili varietate. Quod eo quidem fecit consilio, ut hæc Doctrina Christianis fieret cognita, profanis autem maneret occulta. In libro primo Evchariſtiæ distributionem commemorat his verbis: *Quando Evchariſtia pro more diviſa fuit, cuilibet de populo permittitur partem ſuam accipere.* Aitque, diligenter examinandum, num quis dignus, & potens sit alios *Lib. IV.* 475. *L. IV. p.* 475. *L. I. p.* 276. *p.* 271.

Sæculum II. A. C. 194.

lios instruere, vel eum potius docentes auscultare deceat. Alibi, vinum in Eucharistia debere aqua misceri, ut unio Spiritus cum nostra humanitate designetur. Primarius hujus libri Stromatum finis est, ostendere, quantam utilitatem Philosophia humana Christiano conferat, & si alius fructus non appareret, quam ut nota sibi Sophismata fortius possit refellere. Philosophiam Græcis profuisse, ut ad Evangelium præpararentur, sicut Legem Hebræis. Originem scientiarum, & artium, Philosophiæ historiam tam apud Græcos, quam alios populos enarrat, probatque juxta Methodum Tatiani, quem allegat, Hebræorum Philosophiam esse omnium antiquissimam. Chronologiam exacte computat, & a Nativitate JEsu Christi usque ad mortem Imperatoris Commodi centum nonaginta quatuor annos, & unum mensem numerat; qui annus nonagesimus quartus cum nostro nonagesimo secundo consentit, quippe Alexandrini Nativitatem JEsu Christi duobus annis serius quam nos ponebant. Diversas opiniones de Die Nativitatis JEsu Christi, & Passionis ejus refert.

Pædag. Lib. II. c. 2. p. 151.

p. 278.

p. 282.

p. 299.

p. 320.

p. 333.

p. 340.

p. 362. In libro secundo ait: *Fides, quam Græci vanam, & barbaram declamant, est Præjudicium voluntarium, & pius assensus.* Contra Discipulos Basilidis, & Valen-

Valentini probat, fidem apud quosdam non originem ducere ex instinctu naturali, sed libera electione. Infidelem definit, esse eum, qui voluntate falso adhæret. Ostendit etiam omnis scientiæ principium, non esse demonstrationem, sed fidem, ex fide sequi pœnitentiam; pœnitentiam autem esse duplicem, primam pro illis, qui in ignorantia Paganismi vixerint, secundam pro illis, qui cum Fideles essent, lapsi fuerint; hanc pœnitentiam secundam debere esse unicam, & sine relapsu, frequentes enim relapsus in peccatum, & reditus ad pœnitentiam ab infidelitate in nullo differre, nisi quod propter veritatis cognitionem gravius peccetur; esse novi peccati quasi præludium, & falsam pœnitentiæ speciem.

Sæculum II. A. C. 194.

p. 366.
p. 369.
p. 385.

§. XXXIX.

Doctrina de Matrimonio.

Postea de matrimonio agens, diversas Philosophorum sententias enumerat. Democritum, & Epicurum matrimonium damnasse, quod esset molestiarum, sollicitudinis, & dolorum fons perennis. A Stoicis fuisse nuptias rebus indifferentibus accensas; Peripateticos quidem inter vitæ humanæ bona numerasse; qualemcunque vero Doctrinam de nuptiis verbis jactassent, vita & moribus fuisse

p. 421.

Sæculum II. A. C. 194.

dissolutos, & concubinas, vel etiam quid deterius sustentasse. Tum ex ratione nuptiarum præstantiam probat; in hunc finem nempe a natura ordinatam sexus diversitatem, hoc clarum fuisse Dei mandatum; crescite, & multiplicamini. Excellentem esse hominis perfectionem, posse sibi similem generare, quem post se relinquat; frustra hominem in morbo, vel senectute ab aliis subsidium, & affectum sperare, qui conjugalem, vel filialem exæquet. Tandem hujus societatis sanctitatem dilaudat.

In libro tertio eandem prosequitur materiam, refellendo hæreticos, qui nuptias oppugnabant, & admittebant ex-
p. 428. cessus oppositos; Nicolaitæ, Discipuli Carpocratis & filii ejus Epiphanii non solum aliarum rerum, sed etiam mulierum communionem volebant inducere.
p. 431. Econtra Marcionitæ, quia materiam sua natura malam putabant, a nuptiis abhorrebant, ne mundum a Creatore conditum propagarent; itaque continentiam servabant, non electione virtutis, sed odio Creatoris, cum tamen de iis, quæ creaverat, manducare non omitterent, &
p. 460. aerem, quem fecerat, haurirent. Tatianus etiam nuptias damnabat, quod ab orationis studio avocarent, & duobus Dominis servire cogerent. Julianus Cassianus Valentini Discipulus in eodem e-

rat

rat errore, & ne vel unicam generationem tanquam bonam admittere compelleretur, JEsu Christi corpus non verum, & reale, sed tantum apparens fuisse, ausus est dicere. Primi generis hæretici dicebant; quod liberet, licere, & indifferenter libertate ab Evangelio concessa utendum; huic pessimo inter ipsos axiomati opponebatur; etiam exercitium virtutis debere esse liberum, eamque viam haud dubie esse securiorem; ulterius; vel hanc libertatem certis voluptatum limitibus includi, jamque tunc non esse illam libertatem perfectam, quam ipsi tantum crepitarent, aut si nullis limitibus restringeretur, nullam esse impudicitiam, abominationem nullam, quam non liceret explere; atqui talis hominis statum non posse esse beatum, cum pravi affectus, quos reprimere oporteret, foveantur, & cupiditas voluptatis sit desiderium perturbatione animi, & doloribus mixtum.

Sæculum II. A. C. 194.

p. 465.

p. 469.

Alterius generis hæretici in altero extremo laborabant, & ab hominibus continentiam requirebant Angelicam, dicentes, omnem sexuum unionem crimen esse, & propriam originem damnantes. Stolida jactantia Dominum se imitari dicebant, cum magis debuissent perpendere, Christo fuisse Sponsam suam Ecclesiam, nec ipsum esse hominem vulgarem,

p. 646.

Sæculum II. A. C. 194.

qui matrimonii solatio indiguisset, aut posteritatem concupiisset, immortalem, & Unigenitum Dei Filium. Clemens in his hæreticis S. Pauli vaticinium adimpletum putat, noviſſimis temporibus venturos, qui nuptias prohiberent; tum exemplum Apostolorum S. Petri, & S. Philippi adducit, qui in matrimonio prolem genuerunt. Ait; Paganorum continentiam in eo solum consistere, quod mala desideria in opere externo non compleant, de internis nihil solliciti; perfectam vero Christianorum continentiam, & castitatem, etiam concupiscentiam internam excludere; quod donum quidem non nisi Dei gratia acquiri posset. Etiam mentionem facit de perfecta castitate illorum, qui se ipsos castraverunt propter Regnum Cælorum, at, ut confundat hæreticos, imprimis in materia de nuptiis diffunditur.

1. *Timoth.* 4. p. 462. p. 448. p. 450. p. 459.

§. XL.

De Martyrio.

In libro quarto de Martyrio agit, & primo ostendit, quid sit mori, & quomodo mors sit contemnenda; verum Martyrem non dare vitam suam ex metu pœnarum æternarum, aut spe præmiorum, sed ex charitate perfecta, credentem magnum beneficium ab illis sibi conferri,

p. 479.

ferri, qui hujus vitæ miseria liberarent. Tum duo hæreticorum genera oppugnat, unum dicentium, verum Martyrium nihil aliud esse, quam veri Dei cognitionem, eumque qui in confessione sanguinem, & vitam daret, fieri sui ipsius Parricidam. Alios refellit, qui ex principiis contrariis in odium Creatoris sponte sua in mortem ruerent; exempla multorum Paganorum refert, qui mortem, & tormenta constanter tulissent. Deinde subdit; totam Ecclesiam utriusque sexus hominibus abundare, qui tota sua vita ferventer pro Christo mori, & incruentum Martyrium pati desiderent, quippe inquit: juxta Christianorum dogmata philosophari licet etiam illiteratis, sive Græco, sive Barbaro, sive mancipio, sive seni, sive puero, sive fœminæ; virtutes enim aut operari, aut discere omnes decet, & in omni ætate.

Sæculum II. A. C. 194.

p. 481.

p. 496.

p. 497.

Pagani Christianis objiciebant: *Si Deo cura est de vobis, quare permittit, persecutionibus premi, & multiplici morte tolli?* Ad hoc Clemens: *Non credimus Deum persecutiones velle, prævidit autem, & prædixit nobis, ut in persecutione roboraret. Nec soli sumus, qui ultimis suppliciis afficimur; atqui alii, dicet Gentilis: propter crimina condemnantur; ergo respondeo ego; innocentiam agnoscitis nostram, nosque contra*

p. 501.

p. 504.

Sæculum II. A. C. 194.

Leges justitiæ puniri; at Judicis iniquitas Dei Providentiæ nocere non potest; Judex quidem suæ actionis arbiter libere agit, nec est instrumentum inanimatum, quod quasi funiculis a causa exteriori trahitur, & movetur; Judices vestri a Deo probantur in virtute justitiæ, sicut nos in virtute patientiæ; a Deo autem judicabuntur, quod nos condemnaverint in causa, quam non cognoscebant, nec cognoscere volebant, vanis præjudiciis, & solius Christiani nominis umbra decepti. Attamen dicetis: Quare non oppitulatur vobis Deus vester? Respondeo, majus nobis beneficium præstari, si morte violenta solvamur, ut ad Dominum ire possimus, & miseram hanc vitam in meliorem mutare, sicut aliquis in senectute decrepita cum juvene robusto ætatem permutare cuperet; si sapiamus, gratias agemus iis, qui omnia ad promptum discessum disponunt; si aliis lux veritatis oriretur, turmatim in eandem viam se dederent. Refert etiam illud Socratis: *Accusatores mei vitam tollere possunt, at nocere non possunt.* Errorem Basilidis refellit, qui, ut divinam Providentiam salvaret, dicebat, omnes Christianos tormenta, & ipsam mortem tolerantes propter peccata sua pati, saltem in præcedenti vita commissa; sic enim Clemens statuit, Persecutiones in Christianos nec ex voluntate

Stromata.

Socr. Apol. p. 30.

p. 507.

tate Dei, nec sine ea contingere, sed ex sapientissima ejus permissione. Sæculum II. A. C. 194.

Jam agit de amore, & dilectione inimicorum, & distinctione peccati ab homine peccante, clare dicens, inimicitiam, & peccatum, si a peccante, & inimico abstrahantur, nihil esse. In Materia de Charitate citat Epistolam S. Clementis ad Corinthios, eumque nominat Apostolum. Dum illam Servatoris sententiam explicat: qui aspicit mulierem, ut concupiscat eam, jam commisit adulterium in corde suo, subdit; peccatum non solum consistere in actione illicita, sed in delectatione, quæ ex conspectu pulchritudinis nascitur, si hæc delectatio secundum carnem sit; qui vero in puritate charitatis aspiceret, non carnis, sed animæ pulchritudinem considerare, nec corporis aliam habere rationem, quam statuæ, cujus elegantia ad opificis memoriam, & essentialem ejus pulchritudinem deduceret. Fæminas ait, non minus esse perfectionis capaces, quam viros; & fuse de earum officiis agit, præprimis si habeant maritos infideles. Docet etiam, nihil adeo nostrum esse, & dici debere, ac virtutem, quam nemo nobis aufferre queat; esse enim donum Dei, a nemine alio dependens. Hic clare liberi arbitrii, & gratiæ concordiam denotat.

p. 508.

p. 511.

p. 516.

Matth. 5. 28.

p. 520.

p. 521.

p. 523.

Sæculum II. A. C. 194.

Ut veri, & perfecti Christiani, quem Gnosticum appellat, effigiem adumbret, dicit; si per impossibile Dei cognitio a
p. 529. salute æterna separari posset, perfectum Christianum, omissa salutis cura, Dei cognitionem præeligere non dubitaturum;
p. 522. si vero Deus, mandata sua transgredienti, impunitatem promitteret, aut peccanti beatorum præmia; aut ipse crimina sua Dei oculos, & scientiam latere crederet, nihilominus talem Christianum eo modo victurum, quem semel elegisset, nihilque facturum, quam quod rationi conforme, & sua natura bonum exi-
p. 531. stimaret; ait etiam; qui juste agerent metu pœnæ, aut ne hominum odium incurrant, aut ad declinandum aliud periculum ex perpetrato crimine timendum, non esse sua voluntate bonos, nec eos, qui tantum præmiorum spe a cri-
p. 536. mine abstinerent, quamvis ab ipso Deo conferendorum; tales potius videri justos, quam esse. (*) Ait præterea tribus ex causis a Deo puniri hominem, primo ut castigatum meliorem reddat; ut aliis exemplo sit, & ne peccans despici videatur, & graviori malo reservari.

In

(*) Inter alios errores, qui Clementi Alexandrino imputantur, & iste est, quod videatur docere, timorem esse inutilem ad salutem. At forte posset excusari, si dicatur, ipsum loqui de timore serviliter servili.

In libro quinto Stromatum in eo totus est, ut ostendat, Græcos omnem suam sapientiam, & methodum eam docendi a Barbaris, nominatim vero ab Hebræis accepisse. De Symbolorum, & ænigmatum usu differit, & antiquitate, quæ ideo dicit fuisse inventa; ut propositionis simplicitate, & brevitate juvaretur memoria, ut eorum solummodo fidelitati Philosophiæ, & Theologiæ arcana communicarentur, quorum mores diu fuissent probati, ut, qui discere cuperent, magistro indigerent, qui sciendi desiderium acueret, & a periculo errandi præservaret, tandem, ut vel accessus difficultate major veritati Reverentia conciliaretur. Sæculum II. A. C. 194. p. 555. p. 574.

De Deo loquitur in hunc modum: *Magna de Deo dicendi difficultas ex eo provenit, quod sit primum rerum omnium principium; atqui cujuslibet rei principium difficulter invenitur. Quomodo autem tibi definiam illum, qui nec genus, nec differentia, nec species, nec individuum, nec numerus, nec accidens est, nec subjectum? nec Deus apte potest dici totum, nam totum involvit ordinem, & magnitudinem, omne autem totum a Deo Parente est; sed nec partibus constare dici potest, quia unitas indivisibilis est; est igitur infinitus, non ideo, quia nihil majus cogitari potest, sed quia sine dimensione est, & sine termino. Est etiam sine figura, &*

Sæculum II. A. C. 194.

sine Nomine, nam quæ Nomina ipsi imponimus, impropria sunt, sive unum, aut Bonum, aut Spiritum, aut Ens, aut Patrem, aut Deum, aut Creatorem, aut Dominum nominemus; nulla ex his vocibus Deo propria est, sed propter nostram impotentiam speciosis his Nominibus utimur, ut mentis nostræ de Divinitate conceptum figamus, ne ad aliena exerret. Res duobus modis cognoscibiles fiunt, vel per id, quod in seipsis sunt, vel per similitudinem, aut relationem, quam ad res alias habent; at nihil horum convenit Deo. Tandem nec Deus alicujus scientiæ demonstratione comprehendi potest, quippe demonstratio fundatur in eo, quod est prius, & magis notum; quid vero Deum, qui æternus est, potuit præcedere? nulla ergo alia Deum incomprehensibilem cognoscendi nobis superest via, nisi per Verbum ejus, & Gratiam.

§. XLI.

Idea veri Gnostici.

p. 616. *p.* 648.

In Libro sexto Clemens Alexandrinus sui Gnostici, & virtutis Christianæ Ideam incipit exhibere, cujus non nisi prima elementa in suo Pædagogo contineri dicit. Verum Gnosticum inquit; quales fuissent Jacobus, Petrus, Joannes, Paulus, & alii Apostoli, omnia scire, & omnia comprehendere cognitione certa; hanc

Sæculum II. A. C. 191.

hanc ſcientiam ſeu Gnoſin, unde nomen ſortitur, omnium conſiliorum, & actionum ejus eſſe principium, & etiam ad notitiam rerum aliis hominibus incomprehenſibilium extendi, eo quod ſit Discipulus Verbi, cui nihil incomprehenſibile ſit. Fidem, eſſe ſummariam cognitionem veritatis, homini maxime neceſſariæ; ſcientiam, eſſe demonſtrationem firmam eorum, quæ per fidem didicerimus; per Philoſophiam viam ſterni ad fidem, in qua ſcientia fundetur. *Lib. 7. p. 732. p. 710.*

Tum in hunc modum pergit: *Vere Gnoſticus non amplius paſſionibus obnoxius eſt, niſi tantum conſervando corpori neceſſariis, quales ſunt fames, & ſitis; in illas vero, quæ poſſunt animum perturbare, dominium obtinuit; immo nec illas patitur, quæ ex ſe bonæ videntur, quales ſunt audacia, æmulatio, gaudium, deſiderium. Anima ejus ſolide quieſcit, ab omni mutatione libera. Non opus eſt ei audacia, cum nihil triſte in hac vita accidere poſſit, aut ab amore Dei ſeparare. Non opus eſt ei tranquillitatem animi revocare, cum nunquam turbetur, ſciens, omnia Dei Providentia regi. Non iraſcitur, & non commovetur, quia totus ad Deum converſus, ejus ſolius amore occupatur, nec aliquam Creaturarum ejus odiſſe poteſt. Nemini invidet, quia nihil ipſi deeſt. Neminem amat amicitia vulgari,*

ſed

Sæculum II. A. C. 194.

sed per creaturas ad amorem Creatoris ascendit. Nullius rei desiderio vexatur, nam satiata est anima ejus, & per charitatem Dilecto suo conjuncta; hujus Charitatis exercitium non consistit in motu violento, sed est arctissima unio animæ cum Bono suo, quod omni tempore, & loco amplectitur; anima ejus jam illuc per charitatem pervenit, quo tendere oportebat, & nihil cupit ulterius, quia ultimo fine suo potitur, quantum hujus status admittit conditio.

p. 652.

Gnosticum a suis passionibus liberatum melius, quam iis coercendis intentum dixeris. Contemplationis deliciis jugiter fruitur, nec fruendo exsatiatur, hinc levibus hujus sæculi oblectamentis non afficitur; non est, cur ad terræ bona respiciat, cum lucem inaccessibilem intueatur; jam per Charitatem cum Domino habitat, quamvis corpore adhuc in terra commorari videatur. Non hac se vita liberat, quia illicitum est, sed animam suam a terrenis affectibus liberam servat. Permittit sine voluptatis sensu, ut corpus suum rebus utatur necessariis, ne propriæ causa necis sit;

p. 654.

talis ergo contemnere assuescet, quidquid corpus affligere potest; omnis voluptatis diu noctuque inimicus inflexibilis. Vita ejus frugalis reddet temperantem, compositum, gravem. Paucis erit contentus, nec his paucis cor suum affiget, aut ultra necessi-

Sæculum II. A. C. 194.

necessitatem utetur; tempus, quod nutriendo corpori dare cogetur, perditum reputabit.

Clemens ulterius designat, quid scientiæ humanæ Gnostico suo prodesse possint; *erunt nempe recreatio, cum a magis seriis remittere voluerit, quasi sub finem mensæ bellaria.* Ait; infirmorum esse, Philosophiam Ethnicorum timere; fidem ejus, quæ illorum argutiis labefactari possit, valde tenuem esse; veritatem vinci non posse, at falsitatem, & mendacium cum tempore evanescere. Usum Musicæ ordinat ad bonos mores, *super mensam*, inquit: *cantamus, & alter alteri propinamus; sic cupiditates nostras quasi fascino eludimus, & Deum pro cibis animæ, & corporis, totque beneficiis abundanter collatis laudamus. Gnosticus minimi facit, diu vivere, maximi autem bene vivere. Postquam liberos genuerit, uxorem pro sorore colet; soror enim ejus erit, quando mortalia corpora exuerint. Omni hora corde ad Deum orat; & primo quidem pro remissione suorum peccatorum, & deinde pro gratia non amplius peccandi; ut bonis actibus, & puro corde ad videndum Deum facie ad faciem per Filium ejus pervenire valeat.* Ait etiam, verum Sacerdotem, & verum Diaconum non ideo esse justum, quia Sacerdos est, sed ideo in Sacerdotem fuisse assumptum, quia justus

p. 695.

p. 655.

p. 659.

p. 664.

p. 665.

p. 667.

Sæculum II. A. C. 194.

justus vel fuisset, vel talis crederetur. Diversos in Ecclesia ordines Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum diversos Angelorum in cœlesti Gloria Choros referre.

p. 697.

Tum pergit: *Philosophia solis Græcis placuit, nec tamen omnibus. Philosophorum singuli paucos numeravere Discipulos. Magistri nostri Doctrina non Judææ finibus contineri potuit, sed in omnem terram dilatata, & Græcis, & Barbaris, nationibus, urbibus, & oppidis digna fide visa est; cum amicam veritatis vim nec integræ familiæ, nec homines privati, nec Philosophorum multi possent repellere. Ethnicorum Philosophorum Doctrina vel exiguæ urbis Magistratu persequente dissipatur; in Doctrinam vero nostram Christianam arma sumpserunt Imperatores, Reges, Provinciarum Rectores, eorumque vicarii; innumerabilis hominum multitudo Christianam Religionem persequitur, eamque exterminare tota virium contentione adnititur; quid inde exspectes, nisi universale Christianorum excidium? ita quidem, si rem humana prudentia metiaris; at ecce! his nihil obstantibus, Christiana Religio viget, floret, & dilatatur.*

Clementis Alexandrini. Stromata.

In Libro septimo Clemens probat, Gnosticum solum esse vere pium; ut Atheismi calumniam refelleret, ex qua potissimum Gentiles ansam Christianos perse-

Sæculum II. A. C. 194.

perſequendi arripiebant. *Gratiſſimum*, inquit: *Deo ſervitium exhibet, dum Gnoſticus curam animæ ſuæ gerit, & Deo jugiter per Charitatem adhæret. Homines* p. 700. *duplici beneficiorum genere demereri poſſumus, uno, dum eos perficere, & meliores reddere ſtudemus, altero, dum eis in quacunque neceſſitate ſubvenimus; in Eccleſia Sacerdotes primo modo Charitati in proximum ſatisfaciunt, & Diaconi modo altero; ita Gnoſticus, dum hominibus prodeſt, Deo ſervit, namque potiſſima ejus cura eſt hominem a Deo aberrantem reducere. Nihil melius ſuper terra, homine Deum amante, nec in Cælo quid melius Angelo beato; optima vero, perfectiſſima,* p. 702. *ſanctiſſima, potentiſſima, auguſtiſſima, clementiſſima eſt natura Filii, quæ ſoli Omnipotenti proxima eſt.*

Ex his verbis Clemens naturam Filii Dei a natura Patris diſtinguere videretur, niſi alibi diceret: *Noſter Pædagogus* 1. *Pæd. c.* 7. *eſt Deus JEſus, Verbum, totius naturæ humanæ Dux, & Princeps, Deus amator hominum.* Et iterum: *Deus nihil odio habet, nec Verbum, ambo enim unum ſunt, id eſt, Deus.* Et rurſus: *Deus univerſi ſolus eſt bonus, juſtus, Creator, Filius in Patre.* Item in fine Pædagogi: *Laude-* c. 8. p. 113. *mus, & gratias agamus ſoli Patri, & Fi-* p. 119. *lio; Filio, & Patri Pædagogo noſtro, & Filio Magiſtro noſtro cum S. Spiritu.*

Omnia

Sæculum II. A. C. 194.

Omnia uni, in quo sunt omnia; per quem omnia unum sunt. Et in libro quinto Stromatum explicans extum Platonis, ait: *Non possum eum aliter intelligere,* p. 198. *quam de Sancta Trinitate. Nam tertius est Spiritus Sanctus, & Filius est secundus.*

p. 706. *Actio Gnostici perfecti est, conversari cum Deo per Summum Pontificem, cujus similitudinem exprimere, quantum potest, conatur, Deo in omnibus serviens. Grata Deo Sacrificia sunt virtutes; scientia humilitati conjuncta, subjicere intellectum, amorem proprium enecare, veterem hominem occidere, id est, peccatum, & concu-*
p. 707. *piscentiam ejus. Deus nec voluptate sensibili, nec aliquo commodo moveri potest, unde sequitur, nec Sacrificiis indigere, nec oblationibus, ad templorum ornatum servientibus, nec ulla gloria externa. Non Sacrificiorum sumptus, sed mentis affectum requirit.* Etenim tota Gentilium Religio in hoc cultu exteriori ab-
p. 719. solvebatur. Ulterius juxta Clementem,
p. 708. nihil magis Deo simile est, quam anima justi, formata secundum exemplar Legis æternæ Verbi, quod est prima Dei Imago, ita ut homo ordine tertius sit. Hoc ideo dicitur, ut Idolis vera Dei imago opponatur. Gnosticus Deum honorat non certis locis alligatus, nec certis Diebus festis, sed tota vita sua, & in omni loco, ubi

ubi suæ Religionis homines invenit, aut etiam solus, cum Deum ubique præsentem credat. Tota vita ejus unum est festum, Deum laudat terram arando, navigando, in omni operatione, & situ. Nihilo minus jam tunc quædam horæ erant orationi destinatæ, videlicet tertia, sexta, & nona. Mos erat, ut orantes vultum ad Orientem verterent, oculis, & manibus in Cœlum erectis; etiam ad orationis conclusionem respondentes, pedes levabant. At Gnosticus semper oratione mentali exercebatur. Sæculum II. A. C. 194. p. 728. p. 719. p. 722. p. 724.

His S. Clemens subjungit: *Gnosticus omnibus hominibus, quantum in ejus potestate positum est, benefacit. Si regendis aliis a Deo constitutus est, sicut Moyses, sibi Subditos amore salutis eorum gubernat.* p. 709. *Omnibus magni animi dotibus, fortitudine, constantia, liberalitate, magnificentia excellit, hinc est, quod nec vulgi querelis, nec ejusdem favore, aut adulatione flectatur. Est animo tranquillo, prudens, moderatus, temperans, dives, quia nihil est, quod desideret, & paucis contentus est, justus, beneficus, fidelis. Continuum orandi, resque Spirituales meditandi studium, facit lenem, affabilem, patientem, eundemque sibi ipsi severum, omnibus illiciis superiorem, nec voluptate, nec dolore vincendum. Temperantiæ ejus causa non est*

Sæculum II. A. C. 194.

vanæ gloriæ desiderium, sicut in Athletis, nec avaritia, nec vitæ, & sanitatis amor, nec rusticitas, & voluptatis ignorantia, sed rei cognitio, & solida Charitas. Si ratio exigat, ut inter alios judicet, erit Judex inflexibilis, nulli humano cedens affectui, nec a Justitiæ tramite latum unguem declinabit.

p. 726. p. 728. *Sicut homo vulgaris petit a Deo sanitatem, ita Gnosticus perseverantiam in virtute postulat; offert orationes, & laudes; ante comestionem sacram Scripturam legit, sub mensa psalmos, & hymnos cantat, & iterum, antequam cubitum concedat. Orat etiam de nocte. Oratio ejus vocalis in multitudine verborum non consistit, orat in omni loco in secreto animæ suæ, in ambulatione, in conversatione, in*

p. 747. *quiete, sub lectione, in labore. Deum laudat sine interruptione, non solum mane dum surgit, & in meridie, sed etiam ambulans, dormiens, & vestes induens. Ad imitationem Seraphinorum Isaiæ semper dat Gloriam Deo. Non jurat, nam verba ejus majorem fidem merentur, quam*

p. 729. p. 741. *aliorum juramenta. Dignitas Gnostici multo magis crescit, si alios regere ipsi ex officio incumbat, iisque bonorum omnium maximum, quod in unione cum Deo consistit, procurare; Hujusmodi hominis tanta est perfectio, ut ad exemplum Apostolorum*

in

in societate civili, vel etiam in Matrimonio vivens, solitario melior sit, qui sui tantum ipsius curam habens, procul ab insidiis, & periculis positus est, dum alter ex necessaria sollicitudine pro uxore, prole, domesticis, bonis temporalibus mille tentationibus patet, quibus virtus ejus probatur, absque ullo solidæ Charitatis, qua Deo conjungitur, dispendio.

Sæculum II. A. C. 194.

§. XLII.

Idea Hæretici.

Tum Clemens objectionem diluit, quam tam Pagani, quam Judæi obtendebant Christianis, videlicet opinionum, & hæresum multitudinem, aitque hæreses nemini, fidem suscepturo, impedimento esse debere, cum etiam inter Judæos, & Græcorum Philosophos plurimas sectas invenire sit; immo ipsam errantium diversitatem stimulo esse oportere, quo veritas majori cura, & conatu indagetur, atque ex tot errorum tenebris eruatur. Infallibiles dari regulas, ex quibus omnes illi damnandi sint, quos vel socordia, vel perversum præjudicium iisdem regulis uti prohibet. Exactam Doctrinam non nisi in sola, vera, & antiqua Ecclesia conformi sacris Scripturis posse inveniri. Hæreticos in Traditiones

p. 753.

p. 755.

p. 757.

Sæculum II. A. C. 194.

nes Ecclesiæ insurrexisse, ut opiniones humanas sequerentur; eos quidem sacris uti Scripturis, at integros libros rescindere, & alios detruncare; eosdem hinc inde textus excerpere, quorum cortici, id est, verbis inhærentes, sensum non intelligerent; sæpe convictos, prohibente pudore, propriam sententiam fateri non audere. Ad omne facinus esse paratos potius, quam primis sedibus, quas in Ecclesiis, & conviviis suis occuparent, cedere. Stolide fingere, se antiquis callidiores, felices econtra fuisse futuros, si acceptas ab antiquis Traditiones servassent.

p. 762.

p. 764.

Tum hunc in modum prosequitur; *Nihil*, inquit: *facilius probari potest, quam illorum humanæ institutionis conventus, Ecclesia Catholica esse recentiores; Dominus venit sub Augusto, circa medios Tiberii Imperantis annos prædicavit; Apostolorum Domini Prædicatio, si Pauli Ministerium includas, sub Nerone desiit. At hæresum Auctores posterius venerunt circa Imperatoris Hadriani tempora, & usque ad Antoninum seniorem durarunt, sicut Basilides, quamvis se Discipulum Glauciæ Petri interpretis jactet; ajunt quoque Valentinum Discipulum fuisse Theodati, Paulo non ignoti. Eadem tempora Marcionem tulere. Hæc cum ita sint, has hæ-*

ses

Sæculum II. A. C. 194.

ſes, & his poſteriores ex Eccleſia vera, & antiquiſſima fuiſſe egreſſas, perſpicuum fit, eodemque argumento conficitur, nova eſſe, & falſa, quæ afferunt; unica vera, & antiqua eſt Eccleſia, quæ prædeſtinatorum nomina conſcripta continet; Nam ſicut unus eſt Deus, & Dominus, ita una eſt Eccleſia, quam in partes ſcindere hæretici omni conatu nituntur. (*) Baſilides multum ex hoc inflabatur, quod ſe Discipulum S. Matthiæ diceret, cui reſpondet Clemens, unicam fuiſſe, & conformem Apoſtolorum Traditionem, ſicut & unam Doctrinam. Tum ſui temporis hæreſes enumerat, videlicet Valentiniani, Marcionis, Baſilidis, Peraticorum, Phrygum, Encratitarum, Docitarum, Aimatitarum, Cajaniſtarum, Ophianianorum, Eutichiſtarum, qui erant de corpore Simonianorum. Eorum opinionem Clemens rejicit, qui dicebant, S. Virginem aliarum mulierum more peperiſſe. Liber octavus Stromatum præcepta Dialecticæ,

p. 765.

p. 756.

(*) Clemens hic quidem propriam hæreticorum omnium temporum Ideam dat, ſicut enim ſummum bonum eſt unio, & charitas, ita nullum majus malum, quam ſchisma; ſed in eo ſuſpectus fit, quod dicat, Eccleſiam Prædeſtinatorum nomina continere, & alios excludere videatur.

Sæculum II. A. C. 194.

ticæ, & Metaphysicæ continet, quibus contra Pyrrhonianos probat, dari cognitiones certas, easque acquirendi media, & principia tradit. Hæc notari digna visa sunt in iis, quæ de S. Clemente Alexandrino exstant, operibus.

Vales. in Eus. V. hist. c. 1.

Ex Script. electa. n. 27.

Aliqua nobis fragmenta hypotyposium sub titulo: Doctrina orientalis Theodoti; qui unus ex illis, quos Clemens Magistros, & Doctores auscultavit, fuisse creditur, supersunt, ubi hæc verba memorabilia leguntur: *Veteres Presbyteri nihil scribebant, ne scribendi studio a cura docendi abstraherentur, & scribendo tererent tempus, quod iis præparandis, quæ dicturi erant, debebatur. Forte etiam idem ingenium & scribendi simul, & instruendi officio non sufficere credebant; verba enim facile fluunt, & audientis animum cito capiunt, scripta autem lectoris arbitrio permittuntur, omnes apices gravi supercilio judicantis. Scriptura est Doctrinæ certæ quasi conservatrix, dum Traditiones Seniorum ad posteros Ministerio Scriptorum perveniunt; sicut autem ferrum ex pluribus materiis solum Magnetem attrahit, ita libri ex pluribus lectoribus tantum illos, qui sensum intelligere valent, delectant; at Gnosticus sine invidia communicat scientiam suam non solum dignis, sed ne forte eorum,*

Sæculum II. A.C. 194.

rum, qui digni ſunt, aliquis per ignorantiam prætereatur, etiam illis, qui digni non ſunt; aliquando etiam ob fervorem charitatis communicabit indigno, ſi inſtanter roget, non quidem quia ita rogari amat, nam non quærit gloriam ſuam, ſed propter rogantis perſeverantiam, quæ eſt aliqua ad fidem diſpoſitio.

§. XLIII.

Quæſtio de Paſchate. Concilia.

Anno quarto Severi, JEſu Chriſti centeſimo nonageſimo ſexto quæſtio de Paſchate ſervide mota fuit. Eccleſiæ Aſianæ, antiquæ Traditioni inhærentes, Paſcha eadem die celebrari volebant, qua Judæis agnum immolare fuerat præſcriptum, id eſt, decima quarta Lunæ, in quamcunque hebdomadæ diem incidiſſet; aliæ Eccleſiæ, per orbem diffuſæ, conſuetudinem, a Traditione Apoſtolica acceptam ſervabant, & jejunare ceſſantes, Paſcha illa die celebrabant, qua Salvator reſurrexit, id eſt, Die Dominica, & nunquam alia. Hac de cauſa multa Concilia habita; unum Cæſareæ in Palæſtina, in quo Theophilus illius Eccleſiæ Epiſcopus, & Narciſſus Epiſcopus Jeroſolymitanus præſidebant; Caſſius Tyri, & Carus Ptolomaide Epiſcopi cum

Euſeb. in Chron. lat. an. 197.

An. 196. *Euſ. V. hiſt. 23.*

Sæculum II. A. C. 196.

pluribus aliis præsentes fuere non solum ex Palæstina, sed etiam aliis Regionibus. Ibi statutum, Pascha die Dominica celebrandum esse, dataque Epistola Synodalis, cujus clausula hæc erat: *Libenter Epistolæ nostræ exempla ad omnes Ecclesias transmittemus, ne & nobis culpa illorum, qui temere errori implicantur, imputari possit. Omnes etiam scire cupimus, Ecclesiam Alexandrinam eadem, qua nos, die festum celebrare; hac de re ipsi ad nos, & nos ad ipsos scribimus.*

Euſ. V. hiſt. c. 23.

Victor Papa hac ex causa Concilium Romam convocavit. Aliud Concilium Episcoporum Ponti habitum est, ubi Palmas Episcopus Amastriacus senio, & auctoritate præcipuus præfuit. Aliud Concilium Ecclesiarum Galliæ habitum, cui S. Irenæus præsedit. Aliud Bachillei Episcopi Corinthi. Aliud Ecclesiarum Osroenes, & viciniæ, præter multa alia, in quibus communi concordia Pascha Die Dominica celebrare decretum est.

§. XLIV.

Epistola Polycratis.

Euſ. V. hiſt. c. 24.

Nemo alius majori zelo celebrandi Pascha die decima quarta effervescere visus, Polycrate Episcopo Ephesino; is, ad preces Papæ congregatis Asiæ Episco-

Episcopis, deinde in Epistola ad Papam, & Ecclesiam Romanam data, Concilii sui sententiam in hunc modum scripsit: *Diem Paschatis inviolate nihil addendo, nihil diminuendo celebramus; in Asia enim obdormierunt in Domino magna illa Ecclesiæ lumina, quæ in Die glorioſi Adventus ejus resurgent; videlicet Philippus ex duodecim Apostolis, qui mortuus est Hierapoli, & duæ filiæ ejus, quæ in extremam usque senectutem Virginitatem servarunt, & alia filia ejus, quæ dono S. Spiritus clara post vitam sancte transactam Ephesi e vivis decessit; His addendus est Joannes, qui supra pectus Domini recubuit, aurea insignis lamina, Pontifex, Martyr, & Doctor, & tandem Ephesi quievit. Item Polycarpus Episcopus, & Martyr Smirnæ. Trasseas Episcopus & Martyr Eumeniæ, mortuus Ephesi. Posset etiam adduci Sagaris Episcopus, & Martyr, defunctus Laodicææ, & Beatus Papyrius, & Episcopus Meliton, qui in omnibus Spiritu S. regebatur, & sepultus est Sardis, exspectans a cælo visitari, & resurgere.*

Sæculum II. A. C. 196.

Omnes isti Pascha celebrarunt decima quarta die Lunæ juxta Evangelium, non recedentes, sed regulam fidei sequentes; & ego Polycrates, vestrum omnium mini-

Sæculum II. A. C. 196.

mus, ſervo Propinquorum meorum Traditionem, quorum aliqui Magiſtri mei fuere. Septem Epiſcopos ex propinquis meis habui, & ego ſum octavus; omnes ſemper diem Paſchatis celebrarunt in illo tempore, quo Judæi fermentum purgabant; ego igitur, qui ſexaginta quinque annis in Domino vixi, cum omnibus totius mundi fratribus communicavi, totam S. Scripturam legi, propter ea, quæ nobis ad terrorem opponuntur, non turbor; nam viri, majores me, dixerunt: Oportet Deo magis obedire, quam hominibus. His Polycrates ſubjungit: *Nomina Epiſcoporum præſentium, quos ad preces tuas convocavi, hic poſſem apponere, quod ſi facerem, magnam eorum cerneres multitudinem, quibus, quamquam mea tenuitas cognita ſit, nihilo minus hanc Epiſtolam comprobarunt, ſcientes, me non in vanum gerere canos meos, ſed ſemper ſecundum JEſum Chriſtum ambulaſſe.* Hactenus Polycrates.

Act. 5. 29.

Euſ. V. c. 24.

Victor Papa cum ſuæ voluntati minime morem geri videret, totius Aſiæ, & Viciniæ ejus Eccleſias, tanquam privatam, & alienam Doctrinam tenentes, in ſuis Epiſtolis notat, & a Fidelium communio-

munione ſeparatas declarat, aliis quidem Epiſcopis hunc fervorem non probantibus, ſed vehementer hortantibus, ut pacem, & charitatem conſervaret. Multi ad eum dederunt Epiſtolas, quos inter S. Irenæus fratrum nomine, quibus in Galliis præerat, ſcripſit; & defendit, Myſterium quidem Reſurrectionis Salvatoris noſtri, non alia die quam Dominica eſſe celebrandum, ideo autem tantum Eccleſiarum numerum, quod mori ſuo antiquo inhærerent, ab univerſalis Eccleſiæ corpore non eſſe reſcindendum. Inter alia hæc leguntur Irenæi verba: Sæculum II. A. C. 196.

§. XLV.

Epiſtola S. Irenæi.

Hæc controverſia non ſolum ad diem Paſchatis, ſed etiam jejunandi modum ſpectat; aliqui enim uno tantum die ſibi jejunandum credunt, alii duobus, alii pluribus, quidam quadraginta horas diei noctisque jejunando numerant. Valde probabile eſt, S. Irenæum hic ſolummodo de jejunio majoris hebdomadæ loqui, quod inter alia erat rigidiſſimum. Ita ut ſaltem uno die, puta Paraſceve, ab omni alimento abſtinerent. Tum pergit: *Hæc diverſitas non noſtris temporibus exorta, ſed multo ante ſub Prædeceſſoribus*

Sæculum II. A. C. 196.

soribus nostris, qui non satis caute egisse videntur, dum ritus per simplicitatem, & ignorantiam introductos servarunt; at in unitate pacis manserunt, & nos manemus; sic jejuniorum diversitas unitatem fidei confirmat.

S. Irenæus ulterius ad Victorem in hunc modum prosequitur: *Presbyteri, qui ante Soterem Ecclesiam, cui hodie præsides, gubernarunt, nempe Anicetus, Pius, Hyginus, Telesphorus, Sixtus illum morem non servarunt, nec a suis servari permiserunt, si qui autem ad se venissent, ex illis Ecclesiis, ubi servari consueverat, quamvis inter præsentes rituum diversitas magis eluceseret, pacem nihilo minus tenuerunt, & nemo unquam propter hunc morem Ecclesia ejectus legitur; imo Prædecessores tui, moris sui tenaces, tamen fratribus aliarum Ecclesiarum, contrarium morem servantibus Eucharistiam miserunt.* Huc usque S. Irenæus, qui deinde ea, quæ inter S. Polycarpum, & S. Anicetum Papam contigere, enarrat. Hæc Epistola illius Synodi decretalis fuisse creditur, quam S. Irenæus in Galliis hac super materia convocaverat; scripsit etiam de hac quæstione ad plures alios Episcopos, pacem inter Ecclesias servare conatus.

At

At Victori Papæ tanti rigoris causæ aliæ, & suis Prædecessoribus incognitæ esse poterant; quippe Blastus Ecclesiæ Romanæ Presbyter hanc servandi Paschatis diversitatem pro sui schismatis fundamento posuerat; hinc ultra dissimulari, aut tolerari posse non videbatur. (*) Hæc tamen in Asia, & Oriente aliquibus adhuc sæculis duravit discordia. Victor Papa paulo post mortalitatem exuit, anno JEsu Christi centesimo nonagesimo septimo, cui successit Zephirinus. Anno sequenti centesimo octogesimo octavo Imperator Severus, devictis duobus æmulis Nigro, & Albino, Romam venit, ubi filium primogenitum Bassianum, Antonini nomine decoratum, secum Imperatorem proclamat, alterum, nomine Getam, Cæsarem salutat. Hoc anno Imperii ejus sexto factum.

Sæculum II. A. C. 197.

An. 197. Zephirinus Papa.

Spart. seu. c. 12. Herod. l. 3. cap. 9.

§. XLVI.

(*) Ex his Fleurii verbis patet, ipsi nunquam in mentem veniisse, sicut Anonymus II. somniat, ut Summo Pontifici jurisdictionem adimat, etiam plurimas Ecclesias excommunicandi; in eo autem Fleurius excusari non potest, quod ea, quam SS. Pontificibus debet, Reverentia non loquatur, si forte sua opinione aliquis Papa sacrum hoc fulmen absque necessitate intorsit.

Sæculum II.
A. C. 197.

§. XLVI.

Narcissus Jerosolymitanus.

Euſ. l. VI. c. 9.

Narcissus Episcopus Jerosolymitanus virtutibus, & miraculis clarus, cum in vigilia Paschatis oleum, Diaconis lampades Ecclesiæ accensuris, deesset, lamentante populo, eos, quorum curæ luminaria parare demandatum, aquam ex puteo proximo haurire, & sibi afferre jussit; precibus ad Deum fusis, ipso imperante, fide firma, & sincera aqua in lampades infunditur; & ecce mutata est in oleum. Multi Fideles in prodigii memoriam hujus olei quidquam conservarunt; nam Eusebii Cæsarienſis temporibus post centum viginti annos aliqua adhuc, quamvis parva, hujus olei pars supererat.

Contigit, ut tres pessimæ vitæ Christiani, multorum scelerum rei, severitatem, & constantiam Narcissi non ferentes, & in eum conspirantes, tetri criminis per calumniam accusarent, & calumniam perjuriis firmarent. Ajebat primus: si mentiar, flammis consumar. Secundus; morbo contagioso peream. Tertius: lumen solis ultra non conspiciam. Cum Narcissi virtus, & vitæ innocentia omnibus esset perspecta, nemo calumnia-

calumniatoribus fidem habuit; ipse nihilo minus obtrectationis impatiens, praeterea veræ Philosophiæ, vitæque solitariæ jam pridem cupidus, frequentiæ se subduxit, multosque annos ruri in locis occultis, & desertis vixit. Interim calumniatores ejus criminis vindicta presso pede secuta est. Primum, cum parva scintilla per noctem, nemine causam perspiciente, delapsa domum incendisset, flammæ cum omnibus suis consumpsere. Alter tali, cui se devoverat, morbo a planta pedis usque ad verticem infectus contabuit. Tertius punientis Dei judicium reveritus, calumniæ crimen cum duobus complicibus perpetratum palam confitebatur, tanto dolore, & lacrymarum effusione, ut lumen oculorum amiserit. Narcisso igitur ultra non apparente, vicinarum Ecclesiarum Episcopis visum, alium Jerosolymæ constituere Episcopum; elegerunt ergo Dium, qui non diu sedit, habuitque successorem Germanionem, cui similiter viam omnis carnis ingresso successit Gordius.

Sæculum II. A. C. 197.

Euſ. VII. 10

§. XLVII.

Tertullianus. Tractatus ejus de Baptismo.

Ea tempestate Carthagine Quintus Septimius

Sæculum II. A. C. 197.

ptimius Florens Tertullianus, hoc ultimo nomine notissimus, Doctrinæ, & facundiæ laude florebat; natus erat Carthagine, Patre copiarum Proconsularium Centurione. Omnibus scientiis operam dedit cum plausu, omnesque coævos latinæ eloquentiæ fama superabat. Initio fuit Ethnicus, at postea conversus, multa opera scripsit Ecclesiæ utilia, qualia sunt de pœnitentia, baptismo, & oratione. Juvenis, ut animum exhilararet, scripsit Tractatum de molestiis Matrimonii; attamen uxorem duxit, quod ex duobus libris uxori suæ nuncupatis apparet.

Hier. de Script.

Hier. cont. Jovin. c. 7.

Libro scribendo de Baptismo occasionem dedit fæmina nomine Quintilla, Cainitarum hæresi imbuta; Cainitæ ex Valentinianis pullularant, negabant necessitatem Baptismi, & ejus simplicitatem contemnebant. Hinc Tertullianus aquæ encomia profert; quod in prima rerum Genesi Spiritus S. ferretur super aquas. Ait, nihil differre, an quis in mari, stagno, fluvio, fonte, piscina, vel pelvi baptizetur; nec inter eos fuisse differentiam, qui a S. Joanne Baptista in Jordane, aut a S. Petro in Tiberi fuissent baptizati. Angelum sanctum Baptismo præsidere, nobisque ex aqua egredien-

sup. l. 3.

c. 3.

c. 4.

gredientibus unctionem dari, unde Christiani diceremur; tum nobis imponi manum cum benedictione, & invocatione Spiritus S. ubi Sacramentum Confirmationis denotat. Ait, ante descensum Spiritus S. Apostolos tantum baptizasse Baptismo S. Joannis, ut ad Gratiam præpararent; verum omnes Apostolos fuisse baptizatos affirmat, quamvis Scriptura non nisi de S. Paulo id exprimat. Sæculum II. A. C. 197. c. 5. c. 7. c. 8.

Necessitatem Baptismi in novo Testamento probat ex JEsu Christi præcepto: Ite, & baptizate; & ex comminatione exclusionis a Regno Dei. Unicum esse Baptismum ait, sicut unum Deum, & Ecclesiam unam. Tum subdit: *Examinari vero meretur, quid circa hæreticos observandum; nullam in nostra Disciplina partem habent, nam rescissio a cõmunione testatur extraneos. Nec habent eundem Deum, quem nos, nec eundem Christum, ex quo sequitur, nec habere eundem baptismum; sicut ergo eorum baptismus legitimus non est, ita absque omni dubio nullus est.* Tertullianus hic loquitur de sui temporis hæreticis, quorum plerique alia baptismi forma utebantur, aut aliter, quam Catholici interpretabantur, nec eundem c. 13. *Matt.* 28. 19. *Jo.* 3. 5. 6. 15

Sæculum II. A. C. 197.

Patrem, nec Filium credentes. (*) Remittit Lectorem ad Tractatum de Baptismo, quem græce scripserat, nobis autem non extat. Subjungit: *Secundum habemus Baptismum, sed unicum sicut primum, nempe Baptismum sanguinis.*

c. 16.

c. 17. *Baptizandi munus Episcopo competit, tum Presbyteris, & Diaconis jubente Episcopo, ut ordo, & pax in Ecclesia conservetur. Etiam Laici in casu necessitatis Baptismum conferre possunt, & qui id facere neglexerit, reus erit ruinæ hominis.*

c. 18. Non facile Baptismum conferendum, ait, sed pro dispositione, conditione, ætate, Personarum præcipue infantum esse differendum; vult, ut prius satis instructi, baptizari petant. Parentes lustricos non esse periculo exponendos, ne susceptos morte sua destituant, aut eorumdem prava indole decipiantur. Hic notatur susceptoris usus, fidem suam pro infante interponentis; quodque hic Tertullianus affert in bono sensu

(*) Hic non immerito Anonymus I. de vero sensu Fleurii dubitat, & asserit, Ecclesiam nunquam declarasse, Hæreticorum, qui in fide de Sanctissima Trinitate errant, collatum baptismum esse nullum, sed tantum illorum, qui in conferenda Baptismi forma errant.

sensu accipi potest, si verba de infantibus Paganorum, aut aliorum, quorum educatio periclitabatur, intelligas. Nec minus in Adultis necdum conjugatis Baptismum differendum putat, usque dum vel nubant, vel in continentia sint probati. Tum pergit: *Siquis Baptismi Dignitatem, & Præstantiam intelligat, hunc suscipere potius verebitur, quam differri. Solemnis ad baptizandum dies est Pascha, & omne quod sequitur intervallum usque ad Pentecosten. Potest tamen Baptismus omni tempore, & hora conferri. Baptizandus multis orationibus, jejuniis, genuflexionibus, vigiliis, & omnium peccatorum suorum commissorum confessione se præparet; non modicam sibi fieri gratiam intelligat, si confessio peccatorum publica non requiratur.* Sæculum II. A. C. 197. c. 19. c. 20.

§. XLVIII.

Tractatus Tertulliani de Pœnitentia.

In libro de Pœnitentia primo agit de hac virtute generaliter, aitque tam pro peccatis corporis, quam mentis, actionis, & cogitationis vel voluntatis pœnitentiam esse necessariam; tum de pœnitentia loquens, qua ad Baptis- *c. 3. 4. de pœnit. c. 6.*

Sæculum II. A. C. 197.

mum præparamur, se præprimis Catechumenis scribere, ait, illis, qui spe Baptismi de remissione peccatorum suorum securi, se ad tempus pravis affectibus indulgere posse putabant, & veniam obtenturos absque dato pretio, quod est pœnitentia; ad hos inquit: *Potestis quidem Ministrum Baptismi promissis vestris decipere, Deus autem non communicat thesaurum suum, qui dixit, margaritas non esse ante porcos projiciendas. Hinc tot sunt, qui post Baptismum relabuntur. Non ideo lavamur, ne ultra peccemus, sed quia peccare cessavimus, & quia in corde jam mundati sumus; si non nisi post acceptum Baptismum a peccatis abstinemus, id magis necessitate, quam amore innocentiæ fieri videbitur.*

c. 7. Inde ad pœnitentiam transit, quæ Baptismum sequitur, seque de ea invitum mentionem facere fatetur; valde enim optandum esse, ut nulla pœnitentia, quæ primam sequitur, Christiani indigerent; & merito timendum, ne, dum secundum peccati remedium ostendit, aliquod dari spatium simul monstret, ubi alterius spe veniæ peccari possit. *Deus*, inquit: *malitiam, & conatus Dæmonis sciens, clausa jam veniæ janua, & præcisa alterius Baptismi spe, quasi rimam secundæ*

Sæculum II. A.C. 197.

cundæ pœnitentiæ pro una tantum vice patefacit. Hic de publica pœnitentia loquitur, quæ, prout omnes Theologi noverunt, una ſolum vice concedebatur. Tum in hunc modum proſequitur: *Quo hujus ſecundæ, & unicæ pœnitentiæ anguſtior eſt ſemita, eo graviori labore tenetur; non ſufficit, ſi hujus pœnitentiæ dolor intra conſcientiam contegatur, ſed externis actionibus exprimi debet. Hoc græco vocabulo exomologeſis dicitur, eſtque exercitium, quo hominis arrogantia dejicitur, & humiliatur; in hac pœnitentia modus vivendi præſcribitur, movendæ Dei Miſericordiæ aptus; veſtis, alimenta ſunt luctui convenientia; pœnitentis eſt in ſacco, & cinere jacere, ſqualido corpore, ſpiritu triſti; victus ſit ſimplex ſolummodo ſuſtentandæ vitæ neceſſarius; pœnitens frequenter oret, & jejunet, gemat, ploret, diu noctuque ad DEUM clamet, coram Presbyteris proſternatur, coram amicis DEI genuflectat, omnium fratrum auxilium, & preces imploret.* Eos deinde arguit, qui vel culpabili verecundia, vel metu ſenſualis afflictionis pœnitentiam differebant.

Auguſt. Epiſt. 54. ad Marc. c. 7. c. 9. c. 10. c. 11.

Sæculum II. A. C. 197.

§. XLIX.

Tractatus de Oratione.

de Orat. c. 11. & 12.

In libro de Oratione quasdam superstitiosas observationes reprehendit, quæ inter Fideles absque ullo Domini nostri, vel Apostolorum præcepto introducebantur ad rituum Paganorum imitationem, quæ sola similitudo, inquit: ad eas rejiciendas debet sufficere. Erant, qui ad orationem se conferre non audebant, prius quam totum corpus abluissent, vel saltem manus, in religiosam illius memoriam, quod Pilatus, cum Dominum nostrum Judæis traderet, fecerat. Alii post orationem, quasi ita oporteret, sedebant. Alii ex composito voce elatiore loquebantur. Mos erat post orationem communem, & publicam osculum pacis dare, exceptis diebus jejunii solemnibus, sicut in nocte Paschali; aliqui etiam hoc osculo abstinebant, cum privatim jejunarent; hunc usum damnat Tertullianus, sicut etiam illorum, qui orationibus ad Sacrificium spectantibus diebus stationum abstinebant, quod dicerent, post sumptionem Corporis Domini nostri frangi jejunium; haud dubie per Agapen seu convivium post Sacrificium haberi solitum.

§. L.

Sæculum II.
A. C. 197.

§. L.

Consilia Tertulliani uxori data.

In libro primo ad uxorem Tertullianus persuadere ei conatur, ut si ipse prior obiisset, non iterum nuberet, non quod ipsius jam defuncti quidquam interesset, sed maximæ viduæ. Ait, nullam earum rationum, quæ matrimonium homini suadere possint, Christianis convenire; sive quis matrimonium eligat, tanquam remedium concupiscentiæ, sive fortunæ suæ stabilimentum, sive amore liberorum; *Liberos enim, si quos suscepimus*, inquit: *imminentium malorum metu optamus ad Dominum præmittere, quo nos ipsi, iniquo hoc Sæculo egressi, sequi unice cupimus.* Quosdam, addit; statim post acceptum Baptismum statum perpetuæ continentiæ amplecti; multos eandem in matrimonio mutuo consensu servare. c. 5.

In libro secundo uxorem monet, ut, si post ejus obitum velit nubere, viro Christiano nubat, & probat, conjugia Fidelis cum Infideli universim esse illicita, quamvis in matrimonio permanere liceat, si ante conversionem partis fidelis fuerint conjugati. Non nulla hujusmodi imparis conjugii, a mulieribus fidelibus initi, exempla Tertullianum move- c. 2.

Sæculum II. A. C. 197.

runt, ut hæc scriberet; hanc Doctrinam illis verbis S. Pauli superstruit: *Mulier, si dormierit vir ejus, liberata est, cui voluerit, nubat, tantum in Domino.* Tum multa ejusmodi connubiorum incommoda enarrat, *talis mulier Christiana*, inquit: *maritum affectu a Gentilium non absimili colet; ut marito placeat, vultus speciem ornatu profano hujus sæculi augebit, in iis, quæ secreto debentur, rationis, & honestatis limites transgredietur; non enim is modus inter Gentiles est, & modestia, quæ inter Christianos, semper Dei omnia perspicientis, memores.*

1. Cor. 7. 39.

c. 3.

c. 4. *Quomodo talis mulier poterit servire Deo, viro alligata Dæmonis servo, qui jubente Domino suo eam a Dei servitio impediet? Si ad Ecclesiam eundum erit die stationis, maritus eam solito maturius in balneis adesse jubebit; si jejunandum erit, eadem die convivium hospitibus parari indicet; si ad pia opera domo exeundum, nemini domesticorum Dominam sequi vacabit. Num maritus Ethnicus uxorem fidelem per plateas, & domos pauperum circuire, & fratres invisere patietur? aut ut de nocte surgat, & sanctorum cœtui assistat? quo animo feret eam ad Solemnitatem*

Sæculum II. A. C. 197.

tatem Paſchalem thoro abeſſe? num ad menſam Domini apud Infideles tantopere diffamatam ſine ſuſpicione ire permittet? num eam clanculo carceres intrare, & oſculari Martyrum compedes boni conſulet? num ut eorum pedes lavet, cibum potumque in fervore charitatis offerat, de fratribus abſentibus cogitet, aut loquatur, patienter tolerabit? ſi quis fidelis alienigena advenerit, quomodo in domum gentilem ſuſcipietur? ſi quid dandum prohibente marito nec cibi, potusve copia erit.

Demus autem maritum in hæc omnia conſentire, tamen vitæ Chriſtianæ opera Ethnico patefacere debere, ſatis grande malum eſt; num eum ſemper latere poteris, dum ſignum crucis formas, ſuper lectum, ſuper corpus tuum? dum oſcitas, dum quid noxii, vel immundi abigis? dum de nocte ad orandum ſurgis? an non viro credere pronum erit, eſſe operationem magicam? an viri oculos effugere poterit illud, quod ſecreto ante omne aliud alimentum ſumis? & ſciat eſſe panem, an non talem eſſe credet, qualis eſſe dicitur? Tertullianus hic de Evchariſtia loquitur; Chriſtiani Evchariſtiam in domos ſuas

Sæculum II. A. C. 197.

portabant, ut singulis diebus sumere possent; & dignoscitur, Fideles jam tunc Corpus Christi jejunos sumpsisse, & sæpenumero sub solius panis specie. (*) Ethnici criminabantur, hunc panem cæsi infantis sanguine esse intinctum, & maxima, qua hanc buccellam Christiani servabant, cura, & reverentia maleficii suspicionem movebat.

c. 6. Pergit uxori ante oculos ponere, quam periculosum sit mulieri Christianæ vivere in domo pagana, superstitionibus plena, & profanorum mensis assidere. *Si ad cantandum invitetur, quid cum marito suo cantet? audiet videlicet carmina scenica, aut in cauponis publicis pervulgata. Nulla in his Dei mentio, nulla JEsu Christi invocatio, nulla, qua fides nutriatur Scripturarum lectio, nulla Benedictionis Divinæ postulatio.* Ajebat, qui inc. 7. ter Ethnicos essent pessimi, uxores Christianas ducere, & inter mulieres Christianas

(*) Hic Fleurius argumentatur, jam tunc temporis sumptionem Eucharistiæ sub una specie in more fuisse. Bene argumentaretur, nisi dubium esse posset, an non panis ille Eucharisticus in Sacro Sanguine intinctus fuerit? id enim in quibusdam Ecclesiis factum legitur.

Sæculum II. A. C. 197.

ſtianas non niſi quæ in fide teperent, talia connubia appetere, illas videlicet, quæ vanitate mundana, & luxu delectarentur; ut in lecticis, præſtantis corporis vectoribus, pretioſis crepidis, & multis aliis, quæ vir Chriſtianus quamvis ditiſſimus non conceſſiſſet, inter æquales ſuas poſſent tumeſcere.

Tandem felicitatem Chriſtianorum conjugum deſcribit, aitque: *Hujus Matrimonii contractum Eccleſia efformat, Sponſorum oblatio confirmat, Benedictio Sacerdotalis Sigillum imprimit, hunc Angeli in Cælo præſentant, & pater Cæleſtis ratum habet. Duo fideles in matrimonio idem jugum ſimul portant, duo ſunt una caro, & unus Spiritus; ſimul orant, ſimul flectunt genua, & proſternuntur, ſimul jejunant; mutuo ſe inſtruunt, mutuo ſe exhortantur, ſimul vadunt ad Eccleſiam, ſimul ambo ad menſam Dei, tam in proſperis quam adverſis inſeparabiles; omnium arcanorum ſuorum conſcii ſunt, alter alteri moleſtus non eſt; libere ægrotos viſitant, pro arbitrio dant eleemoſinas; abſque cura & ſollicitudine ſacrificiis interſunt; ſimul pſalmos, & hymnos cantant, ſeque invicem ad Deum laudandum excitant.*

Sæculum II. A. C. 197.

tant. Ex his exemplis, qualis tunc Christianorum vita fuerit, colligitur. (*)

(*) Anonymus I. hic in suis Notis pag. 54. Fleurium arguit, quod tantum ideo de Beatissimæ Virginis Assumptione in sua Historia loqui videatur, ut hanc opinionem refutet; sed male judicat. Fleurius in sua Præfatione dicit, quod nihil de Beatissima Virgine referre voluerit, nisi quod in Sacra Scriptura legitur, atque illud, Sanctissimam Virginem S. Joannem Ephesum fuisse secutam. At vero quamprimum in Ecclesiis particularibus, & deinde in universali fides, cultusque Assumptionis Corporis, & Animæ Beatissimæ Virginis ortus est, id accurate notat, & sæpissime hujus Festi mentionem facit; ita ut injuriam Fleurio inferret, qui putaret, ab eo Assumptionem innoxiis erroribus accenseri, quos æterno silentio oppugnare oportet.

Præterea nemo succenseat præclarissimo Historico, si Assumptionem Beatæ Mariæ illis factis non annumeret, quæ ex veterum Historicorum testimoniis certa sunt, & constantia, quamdiu decisum non fuerit quo loco, & quo anno Sanctissima Virgo obierit. Ipse illustrissimus annalium Ecclesiasticorum Parens Baronius anxie queritur de veterum Scriptorum tanta super re silentio. Nullum efficacius Assumptionem Beatissimæ Virginis asserendi est argumentum, quam si dicas: *Deus hanc prærogativam Matri suæ dare potuit. Decuit. S. Joannes Damascenus inter alios luculenter id factum testatur. Fideles credunt. Ecclesia annuit, & hanc fidem institutione Festi, & præscriptione cultus publici probat. Ergo, nullatenus temeritatis notam effugiet, qui negare ausus fuerit.*

FINIS TOMI PRIMI.

INDEX

INDEX
RERUM ET NOMINUM
TOMO I.

A.

Abilius. Alexandrinus. L. II. §. L. p. 353. & LIX. p. 384.
Abominatio Desolationis. quomodo intelligenda. L. II. §. XIX. p. 236.
Abraham. Filii ejus quinam? L. I. §. LI. p. 148.
Achamot. quid? L. III. §. XXVII. p. 459.
S. *Achilles* Martyr. L. II. §. LII. p. 360.
Adonis. Tamuz. Effigies Bethlehemi erecta. L. III. §. XXV. p. 453.
Adulterium. æqualis malitiæ in viro, & muliere. L. II. §. XLV. p. 333.
Ælianus. Prætorianis Præfectus. L. II. §. XLIX. p. 346.
Ænigmata. quare inventa? L. IV. §. XL. p. 681.
Agab. L. I. §. LII. p. 156.
Agape. quid? L. II. §. LVI. p. 372.

Agrip-

Agrippa. Alexandrinus. L. III. §. LIX. p. 561. obit. L. IV. §. XIX. p. 619.
Agrippa. Rex Judæorum. L. I. §. XIII. p. 28. illuſus. §. XV. p. 34. ſupplex pro Judæis. §. XIX. p. 48. a Claudio honoratus. §. XXI. pag. 55. S. Jacobum occidit. §. XXIV. p. 58. ejus obitus. §. XXIX. p. 70.
Agrippa junior. Romæ. L. I. §. XXIX. p. 71. Ejus Ditio a Claudio ampliatur. §. XLIII. p. 107. a Nerone. ibid. p. 108. apud Feſtum. §. LVII. p. 172. item L. II. §. VIII. p. 204. & §. XII. p. 214. & §. XVI. p. 225. ipſe Herodianorum ultimus. L. II. §. XLI. p. 313.
Agrippina. Claudium veneno perimit. L. I. §. XLIII. p. 107.
Albinus. Prætor. L. II. §. VIII. p. 204. & §. XII. p. 214.
Alexander. L. I. §. XLVIII. p. 132. L. II. §. XIII. p. 217.
Alexander. Jeroſolymitanus. Lib. IV. §. XXXVI. p. 663.
Alexander Martyr. L. IV. §. XIV. p. 605.
Alexander Papa. L. II. §. L. p. 353. & L. III. §. XIV. p. 432.
Alexandria. Judæi oppreſſi. Lib. I. §. XV. p. 35. quanta Civitas. L. II. §. V. p. 195. Judæorum ſtrages. §. XVII. p. 231.
Alogi. Hæretici. L. IV. §. XXXIII. p. 656.
Anacletus Papa. L. II. §. XXVI. p. 253. & §. L. p. 553.
Ananias. L. I. §. IV. p. 11. ſupplicium. p. 12.

Ana-

Ananias Damaſcenus. L. I. §. VI. p. 17.
Ananias Pontifex. L. I. §. LV. p. 164.
Ananus. L. II. §. XIX. p. 236. & §. XXIX. p. 261. occiſus. ibid.
Ananus Senior. L. II. §. VIII. p. 204.
S. Andreas. ad Scythas. L. I. §. XXV. p. 61.
Andreas. Judæus Rebellis. Lib. III. §. XVI. p. 435.
Angelæ. quæ? L. III. §. XXVIII. p. 464. L. II. §. III. p. 190.
Angeli. cuilibet homini duo dati. Lib. II. §. XLV. p. 333. & L. III. §. XLVII. p. 514.
Anianus. S. Marci Succeſſor. L. II. §. VI. p. 201. & §. L. p. 353.
Anicetus Papa. Lib. III. §. XVIII. p. 437. item. Controverſia de Paſchate. §. XLIII. p. 501. excipit S. Polycarpum. ib. p. 502. obit. §. ſeq. p. 504.
Anima. inviſibilis. & tamen ejus exiſtentia probatur. L. IV. §. XX. p. 621.
Animæ. ex igne, & vento. L. IV. §. XXI. p. 626.
Animalia. quibus veſci non licebat, allegorice exponuntur. L. II. §. LVII. p. 376.
Annas junior. L. II. §. VIII. p. 204.
Anonymus. de Montaniſtis. Lib. IV. §. VI. p. 577.
Anti-Chriſtus. quis. Lib. II. §. LV. p. 369. Nero fuiſſe creditur. L. II. §. XXX. p. 268. quis Anti-Chriſtus. L. III. §. XIII. p. 430.
Antiochia. ibi primi Chriſtiani. L. I. §. XXIII. p. 58.

Anto-

Antoninus Philosophus Imp. L. III. §. XLV. p. 504. Christianos persequitur. ib. p. 506. Epistola pro Christianis. L. IV. §. II. p. 566. obit. L. IV. §. XIX. p. 618.
Antoninus Pius. Imperator. L. III. §. XXXII. p. 473. Edicta faventia Christianis. L. III. §. XLII. p. 501.
Apelles. Hæreticus. quid docuerit? L. III. §. XXXV. p. 476.
Apion. Scriptor. hostis Judæorum. Lib. I. §. XIX. p. 45.
Apocalypsis. L. II. §. LI. p. 354.
Apollinaris. Hierapolitanus. L. IV. §. IV. p. 569.
S. Apollinaris Ravennatensis. Martyr L. II. §. XLVIII. p. 344.
Apollo. L. I. §. XLI. p. 104.
Apollonius. L. I. §. IX. p. 21. ejus Gesta. §. XLIX. p. 133. Romæ. L. II. §. XXII. p. 241. Alexandriæ. §. XXXII. p. 271. & §. XLIII. p. 317. coram Domitiano. §. XLIX. p. 345. Ephesi necem Domitiani prædicit. §. LIII. p. 361. moritur. ibid. p. 362.
Apollonius. Martyr. Senator. L. IV. §. XXIX. p. 649.
Apollonius. Scriptor Ecclesiasticus. Lib. IV. §. V. p. 574.
Apologiæ Christianorum. Lib. III. §. XXII. p. 448. §. XXXVII. p. 481. §. XLVII. p. 510. & LI. p. 532.
Apostoli Divisi. Symbolum fidei. Lib. I. §. XXV.

§. XXV. p. 60. Apostolorum Prædicatio ab effectibus probatur. *in Præfatione ad finem.* De ipsis multa nescimus. *ibid.* Apostolorum Canones. & Constitutiones, S. Clementi adscriptæ. L. II. §. XLVII. p. 342.

Apparitiones. in Veteri Testamento Verbum apparebat. L. III. §. LIV. p. 545.

Aquila. Hospes Pauli. L. I. §. XXXVII. p. 96. & §. XLI. p. 104.

Aquila. Scripturæ versionem edit perversam. L. III. §. XXV. p. 454.

Archontici. Hæretici. L. IV. §. X. p. 590.

Aristides. Apologiam scripsit. L. III. §. XXII. p. 449.

Athenagoras. L. III. Apolog. §. XLVII. p. 510.

Athenæ. Prædicatio S. Pauli. Eorum mores. L. I. §. XXXVI. p. 93.

Athletæ. Exercitationes eorum. L. I. §. XLVI. p. 121.

Autolycus. ad eum Theophilus. L. IV. §. XX. p. 620.

Baptismus. L. I. §. XLII. p. 105. & Lib. III. §. XLI. p. 495.

Baptismus pro mortuis. Lib. I. §. XLVII. p. 129.

Baptizatis. Mel, & lac ingeritur. Lib. II. §. LVII. p. 375.

Baptismus. Apostoli baptizati. Lib. IV. §. XLVII. p. 705. Baptismus Hæreticorum. ibid. etiam Laicus est ejusdem Minister. 706.

Barcoqueba. Rebellis. L. III. §. XXIV. p. 451.
Bardesanes. Hæreticus. L. IV. §. IX. p. 585.
S. Barnabas. Quærit Saulum. L. I. §. XXIII. p. 57. mittitur Jerosolymam. §. XXVII. p. 66. Ejus Epistola. L. III. §. LVII. p. 373. Doctrina moralis. §. seq. p. 379.
Baronius. de eo Judicium. *in Præfatione* p. 11.
S. Bartholomæus. ubi prædicaverit. Lib. I. §. XXV. p. 62. Evangelium S. Matthæi apud se habet. ibid.
Basilides. Hæreticus. L. III. §. XIX. p. 439. quænam docuerit. ibid.
Basilides. miraculose apparens. Lib. II. §. XXXII. p. 272.
Bassianus. Imperator a Patre declaratur. L. IV. §. XLV. p. 701.
Berenice. L. I. §. LVI. p. 169. & seq. a Tito adamatur. & L. II. §. XLI. p. 313.
Biblis. Martyr. L. IV. §. XII. p. 598.
Blandina. Martyr. L. IV. §. XII. p. 596. & §. XV. p. 606.
Britones. ad Fidem conversi. L. III. §. LIX. p. 561.
Cainitæ. Hæretici. L. III. §. XXX. p. 468.
Caligula. Lib. I. §. XII. p. 28. Statuam in Templo erigi jubet. §. XVIII. p. 42. interficitur. §. XXI. p. 54.
Calicis consecratio sola aqua. L. IV. §. VIII. p. 584.
Calvariæ mons. Venus. Lib. III. §. XXV. p. 453.

Cano-

Canones. Apoſtolorum. Lib. II. §. XLVII. p. 342. ſeu Conſtitutiones.
Carnes ſuffocatorum prohibentur Noemo. L. I. §. XXXII. p. 82.
Carpocras. Hæreticus. L. III. §. XIX. p. 438. & §. XX. p. 442.
Caſtitas. ex Doctrina Chriſti. Lib. III. §. XXXVIII. p. 488.
Caſtor Agrippa. L. III. §. XIX. p. 442.
Cataphryges. quinam? L. IV. §. VI. p. 578.
Catullus. Lybiæ Præfectus. Lib. II. §. XLI. p. 312.
Celadion. Alexandrinus. L. III. §. XXXIII. p. 473. obit. §. LIX. p. 561.
Celibatus. in epiſtola ad Corinthios. Lib. I. §. XLVI. p. 117. & Lib. III. §. XLVII. p. 517.
Celſus. Philoſophus. Liber contra Chriſtianos. L. III. §. XXI. p. 447.
Centuriatores. in Præf. p. 11. & quænam eorum querelæ. *infer. in Præf.*
Cerdon. Alexandrinus. Lib. II. §. LIX. p. 384. & L. III. §. XIV. p. 432. obit. ibid.
Cerdo. L. III. §. XXX. p. 468. errores ejus. & L. IV. §. XXV. p. 639.
Cerinthus. L. I. §. XVII. p. 40. & §. XXXII. p. 78. L. II. §. I. p. 186. §. III. p. 191. & §. XLII. p. 316.
Ceſtius. L. II. §. XVI. p. 223. obſidet Jeroſolymam. §. XVIII. p. 232.
Chriſtianorum Conſtantia. Lib. IV. §. IX. p. 586. prima Perſecutio. Lib. II. §. XI. p. 213.

p. 213. quales sint? §. XIII. p. 219. Hierosolyma auffugiunt. §. XIX. p. 236. sunt Ethnicis meliores. Lib. III. §. XXXVIII. p. 487. Eorum Doctrina. ibid. Christiani ante Christi Nativitatem. §. XXXIX. p. 491. quorum criminum a Gentilibus accusati? §. XLVII. p. 511. rursus. §. LI. p. 532. varii Christianorum status. L. II. §. XLVI. p. 337. Calumniæ. Lib. III. §. XXI. p. 445.

Christiana Religio. Relicto Deo hominem colit. invicte propugnatur. L. III. §. LIII. p. 539.

Christi, duo. Lib. III. §. XXXIV. p. 475.

Christus. hunc a JEsu distinguit Cerinthus. L. II. §. XLII. p. 316. Christi longitudo, & altitudo. L. III. §. II. p. 388.

Cineres Martyrum inventi. Lib. IV. §. XV. p. 608.

Circumcisio. an sit necessaria? L. I. §. XLIV. p. 108.

Circumcisio. qualis? Lib. II. §. LVII. p. 375. quid sit, & in quem finem? L. III. §. LIII. p. 540.

Claudius Albinus. Imperat. L. IV. §. XXXII. p. 653.

Claudius. Imperator occiditur. L. I. §. XLIII. p. 107.

S. Clemens. Lib. II. §. I. p. 186. & §. XXVI. p. 253. Ejus Epistola ad Corinthios. §. XXXIII. p. 275. & seq. Quænam opera ei adscribantur? Itinerarium S. Petri. §. XLVII.

§. XLVII. p. 342. Pontificatum abdicasse dicitur. ibid. Ejus Epistola. Lib. II. §. XXXV. p. 283. quando obierit? Martyribus accensetur. Ejus Scripta. §. XLVII. p. 342.

Clemens Alexandrinus. Panteni Discipulus. L. IV. §. XXXI. p. 652. Stromata. L. IV. §. XXXVI. p. 661. Ejus Opera. ib. p. 664. Pædagogus. ibid.

Cleophas. S. Simeonis Jerosolymitani Pater. L. III. §. I. p. 385.

S. Cletus. Papa. Lib. II. §. XXVI. p. 253. & §. XLVII. p. 341. dicitur & Anacletus. §. L. p. 353.

Commodus. Imperator. L. IV. §. XIX. p. 619. & §. XXXII. p. 652.

Communio Bonorum. L. I. §. III. p. 5.

Concilium I. Jerosolymæ. L. I. §. II. p. 2.

Concilium Jerosolymæ de Legalibus. Lib. I. §. XXXII. p. 79. cæterorum Norma. ib. p. 82.

Concilium Cæsarienſe. de Paschate. Lib. IV. §. XLIII. p. 695. *Romanum,* & alia in eadem causa. ib. p. 696.

Confessio peccatorum. Lib. I. §. XLII. pag. 107.

Confirmatio. L. I. §. VII. p. 18. & §. XLII. p. 105. & L. IV. §. XLVII. p. 705.

Continentia, per votum Deo promissa. L. III. §. XLII. p. 499.

Corinthus, ibi prædicat Paulus. Lib. I. §. XXXVII. p. 96. Corinthiorum vitia. §. XLV. p. 115.

Cornelius Antiochenus. Lib. III. §. XXIV. p. 452. & XXXIII. p. 473.
Crescentius Cynicus. quis? Lib. III. §. XLV. p. 507.
Creta. Cretensium pessimi mores. Lib. II. §. XIV. p. 221.
Crucis signum. super os, & lectum. Lib. IV. §. L. p. 713.
Cumanus, Prætor in Judæa. L. I. §. XXXI. p. 76. & §. XL. p. 101.
Cuspius Fadus. L. I. §. XXXI. p. 75.
Damis, Apollonii Comes. L. II. §. XLIX. p. 346. & §. LIII. p. 362.
Defuncti, Baptizari pro mortuis. quomodo intelligendum? Lib. I. §. XLVII. p. 129.
Demetrius, Alexandrinus. L. IV. §. XXX. p. 650.
Demetrius, aurifaber. L. I. §. XLVIII. p. 131.
Demetrius Cynicus. L. II. §. XXII. p. 243.
Denjourgus. quid? L. III. §. XXVIII. p. 462.
Deus. Hujus Mundi quis? L. III. §. XXVIII. p. 462. Dii duo. §. XXXIV. p. 475. Deus probatur. L. IV. §. XX. p. 620. Dei veri Essentia, & Existentia. Lib. III. §. XLVII. p. 512. Deus non gerit curam singularium. §. LII. p. 535. alius numero Deus Verbum. L. III. §. LIV. p. 545. Dei Natura, ut Trinus est. L. IV. §. VII. p. 580. Deo nullum est Nomen. Lib. IV. §. XIV. p. 606. Deus solummodo per Verbum suum cognoscibilis. §. XL. p. 682. de Deo non datur scientia. L. IV. §. XL. p. 682. quare

re difficulter cognoscibilis. ibid. p. 681.
Diabolus. Nescivit Virginitatem nec partum Virginis, nec Passionem Christi. Lib. III. §. V. p. 401.
Diaconi. Eorum Electio. Lib. I. §. V. p. 14. Quales esse oporteat. L. II. §. XIII. p. 218.
Diana. Templum Ephesi. Lib. I. §. XLVIII. p. 130.
Diogenes junior. Cynicus. Virgis cæsus. L. II. §. XLIII. p. 318.
Dionysius Areopagita. Lib. I. §. XXXVI. p. 95. & L. III. §. LVIII. p. 559.
S. Dionysius Corinthius. Epistola ad Soterem Papam. Ad alias Ecclesias. L. III. §. LVIII. p. 557.
Docitæ. quinam? L. III. §. X. p. 418. L. IV. §. VIII. p. 585.
Domitianus. Imperator. Lib. II. §. XLVIII. p. 344. Philosophos persequitur. ibid. p. 345. Christianos persequitur. §. LI. p. 354. interficitur. §. LIII. p. 361.
Dormire. quo plus dormitur, eo minus vivitur. L. IV. §. XXXVII. p. 667.
Drusilla. L. I. §. LVI. p. 169.
Ebion. Hæreticus. L. II. §. XLII. p. 314. calumniantur S. Paulum. ibid. Ebionitarum errores. 315.
Ecclesiæ Caput. Quis? L. I. §. XXXII. p. 82.
Ecclesia Catholica. Testimonium Fleurii. *in Præfat. circa fin.*
Ecclesia Romana. Fundata a SS. Petro, & Paulo. L. IV. §. XXIV. p. 632. sola Catho-

lica, Antiquissima, §. seq. p. 634. & L. II. §. XXVI. p. 253.
Ecclesia vera. S. Irenæus. L. IV. §. XXVII. p. 643.
Ecclesiæ. Seu, primi Conventus Christianorum. L. I. §. XLVII. p. 128.
Eleazarus. Lib. I. §. XL. p. 101. & Lib. II. §. XVI. pag. 226. Zelotarum Caput. §. XXVIII. p. 260. in interiori Templo. §. XXXVI. p. 291. vincitur a Joanne. ibid. p. 292.
Eleazarus. Judæ Galilæi Nepos. Dux in Mazada. L. II. §. XLI. p. 310.
S. Eleutherius Papa. Lib. III. §. LIX. p. 561. a Lucio Rege Anglorum Litteras accipit. ibid.
Elymas. cœcitate percussus. L. I. §. XXX. p. 72.
Elxai. Hæreticus. Hæresis ejus. Lib. III. §. II. p. 387.
Encratitæ. nascuntur. L. IV. §. IV. p. 570.
Enoch. Liber antiquus. Lib. II. §. LVI. p. 372.
Eones. Valentini. Quid? L. III. §. XXVI. p. 456.
Ephesus. Templum. L. I. §. XLVIII. p. 130. Tumultus. ib. p. 131. Pestis. XLIX. p. 135.
Epiphanius. Carpocratis Filius. Deus. L. III. §. XX. p. 444.
SS. Epipodius, & Alexander Martyres. L. IV. §. XVI. p. 609.
Episcopi. judicant in Conc. L. I. §. XXXII. p. 82.

p. 82. & §. XLV. p. 117. L. II. §. XIII. p. 217. quales sint. Episcopi subordinati. §. XXVI. p. 253.
Episcopi, & Diaconi. de his Prophetia Isaiæ. L. II. §. XXXV. p. 285. si oriantur Rixæ, resignent. ib. p. 288.
Esseni. Quales? Lib. I. §. IV. p. 8. & §. XV. p. 36. fame necati.
Esther. Liber a Melitone omissus. L. IV. §. III. p. 568. Judæi hunc recipiunt. ibid.
Evangelium primo annuntiatur. L. I. §. III. p. 4.
Evangelistæ. L. IV. §. XXIV. p. 632.
S. Evaristus. Papa. L. II. §. L. p. 353. obit. L. III. §. XIV. p. 432.
Eucharistia. Lib. I. §. III. p. 5. & §. XLVI. p. 122. & §. LII. p. 154. L. II. §. VI. p. 203. Ebionitarum in aqua sola. §. XLII. p. 315. plusquam Figura. L. III. §. V. p. 401. Caro, & Sanguis JEsu Christi. §. VIII. p. 412. & §. X. p. 415. Illa ipsa caro, quæ passa est. §. IX. p. 419. Evcharistia legitima. ib. statim post Baptismum. §. XLI. p. 496. a Diaconis distribuitur, & ad absentes defertur. §. XLI. p. 496. est Caro, & Sanguis JEsu Christi. ib. p. 497. Eucharistiæ figura. Oblatio farinæ. Prophetia Malachiæ. Sacrificium. §. LIV. p. 546. vino non utuntur Encratitæ. Lib. IV. §. VIII. p. 584. & §. XXVI. p. 641. & §. XXXVIII. p. 671. Evcharistia singulis diebus sumpta. §. L. p. 714. sub una specie. ibid.

Evodius. Succeſſor S. Petri. Antiochiæ. L. I. §. XXIV. p. 60. obit. L. II. §. XXXII. p. 270.
Euphrates. Tyrius, Philoſophus. Lib. II. §. XLIII. p. 318.
Excommunicatio. qualis? L. I. §. XXXIX. p. 100. §. XLV. p. 116. Victor Papa excommunicat Aſianas Eccleſias. Lib. IV. §. XLIV. p. 698.
Exomologeſis. quid? L. IV. §. XLVIII. p. 709.
S. *Felicitas.* & ejus filii. Lib. III. §. XLII. p. 499.
Felix. L. I. §. LIV. p. 159.
Feſtus. L. I. §. LVII. p. 170. obit. Lib. II. §. VIII. p. 204.
Fides. Juſtificationis Principium. L. I. §. LI. p. 148. & omnis certitudinis. L. IV. §. XX. p. 621.
Filius. antiquior omnibus Creaturis. L. II. §. XLVI. p. 341. Filium negans, neque Patrem habet. §. LV. p. 369.
Filius Dei. quid? Lib. III. §. XLVII. p. 513. Quando Genitus. L. IV. §. XX. p. 623.
Flavia Domitilla. L. II. §. LII. p. 359.
Flavia Domitilla. junior. L. II. §. LII. p. 360. & §. LIX. p. 383.
Flavius Clemens. Martyr. L. II. §. LII. p. 359.
Florinus. ad hunc S. Irenæus ſcribit. L. IV. §. XVII. p. 613.
Florus. Prætor. L. II. §. XII. p. 214.
Fornicatio. quid apud Gentiles. L. I. §. XXXII. p. 81.
Fructus Adamo vetitus. Matrimonium. Tunicæ

nicæ pelliceæ. caro humana. L. IV. §. VIII. p. 585.
Galatæ. S. Pauli Epiſtola. Lib. I. §. XLIV. p. 108.
Galba. Imperator. L. II. §. XXXI. p. 268.
Gallia. Primi Epiſcopi a S. Paulo conſtituti. L. II. §. VII. p. 204.
Genealogiæ. L. II. §. XIII. p. 217.
Gentiles. prima eorum Converſio. L. I. §. XVII. p. 40. Gentilium mores. §. LI. p. 146.
Germanicus. Martyr. L. III. §. XLVIII. p. 519.
Geta. Cæſar. L. IV. §. XLV. p. 701.
Glaucia. S. Petri Interpres. L. I. §. XXVIII. p. 68. L. III. §. XIX. p. 439.
Gnoſtici. L. II. §. XIII. p. 217. & XXI. p. 241. naturali Concupiſcentiæ eſt parendum. L. III. §. XX. p. 442. Eorum nefanda. 443.
Gnoſticus. Quis? ſecundum Clementem Alexandrinum. L. IV. §. XLI. p. 682. In ultimo fine quieſcendum. ibid. & ſeq.
Hadrianus. Imper. Lib. III. §. XVII. p. 437. Athenis. §. XXII. p. 448. Epiſtola ad Aſiæ Proconſulem. §. XXIII. p. 449. Colonos Jeroſolymam. §. XXIV. p. 450. Chriſtianos perſequitur. §. XXXI. p. 469. ejus obitus. §. XXXII. p. 472.
Hæreticorum multitudo, & varietas ſcandalo eſt Ethnicis. L. III. §. XXI. p. 445. Hæretici Gnoſtici. quis morbus? §. XXVI. p. 456.
Hæreſum, ſingularum Auctor adduci poteſt, at non Doctrinæ Romano-Catholicæ. L. IV. §. XXV. p. 638. *Hære-*

Hæretici. Quales? tempore S. Justini. L. III. §. LV. p. 549. implent Christi Domini Vaticinia. ibid.
Hæreticorum Notæ. L. IV. §. XLII. p. 691. Plurimi tempore Clementis Alexandrini Hæretici. ibid.
Hegesippus. Quis? Ejus Scripta. Lib. III. §. XLIV. p. 503. Sanctus. Scripta perierunt. nisi quæ Eusebius, ad nos &c. ibid.
Helena. Regina Adiabenes. L. I. §. XXVI. p. 63.
Hellenistæ. L. I. §. V. p. 13.
Hermantius. Scriptor. *in Præf.* p. 18.
Hermas. Liber ejus. L. II. §. XLIV. p. 318.
Hermogenes. Hæreticus. L. IV. §. XXI. p. 626.
Hero. Alexandrinus. L. III. §. XIV. p. 432.
Hero. Antiochenus. Martyr. L. III. §. XXIV. p. 452. §. XXXIII. p. 473. & §. LIX. p. 561.
Herodes Antypas. ejus exitus. L. I. §. XVI. p. 38.
Homines. impassibiles. L. III. §. LII. p. 535. nec mortales, nec immortales. Lib. IV. §. XX. p. 623.
Homo. ad quem dictum? faciamus hominem! Homo a Deo tertius. L. IV. §. XLI. p. 688.
Hyginus. Papa. L. III. §. XVIII. p. 437.
Hymeneus. Ejus Hæresis. L. II. §. XIII. p. 217.
S. *Jacobus.* Capite plectitur. L. I. §. XXIV. p. 58.
S. *Jacobus.* Episcopus Jerosolymæ. L. I. §. V. p. 14. Ejus sententia de non servandis Legalibus. L. I. §. XXXII. p. 82. occiditur.

L. II. §. VIII. p. 207. Ejus Epistola. §. IX. p. 208.
Idolorum Miracula. L. III. §. XLVII. p. 515.
Idolothyta. L. I. §. XXXII. p. 80. & XLVI. p. 120.
Idumæi a Zelotis vocati. L. II. §. XXXIX. p. 260.
Jejunium. quale? Lib. II. §. XLVI. p. 336. quale ante Pascha? L. IV. §. XLV. p. 699.
Jerosolyma. Statua Caligulæ inferri jubetur. L. I. §. XVIII. p. 42. primæ Turbæ. L. II. §. XII. p. 214. visa Portenta. §. XVI. p. 223. a Cestio obsidetur. §. XVIII. p. 234. fugiunt Christiani. §. XIX. p. 236. Zelotæ sæviunt. §. XXIX. p. 261. item Sicarii. ib. Tres factiones. §. XXXVI. p. 291. Pestis. Fames. obsidetur. ib. p. 292. & seq. Seditiosorum rabies. ibid. & seq. Ælia dicitur L. III. §. XXIV. p. 450. Jerosolymitani Episcopi. L. III. §. XIV. p. 433. & XVIII. p. 437. porcus in mœnibus civitatis. §. XXV. p. 453. Episcopi. L. III. §. LIX. p. 562. & L. IV. §. XLVI. p. 702.
Jesus. Damnei filius. S. Pont. L. II. §. XVIII. p. 208. & §. XII. p. 214.
Jesus. filius Gamalielis S. Pontif. L. II. §. XII. p. 214. occisus. §. XXIX. p. 261. & seq.
JEsus. Lamentans. L. II. §. X. p. 210.
JEsus Christus. Qualis Faber? Ejus adventus probatur. L. III. §. LIV. p. 544. non crucifixus. L. III. §. XIX. p. 440.
S. Ignatius. Antiochiæ Episcopus. Lib. II. §. XXXII.

XXXII. p. 270. L. II. §. LIX. p. 384. & L. III. §. IV. p. 393. coram Trajano. S. Ignatii Epist. L. III. §. V. p. 396. altera ad Magnesios. §. VI. p. 402. ad Trallenses. §. VII. p. 406. ad Romanos. §. VIII. p. 409. ad Philadelphios. p. 414. & cœteræ. p. 417. §. XI. ad Polycarpum. p. 422. Ejusdem Martyrium. §. XII. p. 425.

Illuminati. dicuntur, qui sunt Baptizati. L. III. §. XLI. p. 496.

Indiæ. Christiani Evangelium S. Bartholomæi. L. IV. §. XXXI. p. 652.

Indulgentia. L. I. §. L. p. 140.

Infanticidium. cujus Christiani accusantur. L. III. §. XLVII. p. 518.

Infantium Projectio. L. III. §. XL. p. 494.

Inferi. ex Limbo quinam liberati. Lib. III. §. XXXIV. p. 475.

S. Joannes. In Asiam venit. Fundat Ecclesias. L. I. §. XXV. p. 61. Apocalypsis. L. II. §. LI. p. 354. Ante portam Latinam. ibid. Redit ab Exilio Ephesum. Omnes Asiæ Ecclesias regit. L. II. §. LIV. p. 363. Historia de Juvene. ib. p. 364. Ejus Miracula, Evangelium. ibid. p. 367. & §. LV. p. 367. Epistolæ. ib. p. 368. obit, & sepelitur prope Ephesum. ib. p. 371. & L. IV. §. XLIV. p. 697.

Joannes. qui cognominatur *Marcus.* Lib. I. §. XXVIII. p. 69.

Joannes. Populi Jerosolymitani *Proditor.* L. II. §. XXVIII. p. 259. & §. XXXVI. p. 290. in Templo exteriori. ib. p. 291. *Jo-*

Jonathas. L. I. §. LIV. p. 160.
Jonathas. Impostor. L. II. §. XLI. p. 312.
Josephus Cabi. L. I. §. LVIII. p. 175.
Josephus, Mathiæ filius. L. II. §. XIX. p. 237. captus. §. XXVII. p. 255. Scriptor Historiæ. §. XLI. p. 313.
S. Irenæus Lugdunensis. Polycarpi Discipulus. Lib. III. §. XLIX. p. 529. & L. IV. §. XIV. p. 604. Scriptum ad Florinum de Monarchia. §. XVII. p. 613. Tractatus contra Hæreses. §. XXIII. p. 627. est Millenarius. §. XXVIII. p. 648. Liber adversus Hæreses. §. XXV. p. 633. in Conciliis Galliæ præsidet. §. XLIII. p. 696. Epistola ad Victorem Papam. §. XLIV. p. 699.
Ismael. S. Sacerdos. L. I. §. LVIII. p. 175.
Itinerarium S. Petri. L. II. §. XLVII. p. 342.
S. Judas. ubi prædicaverit. L. I. §. XXV. p. 62. Ejus Epistola. L. II. §. LVI. p. 372.
Judæ. Fratris Domini Nepotes coram Domitiano. L. II. §. LII. p. 357.
Judæi. Alexandriæ oppressi. Lib. I. §. XV. p. 35. deprecantur, ne statua erigatur. §. XVIII. p. 43. Legatio ad Caligulam. §. XIX. p. 45. ingens Strages Seleuciæ. §. XX. p. 53. Judæorum Pontifices post Christum. §. XXXI. p. 76. Seditionis initium. ib. & §. XXXVII. p. 96. & XL. p. 100. Bellum Judaicum. L. II. §. XVI. p. 225. Conversorum jactantia. L. I. §. LI. p. 147. & seq. omnes Judæi in fine Sæculorum convertendi. ibid. Rebelles sub Hadriano. L. III. §. XXIV.

§. *XXIV.* p. 450. in Palæstina deleti. §. *XXV.* p. 453. hodieque in suis precibus maledicunt Christianis. §. *LIII.* p. 543. Judæi. Cæsareæ deleti. L. *II.* §. *XVII.* p. 228. Syriam depopulantur. ib. p. 229. desperatio eorum Scythopoli. ib. Damasci contruci dantur. L. *II.* §. *XIX.* p. 236. Antiochiæ comburuntur. Lib. *II.* §. *XXXII.* p. 270. quantus numerus universim perierit. §. *XLI.* p. 312. Romæ miserrimi. §. *LII.* p. 359. Eorum rabies in Ægypto. Lib. *III.* §. *XVI.* p. 435. Judæorum Deus, necdum advenit. L. *III.* §. *XXXIV.* p. 475. Judæorum pars maxima Reproba. L. *I.* §. *LI.* p. 148. non audent negare Christum advenisse. L. *III.* §. *LII.* p. 537.

Judicia non sint. L. *I.* §. *XLV.* p. 117.

Julianus. Alexandrinus. L. *IV.* §. *XIX.* p. 619.

Julius Cassianus. Hæret. L. *IV.* §. *VIII.* p. 585.

Jupiter. in Loco Resurrectionis. Lib. *III.* §. *XXV.* p. 453.

S. Justinus. Philosophus Christianus. L. *III.* §. *XXXVI.* p. 470. Apologia. §. seq. p. 481. Apologia secunda. §. *LI.* p. 532. Dialogus cum Tryphone. §. *LII.* p. 534. Ejus Martyrium. §. *LVII.* p. 553.

Justitia Dei, Bona. L. *IV.* §. *XXVIII.* p. 647. S. Irenæus.

Justus Alexandrinus. L. *III.* §. *XVIII.* 437.

Justus Jerosolymitanus. L. *III.* §. *I.* p. 386. obit. §. *XIV.* p. 433.

Izates. circumciditur. L. *I.* §. *XXVI.* p. 65.

Legio

Legio fulminatrix. L. IV. §. XI. p. 591.
Lex. non sufficit ad Justificationem. L. I. §. XLVI. p. 110. Lex Veteris Testamenti, solis Judæis lata. L. III. §. LIII. p. 540. an in Novo Testamento necessaria, vel prohibita? ib. est observatu impossibilis. ib.
Levitæ. L. II. §. XII. p. 215.
Liberi. occiduntur a Gentilibus. Lib. II. §. LVIII. p. 380.
Libertas. hominis ex S. Justino probatur. L. III. §. XXXIX. p. 490. Libertas, seu Liberum Arbitrium. S. Irenæus. L. IV. §. XXVIII. p. 646. & §. XXXIX. p. 675.
Linguarum Donum. L. I. §. XLVIII. p. 124.
Linus. Lib. II. §. XXIV. p. 250. §. XXVI. p. 253. obiit. §. XLVIII. p. 344.
S. Lucas. L. I. §. XXXIV. p. 88. scribit Evangelium. §. XXXVIII. p. 98. & §. LX. p. 181. L. II. §. II. p. 189. & §. XXIV. p. 250.
Lucianus. Samosatenus. Hæreticus. L. IV. §. XXI. p. 627.
Lucina. S. Paul. sepelit. L. II. §. XXV. p. 252.
Lucilicus Bassus. L. II. §. XLI. p. 310.
Lucius. Martyr. L. III. §. L. p. 531.
Lucius Verus. Qualis. L. III. §. XLV. p. 505. obit. §. LIX. p. 561.
Lucius Junius. L. I. §. XLI. p. 103.
Lucua. Judæorum Ductor. L. III. §. XVI. p. 436.
Lupus. Ægypti Præfectus. Lib. II. §. XLI. p. 311.

Magia. Nulla datur. Lib. II. §. XXIII. p. 245.
Manahen. L. II. §. XVI. p. 227.
Marcellina. Gnoſtica. L. III. §. XLIII. p. 503.
Marcia. Chriſtianis favet. Lib. IV. §. XIX. p. 619.
Marcion. Hæreticus. Ortus, & Vita. L. III. §. XXXIV. p. 474. Errores. ibid. p. 475. Romæ ficte abjurat. §. XLIII. p. 503. & L. IV. §. XXV. §. 639.
S. Marcus. Comes S. Petri. Lib. I. §. XXIV. p. 60. Alexandriæ. L. II. §. V. p. 195. & §. VI. p. 201. Evangelium ſcribit. ib. obit. §. VI. p. 201.
Marcus. Hæreticus. Ejus Præſtigiæ. L. IV. §. X. p. 588. Marcoſiani. ibid.
Marcus Jeroſolymitanus. Primus ex Gentilibus. L. III. §. XXV. p. 455.
Marcus II. Alexandrinus. L. III. §. XXXIII. p. 473.
Marcus Aurelius. vincit ope Legionis Chriſtianorum. L. IV. §. XI. p. 591.
S. Maria. Mater JEſu. L. I. §. II. p. 2. & §. XXV. p. 61. more aliarum mulierum dicitur peperiſſe ab Hæreticis. L. IV. §. XLII. p. 693.
Maria. Filia Eleazari. proprium infantem devorat. L. II. §. XXXIX. p. 302.
Martyrum Cultus. L. III. §. XII. p. 427.
Martyrum Viennenſium. Epiſtola. Lib. IV. §. XII. p. 594.
Martyres. Hæretici nullos habent. Lib. IV. §. XXVII.

§. XXVII. p. 645. Martyr. quomodo hoc accipiendum? L. IV. §. XXXIV. p. 660.
Martyrium. Quid? L. IV. §. XL. p. 676.
Martyrum Acta Sincera. in Præf. p. 10.
Martyrum Tormenta. L. III. §. XLVIII. p. 518.
Masada. Arx. L. II. §. XVI. p. 226. & §. XLI. p. 310.
Materia æterna. L. IV. §. XXI. p. 626.
S. Matthæus. scribit Evangelium. L. I. §. XXV. p. 62. prædicavit in Æthyopia. ib. & L. II. §. XLII. p. 314.
S. Mathias. L. I. §. II. p. 3. ubi prædicaverit? duo ejus Monita. L. I. §. XXV. p. 62.
Mathias S. Pontif. L. II. §. XII. p. 212.
Matrimonium. In Epistola ad Corinthios. L. I. §. XLVI. p. 117. Est Sacramentum. L. II. §. IV. p. 195. quis Matrimonii finis? L. III. §. XLVII. p. 516. Matrimonii Incommoda. Sanctitas. L. IV. §. XXXIX. p. 673. SS. Petri, & Philippi Exemplum. ib. p. 676. Matrimonium Gnostici melius, quam vita Solitarii. L. IV. §. XLI. p. 690. Matrimonii usus honestior inter Christianos, quam Infideles. L. IV. §. L. p. 715. Benedictio Sacerdotalis. Conjugum Christianorum vita. L. IV. ib. Matrimonium. Fructus. vetitus a Deo in Paradiso. L. IV. §. VIII. p. 585.
Maximianus. Antiochenus. L. IV. §. VI. p. 576.
Maximilla. Montani Discipula. L. IV. §. V. p. 571.
Maximinus. Antiochenus. L. IV. §. XXX. p. 650.

Maximus. Scriptor. L. IV. §. XXXV. p. 661.
Melchiſedechiani. L. IV. p. XXXIV. p. 659.
Meliton. Sardenſis. Ejus Apologia ad Antoninum Philoſophum. L. IV. §. I. p. 563. alia opera. Catalogus Librorum S. Scripturæ. §. III. p. 568.
Menander. Ejus ſomnia. L. II. §. XLII. p. 317.
Meſſias. Prophetia de Chriſto. aliter a Judæis aliter a Gentilibus. L. II. §. XXXII. p. 274.
Metus pœnæ, aut Spes præmii: nihil meretur. Clemens Alexand. L. IV. §. XL. p. 680.
Michael Archangelus. Potens in populum Chriſtianum. L. II. §. XLVI. p. 341.
Militia Cœli. Aſtra. L. II. §. III. p. 190.
Mille anni Lætitiæ. S. Juſtinus. L. III. §. LIV. p. 547.
Millenarii. Eorum Auctor. L. II. §. XLII. p. 316. quid docuerint? Quis Auctor? L. III. §. XV. p. 434.
Miltiades. Philoſophus. L. IV. §. X. p. 591.
Minæi. Quales fuerint? L. II. §. LXII. p. 314.
Miracula JEſu Chriſti. in quo a miraculis impoſtoris differant. L. III. §. XXII. p. 448. probantur vera. L. III. §. XXXIX. p. 490. Miracula tempore S. Juſtini. §. LIV. p. 548. dantur in Eccleſia. L. IV. §. XXIV. p. 630.
Modeſtus. Scriptor contra Marcionem. L. IV. §. IV. p. 570.
Montanus. Hæreticus. L. IV. §. V. p. 570. Ejus Doctrina. ib. & ſtultitia.
Moriendum. Quomodo? Lib. III. §. XLV. p. 506.

Mortui. Quare pro Mortuis baptizantur? v. *Baptismus.*
Moysis Corpus. L. II. §. LVI. p. 372. Ejus, & Prophetarum Antiquitas. L. IV. §. XX. p. 625.
Mulier. Christiana. L. II. §. XIII. p. 220.
Mundus. non a Deo conditus. L. II. §. XLII. p. 316. Mundi Creatio, & Auctor. L. III. §. XXVII. p. 461. & §. XXVIII. p. 462. Mundi finis. adest. L. II. §. LVIII. p. 382.
Musanus. Scriptor contra Encratitas. L. IV. §. IV. p. 570.
Mutianus. Vitellium vincit. L. II. §. XXXII. p. 271.
Narcissus Jerosolymitanus. Aquam in oleum mutat. L. IV. §. LVI. p. 702.
Nereus. Martyr. L. II. §. LII. p. 360. cum Sociis. §. LIX. p. 384.
Nero. Imper. L. I. §. XLIII. p. 108. Romam incendit. L. II. §. XI. p. 211. persequitur Christianos. ib. Seipsum interimit. §. XXX. p. 267.
Nerva. Imp. L. II. §. LIII. p. 363. obit. ibid. Trajanum adoptat. §. LIX. p. 383.
Nicetes. L. III. §. XLVIII. p. 521.
Nicolaus. Diaconus. L. II. §. XXI. p. 239. Nicolaitæ Hæretici. ib. Insania, & in Apocalypsi. §. LI. p. 534. & L. IV. §. XXXIX. p. 674.
Nous. Quid? Lib. III. §. XIX. p. 439. & §. XXVII. p. 457.
Onesymus. L. II. §. II. p. 187. L. III. §. V. p. 397.

Onias. Templum ædificavit in Ægypto. L. II. §. XLI. p. 312.
Opera bona. neceſſaria. L. II. §. IX. p. 209.
Ophitæ. Hæretici. L. III. §. XXX. p. 468.
Oſſenii. forte iidem, qui Eſſenii. L. III. §. II. p. 387.
Otto. Imp. L. II. §. XXXI. p. 268.
Pagi. Critica in Baronium. *in Præf.*
Pantenus. Doctor Alexandrinus. Lib. IV. §. XXXI. p. 651.
Papa. Quomodo de eo S. Dionyſius Corinthius loquatur. L. III. §. LVIII. p. 557. Epiſtolas ſubreptitie obtentas revocat. L. IV. §. VI. p. 576. Paparum Succeſſio. ex S. Irenæo probatur Eccleſiæ Romanæ infallibilitas. L. IV. §. XXV. p. 633.
Papias. Hierapolitanus. L. III. §. XV. p. 433. Libri quinque. Auctor Millenarii. ib.
Paſcha. Quæſtio celebris. Lib. III. §. XLIII. p. 501. & L. IV. §. III. p. 569. & §. XLIII. p. 695.
Paſtor. Liber ejus. L. II. §. XLIV. p. 318.
S. Paulus. qui & Saulus. S. Stephanum perſequitur. L. I. §. VI. p. 16. Ejus Converſio. §. XI. p. 25. Damaſci. §. XIV. p. 31. Jeroſolymæ. ib. coram Sergio Paulo Proconſule. §. XXX. p. 72. Lyſtris. ib. p. 74. Petrum reprehendit. §. XXXIII. p. 85. in Macedonia. §. XXXV. p. 88. Athenis §. XXXVI. p. 93. Corinthi. §. XXXVII. p. 96. Epheſi. §. XLII. p. 105. ab ipſo Chriſto miſſus. §. XLIV. p. 109. Puerum ſuſcitat.

tat. §. LII. p. 154. Qualis S. Pauli Rhetorica? L. I. §. XLV. p. 113. Celebs. §. XLVI. p. 119. Epheſi. §. XLVIII. p. 130. Ejus Paſſiones. §. L. p. 142. Ejus Itinera. §. LII. p. 153. Jeroſolymæ. §. LIII. p. 156. purificatur. ib. capitur. Ad Felicem ducitur. §. LVI. p. 167. Coram Feſto. §. LVII. p. 170. Coram Rege Agrippa. ib. Ejus Naufragium. §. LIX. p. 178. in Inſula Melita. §. ſq. p. 179. Romæ. ibid. S. Pauli Epiſtolæ Lib. II. ad Philipp. §. I. p. 183. ad Philemonem. §. II. p. 187. ad Coloſſ. §. III. p. 190. ad Epheſios. §. IV. p. 193. ad Hebræos. an ſit S. Pauli? §. VII. p. 201. in Hiſpania. ib. p. 204. ad Timotheum. §. XIII. p. 216. ad Titum. §. XIV. p. 221. coram Nerone. §. XV. p. 222. Epiſtolæ ejus intellectu difficiles. §. XX. p. 238. Secunda ad Timotheum. §. XXIV. p. 247. Martyrio afficitur. §. XXV. p. 251. Pauli & Petri Effigies. ib. p. 252. Eum non fuiſſe Judæum. p. 314.

Peccatum. Cogitationis. æterna vita privat. L. III. §. XLVII. p. 515. Quid ſit peccatum? L. IV. §. XL. p. 679.

Pella. Illuc Chriſtiani recipiuntur. Lib. II. §. XIX. p. 236.

Peregrinus. Cynicus. L. III. §. XLVI. p. 507.

Perſecutiones. His Chriſtiani multiplicantur. L. III. §. LIV. p. 548.

Peſcennius Niger. Imp. L. IV. §. XXXII. p. 653.

Pertinax. Imp. L. IV. §. XXXII. p. 653.

Petronilla. L. II. §. XXV. p. 252.

Petronius. Syriæ Præfectus. L. I. §. XVIII. p. 42.
S. Petrus. L. I. §. II. p. 2. Oratio ad populum. §. III. p. 4. Mortuam ſuſcitat. §. XIV. p. 34. Gentibus prædicare jubetur. §. XVII. p. 39. ex carcere liberatur. §. XXIV. p. 59. Romam venit. ib. p. 60. Antiochiæ ſedet. ib. prima Ejus Epiſtola. §. XXVIII. p. 67. Prædicatores in Occidentem mittit. ib. p. 69. Oratio in Conc. de Legalibus. §. XXXII. p. 79. Romæ Fidem cum S. Paulo, & alia futura annuntiat. L. II. §. XV. p. 223. Secunda Epiſtola. §. XX. p. 238. ad Portam Civitatis apparet ei Chriſtus. §. XXV. p. 251. Martyrio afficitur. ib. S. Petri uxor. Martyr. L. II. §. XXV. p. 252. S. Petri Martyrii Teſtimonium. §. XXXIV. p. 278. S. Petri itinera, a S. Clemente conſcripta, ab Ebionitis corrupta. §. XLII. p. 315.
Phantaſtici. Hæretici. L. III. §. X. p. 418.
Phariſæorum fides. L. I. §. LV. p. 165.
Philenis. Quæ? L. III. §. LI. p. 533.
Philippus Diaconus. L. I. §. X. p. 24. & §. LII. p. 156.
S. Philippus. ubi prædicaverit? L. I. §. XXV. p. 61. Ejus Filiæ. ib. Mortuus Hierapoli. L. IV. §. XLIV. p. 697. Filiæ ejus Virginitatem ſervarunt. Alia Prophetiſſa. ibid.
Philoſophi. Diaboli Emiſſarii. L. II. §. XLIII. p. 317.
Philoſophia. unica, aut nulla. L. III. §. LII. p. 535.

Philo-

Philoſtratus. Scriptor Vitæ Apollonii. L. I. §. IX. p. 23. & L. II. §. LIII. p. 363.
Philumene. L. III. §. XXXV. p. 477.
S. Photinus Lugdun. L. IV. §. XIII. p. 599.
Pilatus. L. I. §. XII. p. 27. Romam mittitur. ib. p. 28. Ejus interitus. §. XVI. p. 39.
Pinytus Gnoſiacus. Script. L. IV. §. IV. p. 570.
Piſces. Eſca Chriſtianis magis conveniens, quam carnes. L. IV. §. XXXVII. p. 666.
S. Pius. Papa. L. III. §. XVIII. p. 437.
Plato. de Trinitate intelligi debet. Lib. IV. §. XLI. p. 688.
Pleroma. Quid? L. III. §. XXVII. p. 458.
Plinius junior. Epiſtola ad Cæſarem. L. III. §. III. p. 389.
Pœnitentia Publica. ad eam una tantum admiſſio. L. II. §. XLV. p. 332. Pœnitentia. Qualis? L. II. §. XLVI. p. 337. & L. IV. §. XLVIII. p. 709.
Poetarum Theologia. eadem, quæ Chriſtianorum. L. III. §. XLVII. p. 512.
S. Polycarpus. L. II. §. LI. p. 355. Epiſtola ad Philippenſes. L. III. §. XIII. p. 428. Romæ. §. XLIII. p. 501. Martyrium. §. XLVIII. p. 518.
Polycrates Epheſinus. Quartodecimarius. L. IV. §. XLIV. p. 696. Epiſtola ad Victorem Papam. ib. p. 697.
Pontifices Judæorum. L. I. §. LIV. p. 160. & §. LV. p. 164. mutatur Succeſſio. ib.
Poteſtas Apoſtolorum ad ædificandum, non deſtruendum. L. I. §. L. p. 140.

Potestas Sæcularis. Ei obediendum. Lib. I. §. LI. p. 149.
Praxeas. Montanista conversus. L. IV. §. VI. p. 576.
Presbyteri. L. II. §. XIII. p. 217.
Primus. Alexandrinus. L. III. §. XIV. p. 432. obit. §. XVIII. p. 437.
Priscilla. Montani amica. L. IV. §. V. p. 571.
Processus, & Martinianus. Lib. II. §. XXV. p. 251.
Prophetæ. Disparitas inter Prophetas Dei, & Diaboli. L. II. §. XLV. p. 334. Soli Veri Philosophi. L. III. §. XXXVI. p. 480.
Prophetiæ Donum creditur, usque in finem duraturum. L. IV. §. V. p. 572.
Psychici. Quinam? L. IV. §. XXV. p. 639.
Publius Athenienſis. L. III. §. LVIII. p. 559.
Publius Silva. Judææ Procurator. Lib. II. §. XLI. p. 310.
Quadratus. Ejus Apologia. L. III. §. XXII. p. 448.
Quadratus. Athenienſis. Lib. III. §. LVIII. p. 559.
Recognitiones. S. Clementis. L. II. §. XLVII. p. 342.
Religio. nunquam examinanda. Lib. III. §. XXXV. p. 477. Ejus Arcana non revelanda. §. XLI. p. 495. Religionis Catholicæ Antiquitas. L. IV. §. VII. p. 582.
Resurrectio Mortuorum. L. I. §. XLVII. p. 128. Est Generatio ordinaria. Lib. IV. §. XXI. p. 627.

Rodon.

Rodon. AuctorEcclesiast. Lib. IV. §. XXXV. p. 660.
Roma. Incendium. L. II. §. XI. p. 211.
Romani. In Judæa bis perfide obtruncantur. L. II. §. XVII. p. 233.
Romanorum. infandi mores. Lib. III. §. XL. p. 492.
Rufus. Judææ Prætor. Lib. III. §. XXIV. p. 451.
Ruinartius. Quis? *in Præf.* p. 10.
Sabbatum. significat post sex millia annorum omnia terminanda. &c. Lib. II. §. LVII. p. 377.
Sacrificia. veteris Legis demum post adorationem Vituli aurei præcepta. Lib. III. §. LIII. p. 541. ab Hæreticis damnata. L. III. §. II. p. 388.
Saducæi. quid crediderint? Lib. I. §. LV. p. 165.
Sagaris. Martyr. L. IV. §. III. p. 569.
Sancti. Martyres non adorantur, sed coluntur. L. III. §. XLIX. p. 527.
Sanguinis. comestione Christiani abstinent. L. IV. §. XII. p. 599.
Sanhedrin. Quid. L. I. §. LV. p. 164.
Saturninus. L. III. §. XIX. p. 438. Hæreticus.
Saulus. Jerosolymam mittitur. L. I. §. XXVII. p. 66. ad Prædicandum. ibid. in tertium Cœlum raptus. ib. p. 67.
Sceva. Filii ejus. L. I. §. XLII. p. 106.
Schisma. quantum malum. L. IV. §. XXVII. p. 644.

Scriptu-

Scriptura Sacra. non Spiritu privato explicanda. L. II. §. XX. p. 239. Versio Aquilæ. L. III. §. XXV. p. 454. Hanc intelligere est Gratia Dei. L. III. §. LVI. p. 550. SS. Scripturarum Catalogus omnium primus. L. IV. §. III. p. 568. Judæorum Catalogo conformis. ibid. Quædam Ecclesiæ sine Scriptura subsistebant. p. 569. Antiqui nihil scribebant. *in Præf. vers. fin.* Scriptura, an Locutio magis profit? L. IV. §. XLII. p. 694. Scriptura, & Traditio conferuntur. ib. Ex Hebraico in Græcum versa a Theodotione. L. IV. §. XXII. p. 627. quomodo explicanda. §. XXIII. p. 629.

Serapion Antiochenus. L. IV. §. III. p. 576. Tractatus de Evangelio S. Petri. §. XXX. p. 650.

Serenius Granianus. Proconsul. L. III. §. XXIII. p. 449.

Serpens pro Christo adoratur. L. III. §. XXX. p. 468.

Sethitæ. Hæretici. L. III. §. XXX. p. 468.

Severus, & *Severiani.* L. IV. §. VIII. p. 585.

Severus. Imper. L. IV. §. XXXII. p. 654.

Sicarii. L. I. §. LIV. p. 159. L. II. §. XVI. p. 227. in Ægypto proditi, & necati. §. XLI. p. 310.

Sige, seu *Silentium.* in quo sensu? L. III. §. VI. p. 404.

Sila. L. I. §. XXXIV. p. 87. & §. XXXVI. p. 95.

Simeon. Cognatus Christi. Jerosolymæ Episcopus. L. II. §. VIII. p. 208. Ejus Martyr. L. III. §. I. p. 385.

Simon. L. II. §. XVII. p. 230. & §. XIX. p. 237. & §. XXXVI. p. 290.

Simon. Bar-Giora. Obsidet Jerosolymam. Lib. II. § XXXVI. p. 289.

Simon Cyrenæus. Loco Christi Crucifixus. L. III. §. XIX. p. 440.

Simon Magus. Simonia. L. I. §. VII. p. 18. Ejus Deliria. §. VIII. p. 19. pro Deo colitur. §. XXIV. p. 60. Ex aere decidit. Lib. II. §. XXIII. p. 246. Statua, ut Deo, ponitur. L. III. §. XL. p. 493.

S. Simon. Prædicavit in Mesopotamia, & Persia. L. I. §. XXV. p. 62.

S. Sixtus. seu *Xistus.* L. II. §. L. p. 353.

Smirnensium. Epist. ad Philadelphios. L. III. §. XLIX. p. 526.

Socrates. Quid de Deo. L. I. §. LI. p. 146. Eum Diaboli

boli perſequuntur. L. III. §. LI. p. 532. Chriſtianus. §. XXXIX. p. 491.
Solitarii. Chriſtiani apud Alexandriam. L. II. .VI. p. 197.
Sotades. Quis? L. III. §. LI. p. 534.
Soter. Papa. L. III. §. XLIV. p. 504. Epiſtola S. Dionyſii Corinth. ad eum. §. LVIII. p. 557. obit. §. LIX. p. 561.
Spiritus S. Dona ejus mirabiliter diſtributa. Lib. I. §. XLVII. p. 124. Hæretici Spiritui SanctoSexum tribuunt. L. III. §. II. p. 389. Ejus exiſtentia probatur. L. III. §. XLVII. p. 514.
Statio. quid. L. II. §. XLVI. p. 337.
S. Stephanus. Martyr. L. I. §. VI. p. 15.
Stephanus. Domitiani interfector. Lib. II. §. LIII. p. 360.
Sybillarum. Verſus Suppoſititii. Lib. III. §. XXXIX. p. 491.
Symbolum Apoſtolorum. non ſcriptum. L. I. §. XXV. p. 60.
S. Symphorianus. Martyr. L. IV. §. XVIII. p. 616.
S. Symphoroſa. cum ſeptem filiis. L. III. §. XXXI. p. 469.
Tarſi. ſeu *Tarſus.* Quomodo jus Civitatis Romanæ acquiſierit. *L. I. §. LV.* p. 163.
Tatianus. Encratitarum Parens. *L. IV. §. IV.* p. 570. ſcribit adverſus Græcos. *§. VII.* p. 579.
Telesphorus. Papa. *L. III. §. XIV.* p. 432. Martyr. *§. XVII.* p. 437.
Templum. Legatio occaſione muri. *L. I. §. LVIII.* p. 175. conſumatur ædificium. *L. II. §. XII.* p. 215. a Zelotis occupatur. *§. XXVIII.* p. 258. Sacrificium perpetuum ceſſat. *§. XXXVIII.* p. 301. Templum capitur. ardet. *§. XL.* p. 305. Aliud Templum in Ægypto. *L. II. §. XLI.* p. 311.
Tertullianus. Quis. Libri. *L. IV. §. XLVII.* p. 703. de Baptismo. ib. p. 704. de Pœnitentia. *§. XVIII.* p. 707. de Oratione. *§. XLIX.* p. 710. Ad uxorem. *§. L.* p. 711.
Thebutis. Hæreticus. *L. II. §. VIII.* p. 208. & *L. III. §. I.* p. 386.

S. The-

S. Thecla. Martyrum Prima. *L. I. §. XXX.* p. 73.
Themiſon. Montaniſta. *L. IV. §. V.* p. 573.
Theodotio. Vertit Sacram Scripturam. *L. IV. §. XXII.* p. 627.
Theodotus. Hæreticus. *L. IV. §. XXXIII.* p. 655. Ejus Hæreſis. Scriptum Anonymi contra eum. ib. p. 656.
Theodotus. Hæreticus. Auctor Melchiſedechianorum. *L. IV. §. XXXIV.* p. 659.
Theodotus. Auctor Hypotypoſium. *L. IV. §. XLII.* p. 694.
Theophilus. S. Pont. Judæorum. *L. I. §. XXII.* p. 56.
Theophilus. L. I. §. XXXVIII. p. 98.
Theophilus Antiochenus. L. III. §. LIX. p. 561. Tractatus ad Autolycum. *L. IV. §. XX.* p. 620.
Theotimus. Scriptor. *L. IV. §. X.* p. 591.
Therapeutæ. Quinam. *L. II. §. VI.* p. 196.
Theſſalonica. S. Pauli Epiſtolæ. *L. I. §. XXXIX.* p. 99.
S. Thomas. ubi prædicaverit. *L. I. §. XXV.* p. 62.
Tiberius. Ejus obitus. *L. I. §. XII.* p. 28. Chriſtum inter Deos referre vult. ib. p. 27.
Tiberius Maxim. Procurator Judææ. *L. II. §. XLI.* p. 310.
Tigellinus. L. II. §. XXII. p. 243.
Timotheus. L. I. §. XXXIV. p. 87. & *§. XXXVI.* p. 95. & *L. II. §. XIII.* p. 216. & *§. LI.* p. 354.
Titus. L. I. §. XXXVII. p. 97. in Judæam a Patre mittitur. *L. II. §. XXXII.* p. 269. ante Jeroſolymam Caſtra locat. *§. XXXVI.* p. 292. capit civitatem. *§. XL.* p. 304. de Judæa triumphat. ibid. p. 309. Candelabrum, & alia vaſa circumferuntur. ibid. Imper. optimus. *§. XLVIII.* p 344. obit. ib.
Traditiones. L. I. §. XXXIX. p. 100. & ſq. *§. XLIV.* p. 111. & *L. II. §. XXIV.* p. 248. probantur contra Hæreticos. *L. IV. §. XXIV.* p. 633. ex S. Irenæo. Num. ſeq. p. 633. & *§. XXX.* p. 650.
Trajanus. Imp. *L. II. §. LIX.* p. 383. reſpondet Plinio. *L. III. §. LIII.* p. 392. obit. §. *XVII.* p. 437.

Trias.

Trias. ſeu *Trinitas,* primo expreſſa. *L. IV.* §. *XX.* p. 623.
S. Trinitatis Doctrina. L. III. §. *XLVII.* p. 513.
Trinitatis Perſonæ. *L. IV.* §. *XXVI.* p. 640.
Thryphon. Judæus. *L. III.* §. *LII.* p. 534.
Turbo. Romanorum Dux. *L. III.* §. *XVI.* p. 436.
Valentinianorum. Technæ in urbe Roma, & Superbia. *L.* IV. §. XXV. p. 639.
Valentinus. Hæreſiarcha. *L.* III. §. XXVI. p. 455. Theologia Genealogica. §. ſeq. p. 456. Doctrina Moralis. §. XXIX. p. 466. Romæ ficte abjurat &c. §. XLIII. p. 503.
Veneris Templum. L. I. §. XLVI. p. 119.
Veſpaſianus. Bello Palæſtinæ præficitur. *L.* II. §. XIX. p. 237. & §. XXVII. p. 254. Jeroſolymam obſidere parat. §. XIX. p. 264. & ſeq. Imperator. §. XXXII. p. 269. Alexandriæ miracula patrat. ib. p. 272. putatur Meſſias. ib. p. 274. obit. §. XLVIII. p. 343.
Victor. Papa. Theodotum Hæreticum excommunicat. *L.* IV. §. XXXIII. p. 655. Concilium de Paſchate. §. XLIII. p. 696. Eccleſias Aſiæ excommunicat. §. XLIV. p. 698. hujus rigoris cauſæ. §. XLV. p. 701. obit. ib.
Viduæ. Quales ſint. *L.* II. §. XIII. p. 220. ſi ſint Juniores. ib.
Vinnidius Quadratus. L. I. §. XL. p. 102.
Vitellius. Imperator. *L.* II. §. XXXI. p. 268. occiditur. §. XXXII. p. 271.
Unctio Extrema. Sacramentum. *L.* II. §. IX. p. 209.
Uxor. Polygamiæ Exemplum a Patriarchis non deducendum. *L.* III. §. LVI. p. 551. poſtquam Liberos genuit, ut Soror habenda. *L.* IV. §. XLI. p. 685.
Xiſtus. Papa. *L.* III. §. XIV. p. 432.
Zelotæ. L. II. §. XVIII. p. 233.
Zephirinus. Papa. *L.* IV. §. XLV. p. 701.

ERRA-

ERRATA.

Lib. I.	pag. 8.	& mercaturæ *corrige:*	at mercaturæ.
	p. 77.	curbatus	curvatus.
	p. 97.	populentiſſima	populoſiſſima.
	p. 107.	Philippis	Philippi.
	p. 116.	Spiritui	Spiritus.
	p. 118.	diviſis	diviſi.
	p. 151.	Hiſpaniam	in Hiſpaniam.
	p. 153.	Troadum	Troadem.
	p. 158.	obſitum	ob ſitum.
	ibid.	ſicut templum civitatem	ſicut & Civitatem.
Lib. II.	p. 186.	Syntichum	Syntichen.
	p. 230.	concilii	conſilii.
	p. 243.	eduxerit	conduxerit.
	p. 277.	cordi	cordis.
	p. 333.	te	&
	p. 374.	præmonſtratum	præmonſtratam.
Lib. III.	p. 394.	qui ſe Chriſtum	qui Chriſtum.
	p. 435.	efficerentur	afficerentur.
	p. 459.	ergreſſa	egreſſa.
	p. 467.	mixtione	mixtis.
	p. 498.	quacunque	quamcunque.
	p. 537.	eluiſſe	eluſiſſe.
	p. 561.	eruditiono	eruditione.
Lib. IV.	p. 580.	poſtulant	poſtulent.
	p. 586.	Luci	luis.

FLEURY
HISTORIA
ECCLESIASTICA
TOM. 16

Th
5178

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN